Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Balthasar Rhaw  Zacharias Grape

# Theologiæ Polemicæ Liber, Qvo Controversiæ Ad S. Anthropologiam Spectantes Petractantur

Rostochii: Impensis Joh. Wepplingii, MDCCXI.

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726**

Druck  Freier Zugang  PUBLIC DOMAIN


Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1011917726/phys_0001
DFG

KB NB 0095.1-4

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1011917726/phys_0002
DFG

Nr. 137.

Praeparatur
Dbg.

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1011917726/phys_0004
DFG

# THEOLOGIÆ POLEMICÆ

## LIBER,

QVO CONTROVERSIÆ
AD

## S. ANTHROPOLOGIAM

SPECTANTES PERTRACTANTUR;
*EX VARIIS SCRIPTIS THEOLOGORUM POLEMICIS*
*COLLECTUS*
â

## L. BALTHASARE RHAW,

JAM BEATÆ MEMORIÆ

NUNC DEMUM E MSto EDITUS, PERq; CERTAS DISPUTATIONES IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI VENTILATUS,
ET NUNC
OMNIMODE ABSOLUTUS.

â
B. AUCTORIS NEPOTE

## ZACHARIA GRAPIO, D.

ROSTOCHII,

Impensis JOH. WEPPLINGII, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.
ANNO MDCCXI.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0005
DFG

# THEOLOGIÆ POLEMICÆ

## LIBER,

AD

## S. ANTHROPOLOGIAM

A

## L. BALTHASARE RHAW,

CHRISTI ADSCULTUS

A

## ZACHARIA GRAPIO, D.

ROSTOCHII,

Impensis JOH. WEPPLINGII Typ. ACAD. Typogr.

ANNO MDCCXL.

# BENEVOLO LECTORI
S. P. P.
# ZACH. GRAPIUS, D.



Riorem partem Anthropologiæ illius S. â B. Avo noſtro elaboratæ non ita pridem publicavimus, promiſſi noſtri memores jam & poſteriorem exhibemus partem, in qva controverſiæ qvæ adhuc reſiduæ erant, pertractantur, & ad finem perducuntur. Nomina Nobiliſſimorum ac Clariſſimorum DNN. Reſpondentium, per ſortem ſic collocatorum, qvi & in ultimo hoc Tomo ſingularem ſuam comprobarunt promtitudinem ac induſtriam, ſunt ſeqventia:

I. DN. GEORG NICOL. EGGERS, Luneburgenſ.
II. DN. POLYCARP. LYSERUS, Hannoveran.
III. DN. FRIDER. ANDREÆ, Sedino-Pomeran.
IV. DN. FRID. LUDOV. de MASCOU, Nob. Marchicus.



Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0007
DFG

V. DN. JOH. SCHRODER, Suderoviâ-Stormarus.
VI. DN. AXELIUS GUSTAVUS SEMLOW, Pomeran.
VII. DN. JOH. GEORG. LEHMANN, Prizw. Prign. March.
VIII. DN. JOH. HENR. STOLTENBERG, Lubecenſ.

Atq; ſic ſimul integram illam Theologiam Polemicam Rhavianam Bono cum Numine, licet varias inter curas ac moleſtias, feliciter tamen tandem abſolvimus. Tu Benevole Lector, Opere hocce, in qvod B. Auctor plurimum certe impendit laboris, plurimo cum fructu utaris, cumqve ultimæ reviſioni Auctor fuerit immortuus, defectus pro æqvitate tua excuſes. Sicubi forte etiam ante motas recentiores Controverſias, ut reliqvi Theologi omnes, aliqvantulum liberius ſcripſerit; qvod tamen plane rariſſimum erit, qvæſo non tam calamum reſpicias, qvam mentem, qvæ ex integra connexione tamen ubivis orthodoxa, & recentioribus qvoq; Novatoribus adverſa reperietur. Ultimam hanc vix admoviſſem manum, niſi â plurimis Celeberrimis Theologis, qvorum cenſuræ benevolæ ac judicio priores expoſiti erant tomi, monitus & excitatus fuiſſem. Ex qvo judicavi, licet vaſtam maximeqve moleſtam, non tamen plane inutilem me inſumſiſſe operam. Tibi autem ô Clementiſſime DEUS! ante omnia immortales perſolvo gratias pro tua mihi exhibita gratia, præſtitoqve auxilio, Tu ô glorioſiſſime DEUS Benedictione tua opus hocce corones, ut tui Nominis gloriam, Lectorisq; exoptatos promoveat fructus. Mei autem recordare DEUS mi in bonum! Vale Lector Benevole, Studiisqve noſtris porro fave.

Scribebam Roſtochii, d. 28. Julii
Anno MDCCXI.

INDEX

# INDEX QVÆSTIONUM.

## CONTROV. VI.

*De hominis peccatoris regeneratione, Conversione, Pœnitentia & justificat.*

### CAP. I.

*De Viribus Liberi Arbitrii.*


Qv. 1. Annon homo propriis liberi arbitrii viribus ad ordinaria Conversionis media sese applicare potest? pag. 2.

Qv. 2. Num solis naturæ & L.A. viribus homo non renatus vel legem implere, vel aliquo modo efficere, præparare & adjuvare potest suam regenerationem & conversionem? p. 4.

Qv. 3. Num ergo homo convertitur ut lapis & truncus sine ullo motu mentis & voluntatis p. 13.


### CAP. II.

*De Gratia Convertente.*


Qv. 1. Estne gratia DEI simpliciter irresistibilis? p. 16.

Qv. 2. Annon distinctio quædam agnoscenda in Gratia DEI, quâ homines convertuntur? 25.


### CAP. III.

*De Pœnitentia.*


Qv. 1. Annon pœnitentia absolvitur contritione & fide? 27.

Qv. 2. Annon contritio distinctis conjuncta est actibus? 32.

Qv. 3. Estne contritio Sp. S. opus, quod mediante lege operatur? 33.

Qv. 4. Num certa quantitas contritionis est necessaria ad veram pœnitentiam? 34.

Qv. 5. Num contritio vel ut conditio, vel ut causa est necessaria ad peccatorum remissionem? 35.

Qv. 6. Estne fides medium apprehendens, quo applicatur gratia DEI? 37

Qv. 7. Estne fides justificans notitia quædã in intellectu? 38.

Qv. 8. Estne fides, assensus & fiducia? 40.

Qv. 9. Quodnam est fidei objectum, quatenus notitia & assensus? 42

Qv. 10. Num fides ut notitia & assens⁹ versatur circa omnia, quæ leguntur in verbo Dei? 43.

Qv. 11. An fides justificans versatur circa specialem DEI misericordiam, & Christi meritum? 44.

Qv. 12. Num fides est obedientia? 49.

Qv. 13. Num fides informatur à charitate? 51.

Qv. 14. Num pœnitentibus Deus præcepit ut singula peccata Sacerdoti confiteantur? 54.

Qv. 15. Num privata confessio & absolutio condẽnanda? 57.

Qv. 16. Num post remissam culpam justitia divina exigit satisfactionem pro pœnis ? 57.
Qv. 17. Num pro reatu pœnæ temporalis satisfacere valemus Bonis operibus sive à Sacerdote injunctis, sive sponte susceptis ? 61.
Qv. 18. Num per indulgentias redimi possunt pœnæ tẽporales? p. 63.

## CAP. IV.

*De Justificatione.*

Qv. 1. Estne gratia justificans favor gratuitus in DEO ? 66.
Qv 2. Num formaliter justificamur justitia habituali & inhærente ? 67.
Qv. 3. Num formaliter justificamur Justitia Dei essentiali? 73
Qv. 4. Annon formaliter justi sumus Justitiâ Christi acquisita & credentibus imputatâ ? 77.
Qv. 5. Num duplex Justificatio, alia V. alia N. T. alia prima alia secunda ? 84.
Qv 6 An sola fides justificat? 85.
Qv. 7. Num fides justificat ut virtus, habitus, dispositio, meritum vel opus bonum ? 94.
Qv. 8. An docendi homines, ut dubitent se esse justificatos? 98.
Qv. 9. Danturne certa criteria, quibus certitudo fidei innititur ? 102.

## CONTROV. VII.

*De Hominis justificati renovatione, continuata, revocata, & in cruce, explorata.*

## CAP. I.

*De Renovatione ipsa.*

Qv. 1. Annon sunt vera bona opera, quæ præstant non renati ex solis Lib. Arb. viribus ? 108.
Qv. 2. Num illa opera sunt verè bona, quæ sine expresso DEI mandato fiunt ex bona renatorum intentione ? 109.
Qv. 3. Estne revocatio perfecta legis impletio ? 111.
Qv. 4. Num renovatio formaliter est novæ essentiæ productio ? 118.
Qv. 5. Annon renovatio est essentialis DEI inhabitatio in Sanctis ? 120.
Qv. 6. Annon eo fine exercenda B. O. ut iis mereamur vitam æternam & temporalia præmia ? 123.
Qv. 7. Num B. O. sunt ad salutem obtinendã necessaria? 137.
Qv. 8. Num B. O. sunt necessaria ad salutem conservandam ? 141.
Qv. 9. Annon toleranda propositio: B. O. sunt necessaria ad salutem, additâ orthodoxa explicatione ? 143.
Qv. 10.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0010
DFG

Qv. 10. Num B. O. perniciosa ad salutem ? 144.
Qv. 11. Num B. O. simpliciter non sunt necessaria ? 137.
Qv. 12. Annon necessitas B. O. evertitur per libertatem Christianam ? 139.
Qv. 13. An insistendum vestigiis Scholasticorum, quando distinguendæ virtutes ? 140.
Qv. 14. Num abstinendum ab omni juramento ? 141.
Qv. 15 Num renovatiò perficitur per vota ? 142.
Qv. 16. Num precibus Justitiæ Divinæ satisfacere & mentem acquirere valemus ? 144.
Qv. 17. Num S. literæ approbant ut opus bonũ jejuniũ ? 154.
Qv. 18. Num lege ecclesiastica obligari possumus ad jejunium, & ciborum delectum ? 156.
Qv 19 Num jejunium illud placet Deo, quod fit opinione singularis cultus & meriti ? 159.
Qv. 20. Num lex Ecclesiæ obligare potest ad certa tempora, quibus abstinendum à certis cibis ? 161.
Qv. 21. Suntne Eleemosynæ B. O. quæ satisfaciunt Justitiæ Div. & merentur vitam æternam ? 162.
Qv. 22 Num disciplinæ spontaneæ vel impositæ â Sacerdote sunt mortificationes carnis, quæ Deo placent, & peccata expiant ? 166.

## CAP. II.

*De Revocatione, seu Renovationis amissione ac restitutione.*

Qv. 1. Annon justificati ac electi gratiam justificantem possunt amittere ? 171.
Qv. 2. Annon pœnitentiam inveniunt renati, quando primam gratiam Dei amiserunt ? 178.
Qv. 3. Annon expectanda remissio peccatorum illis qui post agnitam veritatem habitum peccati acquisiverunt ? 181.

## CAP. III.

*De Cruce & Calamitate.*

Qv. 1. Estne omnis calamitas pœna peccati à Deo justo judice immissa ? 186.
Qv. 2. Num conveniunt in omnibus causis calamitates piorum & impiorum ? 187.
Qv. 3. Estne differentia quædam in afflictionibus piorum ? 188.
Qv. 4. Num ratio humana absque ductu verbi Dei pervenire potest ad fontes consolationum ? 189.

# CONTROV. VIII.

*De Hominum Novissimis.*

CAP. I.

## CAP. I.

*De Morte & sepultura.*

Qv. 1. An mors sit añihilatio? 93.

Qv. 2. An Hæretici sint sepulturâ Christianâ digni ? 194.

## CAP. II.

*De Statu animarum post mortem.*

Qv. 1. Estne status animæ separatæ naturalis ? 195.

Qv. 2. Num animæ separatæ in continuo somno absque ulla operatione existunt ? 196

Qv. 3. Circa quæ objecta versatur intellectus animæ separatæ ? 199.

Qv. 4. Estne in anima separata quidam appetitus ad unionem cum corpore ? 201.

Qv. 5. Num ex Sacris literis edoceri possumus de potentiis, habitibus, actibus, & motu animarum separatarum ? 202.

Qv. 6. Annon Sanctorum animæ intercedunt pro Ecclesia ejusque membris ? 102.

Qv. 7. Num animæ beatorum occupatæ in regenda ac defendenda Ecclesia ? 205.

Qv. 8. Annon beati Spiritus sunt omnipræsentes ? 208.

Qv. 9. Annon separatæ animæ transeunt in alia corpora ? 209

Qv. 10. Suntne receptacula quædam intermedia inter cœlum & infernum ? 210.

Qv. 11. Estne limbus patrũ? 212

Qv. 12. Estne limbo infantũ? 215.

Qv. 13. Estne purgatoriũ ? 216.

Qv. 14. Qvæ sunt tandem duo illa receptacula animarum defunctorum ? 225.

Qv. 15. Añon animæ defunctorũ religioso cultu afficiendæ? 226

Qv. 16. Si non religiose invocandi beati Spiritus, annon officiose compellandi, ut pro nobis intercedant ? 232

Qv. 17. Num ergo omnis honor Sanctis animabꝰ denegandꝰ? 234.

Qv. 18. Num approbanda Sanctorum veneratio, quâ canonisantur ? 235.

## CAP. III.

*De Resurrectione.*

Qv. 1. An & impii vi meriti Christi resurgent ? 238.

Qv. 2. An idem numero corpus resurrecturum ? 241.

## CAP. IV.

*De Extremo Judicio.*

Qv. 1. An futurum extremum aliquod judicium ? 245.

Qv. 2. An omnes omnino homines judicandi ? 246.

## CAP. V.

*De Morte & Vita æterna.*

Qv. 1. An æqualis futura beatitudo in vita æterna ? 247.

Qv. 2. Quid de inferno sentiendum ? 247.

Disp. I. Resp. GEORG. NICOL. EGGERS. Lüneburg.

# CONTROVERSIA VI.

## DE HOMINIS PECCATORIS REGENERATIONE CONVERSIONE POENITENTIA ET JUSTIFICATIONE.



Omines à morbo peccati non convalescunt, nisi convertantur in statum, qvem peccando deseruerunt, regenerentur DEI Spiritu, qvi nati sunt ceu spiritualiter mortui, adeoqve ex injustis justi fiant. Qvamvis autem conjuncta sit Hominis *Conversio Regeneratio & Justificatio*; tamen *formaliter* differunt Hominis ad spiritualem sanitatem reductio, appellatur 1. *Conversio*, qvatenus homo revocatur ad eam DEI gratiam, â qva sese avertit. 2. *Regeneratio*, qvatenus renascitur ex Spiritu, qvia natus est ex carne & fides salvifica excitatur. 3. *Justificatio*, qvatenus recuperat Justitiam coram DEO valentem. Conjungimus autem controversas qvæstiones de Hominis *Regeneratione*, *Conversione*, *Pœnitentia* & *Justificatione*, qvia conjunctim in Hominis restitutione existunt, cum mens hominis illuminatur, Voluntas sanctificatur, & fides salvifica excitatur, homo renascitur ac convertitur, qvi si adultus pœnitentiam agit & justificatur coram Deo, qvando Justitia Christi ipsi imputatur. Interim nemo vere est *renatus* qvi non *Conversus* & *justificatus*, nec verè est *justificatus*, qvi non *renatus* & *Conversus*. Hinc non ἀμέθοδον futuram, confidimus, Disputationem præsentem si veritas divina inqviratur & defendatur in ζητημασι, de 1. *Viribus Liberi Arbitrii*, in Homine convertendo. II. de *Gratia convertente in Deo*. III. de *Pœnitentia*. IV. de *Justificatione*.

# CAP. I.

## DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN HOMINE CONVERTENDO.

QVod sit Hominis *Liberum arbitrium* vel *contingentia* evictum est *Lib.* 4. *contr.* 2. *c.* 2. *qv.* 2. Qvid sit *Liberum arbitrium* exposuimus *l.* 6. *controv.* 1. *c.* 3. *qv.* 12. Qvale fuerit ante lapsum, declaratum

 fuit

fuit *l. 6. Contr. 1. c. 3. qv. 12.* Qvomodo de *pravatum* per peccatum apparet ex *l. 6. contr. 2. c. 1. qv. 1.* Præsenti in Disputatione Controversum sit *Liberum arbitrium* qvoad ἐνέργειαν suam, qvæ operatur vel non operatur, cum homo convertitur, & renascitur. Potiores disceptationes hic occurrentes seqventibus includemus Qvæstionibus.

Qv. I. *Annon Homo propriis liberi Arbitrii viribus ad Ordinaria Conversionis media sese applicare potest?*

## THESES.

I. PRima hæc est qvæ oritur hic *Qvæstio* de *Liberi arbitrii Viribus*, in Usurpatione *mediorum* ordinariæ Hominum conversioni inservientium, de qvibus præcedenti controversia dictum fuit. Sensus qvæstionis hic est: *An homo ex suis Viribus, post lapsum relictis, possit audire vel legere Dei verbum, accedere ad Sacramenta, & afferre aliqvod studium, qvo reverenter velit usurpare dicta media?*

II. Scripturæ Judicium de hâc qvæstione ut eluceſcat, distinguendi sunt *Homines convertendi*, qvorum qvidam vivunt extra cætum vocatorum, ut *pagani* & *gentiles*, qvidam in cætu vocatorum, qvo sonat Dei verbum & administrantur Sacramenta. De *illis* docent sacræ paginæ, qvod (1) *Lege naturæ* & *notitia Dei Naturali*, qvalis supereſt post peccatum introductum, stimulentur ad qværendum verum Deum *Actor. 14. v. 17. cap. 17, 27.* Confer *lib. 2. Contr. 1. qv. 1.* (2) *Fama de Ecclesiæ* privilegiis excitati possint accedere ad Ecclesiam, in qvâ media Conversionis ordinaria offeruntur *Exod. 18, 1. seqq. 1. Reg. 10, 6. seqq. cap. 8, 41. 42. Joh. 12, 20. Actor. 8, 27.* (3) exercere possint *externam* Legis *obedientiam*, in *Justitia morali, politica & œconomica*, qvâ removentur obstacula seu Enormia scelera, qvibus contemptus Dei ejusqve Verbi augetur. *Genes. 26, 10. 11. cap. 34, 8. seqq. c. 47, 5. 6. c. 50, 7. Exod. 1, 17. c. 2, 20. Esthera 1, 19. seqq. Actor. 28, 2. seqq. Rom. 2, 14. &c.*

III. *Hi*, scil. qvi *vivunt in cœtu vocatorum* in duplici rursus sunt differentia: Qvidam enim accedunt ad Ecclesiam vel Verbum prædicatum, qvando hac ante nec in Ecclesia vixerunt, nec Verbum prædicatum audiverunt, & dici possunt *Advenæ*; Alii in ipso Ecclesiæ gremio nascuntur, & in cætu vocatorum existunt, qvi dici possunt *cives*. De *Advenis* legimus in Bibliis, (1) qvod possit Voluntas nondum renata imperare locomotivæ facultati, motum istum, qvo homo ambulat vel ad locum, qvo sonat DEI Verbum, vel ad præconem, qvi illud annunciat; *Esa. 2, 3. Matth. 3, 5. Joh. 4. 40. Actor. 2, 6. cap. 19, 10. cap. 25, 23. cap. 28, 30.* (2) qvod *Non-Renati* desiderium qvoddam afferre possint

ad

ad audiendum Verbum Domini, ut *Herodes Marc.* 6, 20. *Samaritani Actor* 8, 6. *Sergius Actor.* 13, 7. *Felix Actor.* 24, 25. *Antiocheni Actor.* 13, 44. *Athenienſes Actor.* 17, 32. 33. *Agrippa cap.* 25, 22.

IV. *Cives* Eccleſiæ vocamus illos qvi vel *Circumciſi in V. T.* vel *baptiſati in N. T.* & populo DEI ſunt adſcripti. *Hi* ſi vel Erroneis opinionibus imbuti, vel peccatis regnantibus dediti, utcunqve fidem amiſerunt juſtificantem, non tamen omnem Notitiam doctrinæ divinitus patefactæ abjecerunt, unde non ſolum poſſunt ad Media Converſionis afferre diſcendi ſtudium & deſiderium. *Amos* 8, 11. *Eſa.* 29, 13. *Ezech.* 33, 30. *ſeqq. Joh.* 3, 2. *Luc.* 5, 1. *cap* 8, 4. *cap.* 15, 1. *Actor.* 28, 22. *Rom.* 9, 31. *Philipp.* 3, 6. ſed etiam removere obſtacula, qvibus ſalutaris Verbi Efficacia impeditur, uti Salvator in parabola *Luc.* 8. 5. *ſeqq.* docuit. Huc pertinent omnes adhortationes, qvibus Eccleſiæ Cives invitantur ad pœnitentiam, faciendum cor novum, aperiendam Cordis januam &c. qvæ nullam exigunt ἐνέργειαν in ipſa Converſione, ſed præcipiunt, ut illi, qvi peccatis contra Conſcientiam delectantur, hujusmodi peccata ceu obſtacula, qvibus gratioſa Spiritus S. operatio impeditur, removeant. Confer *Chemnit. parte* 1. *Loc. Theol. pag.* 196. *Hutter. in Loc. pag.* 273. *Hunn. tom.* 1. *oper. col.* 482. *Lobech. diſp.* 20 *in A. Confeſſ. theſi* 35. *ſeqq.*

## ANTITHESES.

I. *Enthuſiaſta & Fanatici*, dum placet iis *immediata Converſio*, uti *præcedenti Controverſia* dictum fuit, non ſunt ſolliciti de hominis viribus, qvibus ad Converſionis media ſeſe applicet.

II. *Photiniani* dum negant Notitiam DEI naturalem, irrident Diſtinctionem inter opera Hominis *externa*, in qvibus vires qvasdam, & opera *interna*, in qvibus nullas habet. Vide *Smaltz. contra Frantz. p.* 419.

## HYPOTHESES.

Utrisqve prædictis Antagoniſtis viam præcludit ad Veritatis Agnitionem Diſcurſus rationis, qvo ex *Viribus Liberi Arbitrii*, in uſurpatione mediorum, qvibus Homo convertitur, ſtatim infertur δύναμις ἐνεργητική in ipſa Converſione. Præterqvam vero qvod Scriptura S. hanc Conſeqventiam ignoret, ratio ſobria & ſana in multis Exemplis vanam agnoſcit illationem; qva ex applicatione ad media agendi & remotione obſtaculorum infertur vis ipſa efficiendi. Ægrotus uti poteſt medicamentis, ſed non efficit ipſe ſanitatem. Feneſtras aperiens, ſoli admit obſtacula; ſed non efficit illuminationem Domus. Ruſticus applicat ſe ad arandum, occandum, ſtercorandum, ſerendum &c. ſed

suis viribus né granum qvidem evocat ê terrâ: Ligatum Hominem solvens, ambulationis tollit obstacula, & tamen ipsam non efficit ambulationem.

Qv. II. *Num solis Naturæ & liberi Arbitrii Viribus Homo non renatus vel Legem DEI implere, vel aliqvo modo efficere, præparare & adjuvare potest suam Regenerationem & Conversionem?*

## THESES.

I. PRæsupponimus in hâc qvæstione, Hominem Non-Renatum esse Animal rationale, qvod libere & non coactè appetit appetitu rationali, qvi fertur in objectum, qvod Intellectus ut Bonum agnovit atq; persuasit.

II. Qvando autem dicto Appetitui offertur *objectum spirituale* sc. perfecta obedientia Legis & doctrina Evangelica, in his objectis concipiendis, dijudicandis & persuadendis, nullas habet vires *Intellectus* in eligendis, & expetendis nullam δύναμιν ἐνεργητικὴν habet *Voluntas*; sed *ille* illustrandus superiori luce S. Spiritus; *Hæc* trahenda ad expetendum illud, qvod ob pravitatem connatam aversatur, fugit & odit, qvamdiu sibi soli relinqvitur.

III. In Homine igitur corrupto & non-Renato nullæ, ne qvidem infirmæ, languidæ & sopitæ supersunt vires, qvibus possit vel perfectam Lege præstare obedientiam vel cooperari in sua Regeneratione; Non delectatur Legis interiori obedientia, eamqve ignorat nisi de ea eruditur, mysteriis fidei ex le suisqve Viribus non assentitur Intellectus; fiducia Cordis, qvâ apprehenditur Christi meritum, est solius Spiritus S. opus, novi motus, qvibus induitur Homo novus, creatus in justitia & sanctitate, non ex Viribus naturalibus sed supernaturalibus, inditis â Deo proveniunt.

IV. Hanc Liberi arbitrii in spiritualibus ἀδυναμίαν profitentur sacræ literæ 1. in Descriptionibus hominum Non-Renatorum, qvi qvamdiu sunt sine Spiritus S. gratiâ, describuntur, ut tantum proni ad malum. *Genes.* 6, 5. *cap.* 8, 21. Gens absqve consilio, & sine prudentia, qvæ non sapit nec intelligit *Deut.* 32, 29. ut inutiles & non facientes bonum *Ps.* 14, 3. *Rom.* 3, 12. qvorum cogitationes sunt inutiles, & ignorant Viam pacis *Es.* 59, 7. 8. *Rom.* 3, 17. 18. 19 nati de carne, & non nati ex Spiritu *Joh.* 3, 5. 6. colunt Deum, qvem ignorant. *Actor.* 17, 23. evanescunt in cogitationibus suis. *Rom.* 1, 21. non probant Deum, ut illum agnoscant *v.* 28. non percipiunt ea, qvæ sunt Dei Spiritus, nec possunt intelligere,

sed

sed pro stultitia habent 1. *Cor.* 2, *v.* 14. carnales sunt, qvorum φρονημα ἐχθρα εἰς τὸν Θεὸν τῷ γαρ Θεῷ νόμῳ οὐχ ὑποτάσσεται, οὐδε γὰρ δύναται *Rom.* 8, 7. conversantur in desideriis carnis, facientes voluntatem carnis & cogitationum *Ephes.* 2, 3. alienati â vita Dei *Ephes.* 4, 18.

V. Ex his & similibus dictis sic argumentamur. *Qvacunqve Natura, in propriis Viribus considerata, ex se & per se, ad Bonum spirituale non accedit, sed magis magisqve ab eo recedit; illa nullas habet vires, ad illud efficiendum. Sed de Natura Humana non-Renata Verum prius E. & posterius.*

VI. 2. In dictis, de Insigni Depravatione Intellectus & Voluntatis, in Homine peccatis infecto, qvæ legantur *l. 6. controv. 2. c. 1. qv. 1.* Hæc constituunt tale argumentum: *Qvorum nec intellectus, nec Voluntas, ex propriis insitisqve viribus cognoscere vel appetere valet actus pietatis, Deo placentes, illi suam Conversionem nec excitare, nec adjuvare, nec efficere possunt.* At *Hominum Non-Renatorum nec Intellectus, nec voluntas &c.* E. *Minorem* probamus ex dictis citatis dicto loco. In qvibus prælucet dictum Apostoli 1. *Cor.* 2, 14. propter (1) Vocem ψυχικὸς, qvæ aliis in dictis significat hominem, â Spiritu S. nondum renatum & conversum, qvalis est iste, qvi peccato natus & conceptus, expers istius gratiæ, qvæ est, in renatis & justificatis. *Jacob.* 3, 15. *Ep. Judæ v.* 19. (2) Vocem δέχεσθαι, qvæ aliis in locis notat assensum mentis *Actor.* 8, 14. *c.* 17, 11. (3) Consequentiam validam, qva infertur: qvod illi, qvi ex se & suis viribus non possunt agnoscere Voluntatem Dei, multo minus possint eidem obtemperare. (4) Oppositionem Hominis ψυχικῦ & πνευματικῦ *v.* 12. qvæ non permittit, ut ψυχικὸς vel de solo appetitu sensitivo, vel de Homine toto viribus spiritualibus, aliqva ex parte, instructo, accipiatur.

VII. 3. In Dictis, qvæ reqvirunt in Homine illuminando, convertendo & renovando Revelationem Patris, qvæ non est â carne & sanguine *Matth.* 16, 17. *cap.* 11, 27. tractum Patris cœlestis, qvo ἑλκύει hominem ut audiat & discat, qvomodo possit venire ad Christum *Joh.* 6. *v.* 44. 45. Christi auxilium & succum spiritualem, sine qvo homines sunt arescentes palmites, & nihil possunt facere, ὰ δύναμαι ποιεῖν ἀδέν *Joh.* 15, *v.* 6. ἱκανότης ἐκ τοῦ Θεοῦ, sine qva non sumus ἱκανοὶ ἀφ' ἑαυτῶν λογίσασθαι τι 2. *Cor.* 3, *v.* 6. τὸ velle datum â Deo *Phil.* 2, 29. Spiritus S. assistentiam, sine qva Nemo Christum potest vocare Dominum 1. *Cor.* 12, 4. Ex his apparet luce meridianâ clarius, qvod Homo in sua Conversione propriis Viribus non possit 1. cognoscere mysteria fidei 2. venire ad

Christum h. e. credere in Christum 3. ullos fructus bonos efficere, qvi grati sint Deo 4. ulla vi inchoare suam Conversionem, cum & τὸ λογίσασθαι & τὸ θέλειν in spiritualibus Bonis, ipsis denegetur.

VIII. 4. In phrasibus metaphoricis, qvibus utitur Spiritus S. in describendâ Hominum conversione, qvam depictam legimus, ut circumcisionem cordis, *Deut.* 30, 6. ut vivificationem, qva mortuus excitatur *Esa.* 57, 15. *Joh.* 5, 25. *Ephes.* 2, 1. *Coloss.* 2, 13. ut ablationem Cordis lapidei, & donationem cordis carnei, *Ezech.* 36, 20. *cap.* 11, 19. illuminationem Cæcorum, *Esa.* 42. 7. *Actor.* 26, 18. 1. *Cor.* 4, 6. *Ephes.* 1, 18. liberationem captivorum, *Rom.* 6, 17. 18. *c.* 7, 24. 25. 2. *Tim.* 2, 26. & apertionem cordis *Actor.* 16, 14. Sicuti autem patientes duntaxat, non autem agentes & ἐνεργητικοὶ possunt dici, qvi circumciduntur, â mortuis excitantur, corde carneo donantur, visum recipiunt, è vinculis liberantur & qvorum janua cordis reseratur; ita etiam homines in sua Conversione patiuntur actionem Dei, & ex suis viribus neqvaqvam DEO cooperantur.

IX. 5. In Exemplis illorum, qvi vixerunt in scholis Prophetarum, Christi & Apostolorum, nullamqve δύναμιν ἐνεργητικὴν vel συνεργητικὴν attulerunt ad suam Conversionem; conqveritur enim de his Spiritus S. qvod ad Conversionis gratiam oblatam adduxerint cor non intelligens, oculos non videntes, aures non audientes *Deut.* 29, 4. Cor pravum super omnia *Jerem.* 7, 9. cor incircumcisum & aures non circumcisas *Jerem.* 9, 26. *Actor.* 7, 51. Naturam, qvæ similis malis arboribus, & Viperis, qvæ ex se suaqve indole non parturiunt fructus bonos, & fœtus non venenatos *Matth.* 7, 17. 18. *Luc.* 3, 7. *Matth.* 12, 34. Mentem, qvâ Christi verba non intellexerunt, *Luc.* 18, 34. non viderunt, videntes, non audiverunt nec intellexerunt, audientes *Matth.* 13, 13. fuerunt sine intellectu *Matth.* 15, 15. habuerunt καρδίαν πεπωρωμένην *Marc.* 3, 5. *cap.* 6, 52. *cap.* 8, 17. fuerunt ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ τοῦ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐλάλησαν οἱ προφῆται *Luc.* 24, 25. non intelligentes & non reqvirentes Deum *Rom.* 3, 9. 10. Seqvitur ex his vicissim; Homines peccato corruptos ad gratiam Dei, oblatam in prædicato verbo, nudam afferre δύναμιν ἐνεργητικὴν, qvâ cooperentur, qvando convertuntur.

IX. 6. Confessionibus Regeneratorum, qvâ suam & aliorum conversionem soli divinæ gratiæ ferunt acceptam, studiose præcaventes ne ulla sibi gloriationis materia in propriis Viribus & operibus remaneat. 1. *Paral. ult. v.* 13. 14. *seqq. Psal.* 43, 3. *Psal.* 119, 34. *v.* 125. *v.* 176. *Jerem.* 17, 14. *cap.* 31, 18. *Thren.* 5, 21. *Rom.* 9, 16. 1. *Cor.* 4, 7. *Ephes.* 2, 8. 9. 10. *Tit.* 3, 5.

2. Tim.

2. *Tim.* 1, 9. *&c.* Confer. *Chemnit. in Exam. pag.* 121. *Hunn. tom.* 1. *oper. pag.* 479. *Gerh. tom.* 2. *Loc.* 14. §. 34. *Meisn. in Anthrop. S. Dec.* 3. *disp.* 2. *qu.* 5.

## ANTITHESES.

I. Fastuosa Hominum Ingenia in Ecclesia N. T. subinde sese prodiderunt, qvod soli Deo Conversionis gloriam invideant: Nam Pelagius docere non erubuit Hominem sine gratiâ Dei posse credere & facere omnia præcepta divina: Hanc doctrinam ut nimium inflatam & superbientem, deinceps aliqva ex parte depressit, cum asseruit, Deum suâ gratia prævenire Hominem, ut facilius impleat Dei præcepta & sese convertat. *August. de Hæres. cap.* 88. *lib.* 1. *contra Pelag. cap.* 19. *Chemnit. in Loc. p.* 1. *pag.* 201. *D. Meisn. d. l. q.* 1. 2.

II. Semipelagiani dictitarunt; Initium Conversionis & Fidei esse ex nobis, Complementum ex Deo *August. in Epist. Prosperi & Hilarii.*

III. Scholastici Bonos liberi Arbitrii motus, qvales homo Non-Renatus, sine speciali Regenerationis gratia elicere potest, ultra suam sphæram evexerunt, qvando jactitarunt; 1. Animam remotione obicis, & bono motu in Deum, ex arbitrii libertate elicito, mereri posse de congruo primam gratiam. *Biel. l.* 2. *sent. d.* 27. *q. un. art.* 4. *Thom. parte* 1. 2. *q.* 114. *art.* 6. 2. Liberum Arbitrium ex solis naturalibus, qvoad substantiam Actus posse implere legem Dei *Biel. l.* 2. *sent. dist.* 28. *q. un. art.* 2. *lib.* 3. *sent. dist.* 27. *qu. un. art.* 3.

IV. Pontificii hodierni & Jesuwitæ Liberum arbitrium in Homine Non-Renato comparant 1. devincto soleis ferreis, qvi incedendi δύναμιν licet habeat, non tamen ea potest uti ut in actum prodeat, nisi vincula rumpantur. *Andrad. in Defens. Concil. Trid. sess* 6. *can.* 4. 2. ægroto, cujus vires dum morbo fractæ, debilitatæ atqve attenuatæ sunt. Medicus vires, qvæ adhuc reliqvæ, confirmat & roborat & si qvæ sunt amissæ, restituit. *Andrad d. l.* 3. Homini in foveam lapso & dormienti, qvem amicus è somno excitat excitatum monet eiqve funem porrigit, ut è fovea extractus, lumine Solis illustretur. *Costerus de Lib. Arb.* 4. potentiæ videndi, qvæ, absente specie sensibili, est remota & qvasi ligata, qvandò autem accipit speciem potentia perficitur & prodit in actum: Ita etiam potentia proxima ad operandum, per Dei gratiam confertur libero Arbitrio, qvod potentiam remotam in se habet. *Bellarm. l.* 6. *de Lib. arb. cap.* 15.

V. Photiniani, Voluntatem Humanam ut Conversionis causam commendant, *Smaltz. disp.* 8. *contra Frantz. pag.* 411. Hominis Voluntas libera licet non sit causa Conversionis prima & potissima, talis tamen causa

causa est, sine qva nulla unqvam futura sit conversio. *Idem. d. l. p.* 419. negat, Spiritum S. solum, efficere assensum mentis, conversionem ad Deum, cognitionem Christi & fidem in eum. Econtra affirmat Smaltz. graviter hallucinari Frantzium, dum ait, Hominem non-Renatum nihil posse in Spiritualibus &c. Confer *Socinum de Christo Servat parte 4. cap. 12.*

VI. Qvidam asseruerunt, Homines sola Notitia Dei naturali salvari, de qvibus Vide *lib. 2. controv. 1.*

VII. Synergistæ (qvorum primipilus fuit Erasmus Roterodamus, Succenturiator Philippus Melanchthon, ὑπερασπιστὴς Victorinus Strigelius) qvandam vim cooperantem Homini non renato in Conversione promovenda tribuerunt. Vide *Strigel. in L. de lib. Arbit. Lipsiæ prælecto Pezel. in Explicat. Exam. pag.* 518. *Pheffinger in Disput propos.* 34. *Lasium in libro* von der *Flacianer* Klotzbuß / *cujus* hæc sunt Verba: Der Heil. Geist bläset ein Fünclein Göttlicher Erkäntniß ins Hertze; Auff diß Fünclein folget alsobald kräfftige Neigung des Willens / da nun dieselbige der Mensche nicht zurücke stosset / sondern folget der angeregten Neigung / erschwinget sich die begierende Krafft des Willens ins Wort. b. 4. Vide etiam D. 2. Confer. *Hutter. in E. Conc. p.* 196. *Schlüsselb. Catal. t. p.* 51. *sqq.*

## HYPOTHESES.

I. In hactenus descriptis opinionibus regnat Excessus, qvo vires Liberi Arbitrii post lapsum superstites nimium evehuntur. Huic Excessui addicta manet Ratio nostra, nisi diversos status Liberi Arbitrii distinguat, qvi alius est *ante lapsum Hominis*, de qvo Siracides loqvitur *cap.* 15, 14. Alius *post lapsum*; qvi rursus vel in Natura *destituta*, vel in Natura *Restituta per gratiam*, vel in Natura *restituta per gloriam*: Scripturæ itaqve Dicta de liberi arbitrii viribus qvibus Renati Deo cooperantur, recipiunt Christum *Joh.* 1, 12, 13. petunt Spiritus S. assistentiam *Luc.* 11, 13. obediunt Deo *Actor.* 5, 32. emundant se â peccati sordibus 2. *Tim.* 2, 21. expurgant vetus fermentum 1. *Cor.* 5, 7. mundant sese ab omni inqvinamento carnis & Spiritus 2. *Cor.* 7, 1. &c. non probant vires Liberi Arbitrii in Natura *destituta*, & in Homine nondum renato: De libero Arbitrio in statu gloriæ nulla hîc est controversia.

II. Ineptæ sunt sequelæ qvibus ex ἀδυναμίᾳ Liberi arbitrii in actibus, qvibus Homo convertitur & regeneratur, infertur. 1. Amissio ipsius voluntatis qvæ Animæ Rationalis ut est potentia, per lapsum non est amissa, licet ejus sit amissa ἐνέργεια in Actu Conversionis. 2. ἀδυναμίαν in civilibus & externis actibus, ut etiam usu mediorum, qvibus

bus homines ordinarie convertuntur; qvam præcedenti qvæstione confutavimus 3. Destructio liberi arbitrii in malis actibus, qvod proh dolor! oppido manifestum. 4. Absolutum Dei decretum, de Hominibus vocandis, convertendis & salvandis, qvod suis locis rejecimus, & ostendimus, qvod illud non seqvatur ex ἀδυναμίᾳ Liberi Arbitrii in spiritualibus actibus. 5. Conversio irresistibilis; cum possit impedire Homo suam Regenerationem, qvam neqvit efficere, uti *c.* 2. edocebit. 6. Conversio violenta, qvæ fit per Coactionem; qvâ seqventis q. ἀνάλυσις depellet: In his & similibus opponuntur meri παραλογίσμοι πρὸς τὸ ἐπόμενον, & si constanter presseris Antagonistas, ut probent ex S. Scriptura Consequentias allatas, de Victoria non dubitabis.

III. Cavebis in hâc Disputatione ψευδεξηγήσεων, qvâ delectantur, qvi vires liberi Arbitrii extorqvere nituntur 1. ex dicto *Genes.* 4. *v.* 7. qvo docetur, qvod Homo Renatus pravis Cupiditatibus & desideriis possit resistere, non docetur, qvod suis viribus Non-Renatus possit cooperari ad suam conversionem, 2. ex dictis *Deut.* 8, 2. *cap.* 13, 3. qvibus docetur, qvod Deus tentet renatos; ut innotescat in Ecclesiâ illorum pietas; non docetur, qvod non-Renati ex propriis liberi arbitrii viribus possint timere Deum & eum diligere: qvorum enim in cordibus nondum est vera Dei dilectio, illa per tentationes non possunt examinari, ut illa Dilectio nota fiat. 3. ex concione Mosaica *Deut.* 30, 11. & 19. in qvâ sermonem habet Vir Dei (1) de perspicua Voluntatis divinæ revelatione; non de facili Legis impletione qvæ fit solis Naturæ Viribus: Vide de hiis suo loco (2) de lege & Evangelio, uti exponit Apostolus *Rom.* 10, 6. non de solâ lege. (3) de Electione Voluntatis Renovatæ, non vero de electione voluntatis non renovatæ, cui non congruit obedientia, qvâ Moyses præcipit, nec dici potest, qvod Moyses hunc sermonem habuerit ad Infideles & simpliciter non-Renatos. (4) ex verbis Josuæ *c.* 24, 15. in qvibus cum Renatis tractat Josua, de cultu Dei externo, qvê ex viribus liberi arbitrii qvod possint renati præferre idololatrico cultui gentilium nemo negat. (5) ex dicto *Sap.* 6, 8. qvo negatur πρόνοια Dei, in universali cura, qvâ omnium curam agit suâ providentia. (6) ex dictis, qvibus in salvandis Hominibus Deus describitur ut ἀπροσωπολήπτης *Actor.* 10, 34. *Rom.* 2, 11. 1. *Petr.* 1, 17. Hæc recte evincunt; Deum non respicere in Conversione, Hominum merita, privilegia, sexum, statum, &c. qvod autem in omnibus attendat συνεργίαν liberi arbitrii, qvando eos salvat; plane non docent hæc dicta. (7) ex verbis *Joh.* 1, 9. de qvibus & similibus videbis suo loco.

IV. Accurate dignoſcenda Dei *præcepta*, qvibus exigit obedientiam juxta legem moralem, ab *Invitationibus ad pœnitentiam & mortificationem veteris Hominis. Illa* enim ſunt ex ſola Lege; *Hæ* ex Lege & Evangelio. *Illa* repoſcunt perfectionem, in Creatione primis Hominibus datam: *Hæ* novam obedientiam ex novo fœdere reqvirunt; qvæ qvod in Adamo fuerit, dici neqvit; qvia ille non amiſit contritionem ob peccata, fidem in Chriſtum & vires, qvibus Homo lapſus in peccatum reſurgit, adhærens peccatum mortificat, ejusqve dominium reprimit: In *illis* vel præcipitur *Exterior obedientia*, qvalis etiam in civilibus legibus demandatur, & probat illas Liberi Arbitrii vires, qvas in inferiori Actionum Civilium Hemiſphærio admiſimus: vel *externa* & *interna* obedientia, in qva â præcepto ad poſſe non valet conſeqventia, qvia ſuo loco demonſtrabitur, qvod etiam Renati non poſſint perfecte implere legem Dei: Uti ergo ex præceptis, qvibus ſurdi jubentur audire, cæci videre *Eſa.* 42. *v.* 18. mortuis præcipitur, ut reſurgant *Matth.* 9, 25. *Joh.* 11, 47. *Actor.* 9. v. 40. non ſeqvitur, qvod hi ex propriis viribus poſſint audire, videre & â mortuis reſurgere, qvia manifeſtum eſt, qvod in his nullæ ſint vires, qvibus poſſint recipere auditum, viſum & ipſam Vitam: ita etiam ex præceptis, qvibus perfectam Lex præcipit obedientiam, non ſeqvitur, qvod Homines poſſint præſtare hanc obedientiam, qvia alia S. Scripturæ dicta evidenter docent, qvod Homines poſt lapſum Legem perfecte adimplere neqveant: Interim legis perfecta obedientia illis inculcatur, qvibus ea eſt impoſſibilis, ut 1. intelligant, qvid Deo debeant, jure perceptæ Integritatis, qvam omnes in Adamo ſunt adepti. 2. recogitent, qvalis ſit amiſſa rectitudo. 3. contendant ad Chriſtum, cujus juſtitia dum fit noſtra, juſtificatio Legis impletur in nobis *Rom.* 8, 3. 4. agnoſcant ſuorum operum imperfectionem, futuramqve perfectionem, qvam expectamus in alterâ vita.

V. In *invitationibus ad pœnitentiam & adhortationibus ad auferendum peccati Dominium*, diverſam conſiderationem habent 1. *Abſentes*, qvi nondum acceſſerunt ad veram fidem & pietatem. 2. *Recedentes* qvi â pietatis tramite diſcedunt. 3. *Accedentes* qvi incitantur ut alacres & perſeverantes in ſtadio currant ad præfixam metam. Iſti vel invitantur ad Converſionis medium, ut audiant Verbum Dei *Pſ.* 49, 2. *Eſa.* 34, 1. *Jerem.* 6. *v.* 18. *cap.* 31, 10. vel avocantur ab enormibus ſceleribus, qvæ & recta ratio evitare jubet *Dan.* 4, 24. *Actor.* 14, 15. vel etiam informantur de DEI Conſilio & voluntate, qvâ vult, ut pœnitentiam agentes & credentes ſalvi fiant *Actor.* 2, 38. *cap.* 16, 31. *cap.* 17, 30. Nunqvam autem præci-

ptur

pitur illis, qvi vivunt extrâ Ecclesiam, ut propriis liberi arbitrii viribus sese ad Deum convertant: Laudes & alios fidei fructus præcipit Spiritus S. conversis & jam renatis gentibus, uti constat ex *Rom.* 10, 14. *seqq. cap* 15, 9. *seqq. Illis* qvandò præcipitur conversio & pœnitentia, qvod sæpissimè fit in scriptis propheticis, *Esa.* 1, 6. *Jerem.* 3, 12. *Joel.* 2, 13. *Amos.* 5, 14. *Zachar.* 1, 3. in concionibus Johannis Baptistæ *Matth.* 3, 2. Christi *Marci* 1, 15. *Matth.* 11, 28. & Apostolorum. *Actor.* 8, 22. &c. Voluntas impellitur, ut viribus â Spiritu S. donandis operetur: Præsupponitur enim in omnibus hisce admonitionibus auditus verbi, qvo illi fruuntur, ad qvos hæ deferuntur παρεμπέσεις, & sic exigitur, ut non obdurent corda sua qvoties audiunt vocem Domini *Ps.* 95, 8. *Hebr.* 3, 7. ut ducti & docti â Spiritu S. revertantur ad viam justitiæ, qvam dereliqverunt: *Hi* qvia renati sunt & in Spiritu vivunt, possunt etiam in Spiritu ambulare *Gal.* 5, 25. Hinc præcipitur ipsis, ut novent novalia, non ferant super spinas, circumcidant se Domino & auferant præputia suorum cordium *Jerem.* 4, 3. 4. ut faciant sibi cor novum & Spiritum novum *Ezech.* 18, 31. exuant veterem Hominem & induant novum *Ephes.* 4, 22. Coloss. 3. v. 9. 10. &c. In qvibus & similibus non præcipitur, ut Homines suis viribus sese convertant ad Deum, sed illis, qvi jam conversi & justificati sunt, injungitur, ut sincere sine hypocrisi pietatem excolant, in Renovatione indies proficiant, in novitate vitæ ambulent, peccato non serviant, vivantqve Deo, ne regnet peccatum in mortali corpore, nec obediant ejus concupiscentiis, qvemadmodum hæc expositit Apostolus *Rom.* 6. *v.* 4. *seqq.*

VI. Sano in sensu accipiendæ conditiones, qvibus Voluntas includitur humana: In his enim non Voluntatis *principium*, qvo movetur, sed unicè ejusdem *Actus & exercitium* indicatur: Seqvitur ergò ex verbis Christi *Joh.* 7, 17. qvod qvis possit voluntatem Dei facere, si voluerit, sed non seqvitur, qvod *velle possit* Voluntas ex *proprio interno suo principio*: Seqvitur ex verbis *Esaiæ cap.* 1, 19. 20. qvod Homo possit velle pœnitentiam, & nolle eandem, qvod autem æqve ex se possit velle, uti potest nolle, non seqvitur, ob disparem Voluntatis humanæ facultatem, qvæ in conversionis opere nulla, in Impœnitentia eligenda satis operosa.

VII. Attendenda vera & formalis ratio *Causæ efficientis*, qvæ non est subjectum, actionem recipiens, qvod patitur, & sic proprie qvi loqvillavet, Voluntatem Hominis conversionis causis accensere non potest. Nec causa removens obstacula, dici potest causa influens ad pro-

producendum effectum, uti multis exemplis potest demonstrari; Proinde qvando Auditores verbi monentur, ut removeant obstacula, qvibus Conversio impeditur, *Luc.* 8, 18. *Apocal.* 3, 20. &c. non statim monentur, ut ipsi suis viribus efficiant conversionem: Januam qvi aperit ejus, qvi ingreditur, non efficit motum, sed obstaculum ipsi removet, qvod ingressum impedit.

VIII. Juxta phraseologiam S. Spiritus intelligas vocem *Juvare* & *Adjuvare*, qvæ in Bibliis sæpissimè de Deo enunciantur in illis Actibus, in qvibus Homo suis viribus Deo neqvaqvam cooperari voluit. Vide loca *Ps.* 37, 40. *Ps.* 46, 6. *Ps.* 94, 9. 17. *Ps.* 107, 41. *Matth.* 15, 25. *Marc.* 9, 22. *Actor.* 26, 22. &c. Si igitur legitur, qvod Deus in Conversione sit Homini Adiutor, non licet inferre, Hominem in sua Conversione Deo cooperari.

IX. Abstinebis â confusione Auxilii divini, qvod aliud est Liberationis, aliud Conversionis & sanctificationis: Illud qvando subtrahitur, non statim hoc denegatur, & hoc qvando conceditur, illud sæpè subtrahitur. De illo loqvitur Jehova *Oseæ* 5, 15. *cap.* 6, 1. *seqq.*

X. Advertas diversam operationem S. Spiritus, qvi vel Regenerat homines & præcedit fidem; vel in renatis habitat & Renovationem promovet, secundum qvam operationem seqvitur auditum fidei, & per fidem pollicitationem Spiritus accipimus. *Galat.* 3, 2. 14.

XI. Scopum consideres, in Parabolâ Lucæ 10, 30. seqq. ex qvo apparet, Christum non intendisse in hâc Parabolâ, doctrinam de Viribus Liberi arbitrii, qvibus Homo suppetias fert Deo, qvando sanatur â Vulneribus peccati. Nec vulneratus hic Imago est corrupti Humani generis, ut absolute in se consideratur; sed χριστῶς & in respectu ad Medicum, qvi ipsius misertus est: Uti autem semi mortuus ipsum Medicum non juvare potest, sed subjectum medicinæ capax offert: ita Homo peccator nullas affert vires, qvibus convertatur, sed est idoneum subjectum, in qvod agere potest Spiritus S.

XII. Diligenter expendas Exempla illorum, de qvibus dicitur, qvod in sua Conversione latentes vires Voluntatis exeruerint. Qvædam enim sunt Renatorum, ut Davidis *Ps.* 119, 12. qvædam pœnitentium, in qvibus jam Spiritus S. operatur contritionem cordis & peccati detestationem ut Acolastæ *Luc.* 15, 18. Qvædam προσηλύτων, qvi fuerunt conversi ad verum Deum Israelis, & per ministerium Apostolorum vel agnoverunt Messiam in Individuo vel miraculosa acceperunt dona S. Spiritus. Ut Cornelii Act. 10. Qvædam illorum, qvi non restiterunt contumaciter divinæ Vocationi, uti Pauli *Actor.* 26, 19. Ex qvibus omnibus

bus nulla συνέργεια Liberi Arbitrii in Actu Conversionis evincitur.

XIII. Promissiones & Comminationes discas æstimare ex Naturâ doctrinæ cui additæ: Si Legis offeruntur promissiones, illæ præsupponunt obedientiam perfectam, qvæ post lapsum impossibilis, & hinc extrâ Christum promissa Bona â lege totaliter nemini dantur; Externa autem & temporalia præmia dantur etiam interdum Impiis & non-Renatis, propter externam obedientiam, in qvâ liberum arbitrium superesse, concessum est. Evangelicæ promissiones sunt ὄργανα Spiritus S. qvibus excitatur Fides, & præsupponunt Non-Repugnantiam in auditoribus. Confer *Chemnit. in Loc. parte* 1. *pag.* 194. 207. *Hutter. in F. Conc. p.* 210. *in Loc. Th. p.* 285. *Hunn. tom.* 1. *oper. col.* 486. *Meisn. Dec.* 3. *Anth. disp.* 3. *q.* 1.

## Qv. III. *Num ergo Homo convertitur u. c. lapis & truncus, sine ullo motu suæ Mentis & Voluntatis?*

## THESES.

I. BAsilius *M. Epist.* 41 de *Dionysio* qvodam sic scribit: *Soleo illum similem æstimare Plantatori cuidam, qvi recentis plantæ correcturus aversionem, ita immoderate illam retorqvet, ut â medio aberret & ad contrarium latus ramulum abducat.* Tale qvid ab hoc Viro factum deprehendimus cum enim vehementer impietati Lybianæ (*Sabellio*) resisteret, non observavit, quam in contrarium malum nimio contendendi studio abduceretur. Repetimus haud inconcinne hanc *Basilii* Narrationem in præsenti disputatione, qvâ dum qvidam restiterunt Liberi Arbitrii Patronis, â media via deflexerunt, asserendo, qvod vel *motu violento* vel inevitabili fato, vel *raptu immediato*, vel *novæ substantiæ creatione*, vel *gratia irresistibili* convertantur homines non renati. Ultimum modum defendunt *Calviniani*, de qvibus seq. cap. qvæstio movenda: Qvartum *Flacius* cum Asseclis approbavit, qvem alibi refutavimus. Tertium ut *Enthusiasticum* præc. disp. eliminavimus. Secundum ut *Valentinianis*, *Marcionitis* & *Manichæis* proprium, Ecclesia jampridem damnavit.

II. De *primo* qværitur hoc loco, qvem reprobare jubet ipsa Natura Animæ rationalis, qvam dum peccato penitus subversam, negant Sacræ literæ, non potest non fieri conversio cum motu qvodam mentis & Voluntatis, nisi Animatam & qvidem rationalem substantiam credere velimus inanimatam, insensilem & irrationalem. Sit ergo in conspectu Differentia inter Hominem & inter truncum, qvi cæditur, lapidem qvi explanatur & ceram, cui effigies imprimitur: In his 1. nulla capacitas, ad recipiendam DEI gratiam, qvæ regenerat atqve convertit. 2. nullæ

nullæ vires ad apprehendenda ordinaria Conversionis media. 3. nulla resistentia, qva possint resistere causis ad agendum sufficienter instructis. 4. nulla lucta cum causa agente. Qvæ omnia locum inveniunt in Homine

## ANTITHESES.

Calumniantur idcirco omnes illi, qvi doctrinam nostram accusant qvasi illa homines in truncos & lapides transformet, negando, Voluntati Non-Renatæ omnes vires, qvibus in Conversionis actu Deo possit Cooperari.

## HYPOTHESES.

Horum Theoninum dentem evellemus, I. Explicando phrases nostras, qvibus Voluntas nostra in conversione comparatur *lapidi* & *truncо*: Simile hoc in multis est dissimile, & convenit unicè in defectu ἐνεργείας, qvi non minor est in homine convertendo, atqve in trunco & lapide cui forma qvædam imprimenda.

II. Distinguendo inter *Capacitatem Activam & passivam: Illam* Voluntati humanæ subtrahimus, *hanc* & qvidem *obedientialem* ei relinqvimus, & docemus, qvod sit subjectum aptum, ex Dei ordinatione, qvod recipere debet Actionem S. Spiritus, qvi convertit Homines.

III. Ostendendo repugnantiam qvam tollit Spiritus S. Hæc non est *Actualis*, sed *originalis*, & tollitur, qvando Vires dantur, qvibus agnoscuntur ignota & volens fit ex nolente. Qvod autem Homo convertatur, qvando actualiter, contumaciter & malitiosè repugnat, θεοπνευστον non est δόγμα.

IV. Declarando Libertatem â Coactione, qvæ cum necessitate, servitute & Immutabilitate certis in subjectis consistit. Deus est liberrimum agens, & tamen immutabiliter bene agit. Angeli Sancti, in statu Integritatis confirmati, non coactè sed libere agunt, utcunqve malè agere & peccare non possint. Sic voluntas humana qvamdiu peccati labe contaminatur, originali peccato servit & captivata non potest non male agere, interim, qvoad Specificationem actus, manet libera, qvatenus hoc malum eligere & illud aversari potest, hoc aversari & illud eligere. Peccant itaqve Homines ex necessitate peccati adhærentis, & tamen non coactè, ob Naturam Appetitus Rationalis, qvo modò ad hoc, modò ad illud objectum sese potest determinare. Excipit qvidem *Bellarm. lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 5.* etiam pueros, furiosos, Ebrios & Bruta libero agere posse si libertas cum qvadam consistat necessitate. At confundit *appetitum Rationalem* cum *Appetitu sensitivo*, qvi in pueris, furiosis & Ebriis dominatur absqve usu Rationis, & Naturæ instinctu, qvo Bruta feruntur in pabulum.

V. Ex

V. Exculando phrasin *B. Lutheri*, qva *Liberum arbitrium* dixit *Servum*, non in sua Natura, neqve in Actionibus Civiliter bonis, sed ob pravam Concupiscentiam, qva captivatur in Actionibus spiritualiter Bonis & ob servitutem spiritualem, qva servit peccato *Joh. 8, 34. Rom. 6, 20. cap. 7, 23.* Confer *D. Meisner. parte 2. Phil. sob. sect. 1. cap. 1. qv. 26. parte 3. sect. 1. cap. 1. qv. 2. Dec. 3. Anthrop. S. disp. 1. qv. 2. D. Behm. disp. 2. in Lib. D. Lutheri de Servo Arbitr. pag. 25.*

VI. Distinguendo agendi modum, in conversione, qvi alius est in *conversione subitanea & Extraordinaria*, alius in *Successiva, lenta & ordinaria*, *Illa* aliqvo modo est violenta, qvatenus vel per Apparitiones singulares, vel per miracula, vel alia media Extraordinaria Voluntas trahitur ad obediendum divinæ Voluntati. *Hæc* fit per Verbum & Sacramenta, habetqve suos *progressus* ac *gradus*, nec absolvitur in Instanti: Nam per verbum auditum, lectum, consideratum Spiritus S. in Adultis illustrat intellectum, ut cognoscat peccati atrocitatem & mysteria Fidei, renovat insuper Voluntatem ut confidat Evangelio & delectetur Lege Dei: Liberata sic Mens humana & novis viribus exornata, cooperari incipit Spiritui S. Non igitur Spiritus S. in prima Conversione utitur Voluntate ceu *Instrumento naturali*, nec ut *Instrumento συνέργῳ*; sed ut *subjecto*, in qvo suadendo, monendo, explicando & inculcando doctrinam Evangelii operatur habitus & actus spirituales. Potentias intelligendi & volendi in convertendis invenit Spiritus S. qvibus novos habitus superaddit, ut agere possint ea, ad qvæ per naturam sunt prorsus ineptæ & emortuæ. Confer *Chemnit. in Loc. parte 1. pag. 199. 200. Hutter. in Loc. Theol. pag. 283. seqq. & in Form. Concord. pag. 152. 239. Meisn. Dec. 3. Anth. disp. 2. qv. 3. & 4. Pezel. parte 2. object. pag. 324. seqq.*

# CAP. II.

## DE GRATIA CONVERTENTE IN DEO.

*Vita non est nisi in Conversione*, rectissime olim exclamavit pius *Bernhard. de Convers. cap. 1. fol. 413.* Ante Conversionem nostram mortui eramus in peccatis. Ex hac morte suscitat nos Deus per gratiam suam convertentem ad vitam. Qvam incapax hic homo sit sibi relictus in *præced.* jam *cap.* ventilavimus, de mediis, qvibus hic Deus utitur, *Controv. 5.* diximus. Pauca illa qvæ adhuc restant in præsenti nunc capite exantlanda erunt.

Qv. I.

Qv. I. *Estne Gratia DEI, qva homines converuntur, simpliciter irresistibilis?*

## THESES.

I. PEr *Gratiam DEI* in qvæstione hâc intelligitur gratiosa Dei operatio, qva per Verbum & Sacramenta homines non-Renatos convertit & regenerat: Huic operationi etsi non resistant, qvotqvot convertuntur; tamen omnes qvod resistere possint, qvando illa offertur in mediis ordinariis, & qvod Deo, per media laboranti in Conversione hominum, homines possit obicem ponere & resistere, docent distinctæ Classes Hominum, qvi vocantur ad pœnitentiam:

II. Nam in *Classe* I. *sunt Contemptores Incitamentorum*, qvibus instigantur, ut accedant ad Ecclesiam & audiant Dei Verbum. Qvalis Dei sit intentio, cum offert hæc Adminicula docuimus *Controv. 3.* Qvod autem his incitamentis multi obicem ponant & *Experientia* & *S. Scriptura* attestatur. *Illa*, qvia monstrat Turcas, paganos Judæos, qvi nullo studio dignantur scriptum Dei Verbum, qvod tamen omni ex parte, omnes non agnoscunt, ut confictum ab Hominibus. Turcæ multa agnoscunt ut veritati consona, qvæ leguntur in Bibliis, Judæi V. T. libros recipiunt ut θεοπνεύστους, nec tamen permoveri se patiuntur illi, ut Alcorano, hi ut Thalmud scripta Biblica V. & N. T. præferant: Pagani, dum non accedunt ad Ecclesiam qvæ ubi sit, ignorare neqveunt, supinam suam produnt negligentiam non deferentes honoremullum Verbo illius DEI qvod qvi sese revelarit, in Ecclesia, abunde ipsis significatur. *Hæc*, qvia de qvibusdam gentibus affirmat, qvod sint inexcusabiles cum veritatem Dei in injustitia detinuerunt, Deum, qvem agnoverunt, non glorificarunt ut Deum, & commutaverunt veritatem in mendacium *Rom.* 1, 18. 20. 25. Confer *cap.* 13 *in lib. Sap.*

III. In *II. Classe* sunt *Hæretici* & ab *hæreticis seducti*, qvorum Conversionem Deus qværit, cum excitat Doctores, qvi δύνανται ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας. Horum labores qvidam floccipendunt, & inqvisitionem veritatis adhibent nullam, uti Athenienses *Actor.* 17, 33. vel scientiam repellunt *Osea* 4, 6. vel honores hujus seculi præferunt gloriæ apud Deum *Joh.* 1, 42. 43. vel decipiuntur per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem Hominum & Elementa mundi *Coloss.* 2, 8. vel circumferuntur omni vento doctrinæ in neqvitia & astutia hominum ad circumventionem erroris *Ephes.* 4, 14. vel sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervant sibi Magistros, prurientes

rientes auribus. 2. *Timoth.* 4, 3. vel blasphemant & persequuntur contra Conscientiam, Veritatem cœlestem *Luc.* 11. *v.* 15. 53. 54. *Actor.* 13, 45. 1. *Timoth.* 4, 2. *Tit.* 3, 11. Hi & similes qvoties ad Veritatem agnoscendam invitantur scriptis vel viva voce, toties resistunt ordinariæ Dei operationi, qva Conversioni seductorum viam sternit.

IV. *In III. Classe* sunt respuentes ministerium Verbi & Sacramentorum, qvales in veræ Ecclesiæ gremio haud raro conspiciuntur. Hi nolunt audire, qvando ipsis annunciatur reqvies *Esa.* 28, 12. dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere nobis ea, qvæ recta sunt *cap.* 30, 10. 11. *seqq. v.* 16. *seqq.* Fit eis verbum Domini in opprobrium & non suscipiunt illud *Jerem.* 6, 10. habent verbum pro mendacio *Jerem* 43, 2. invitati ad Nuptias nolunt venire *Matth.* 22, 3. repellunt Verbum Domini & indignos se judicant vita æterna *Actor.* 13, 46.

V. In *IV. Classe* sunt *refractarii* & *contumaces*, qvi enormia scelera, qvæ etiam recta ratio dissuadet, pertinaci sectantur animo; utcunqve sæpissimè invitantur ad pœnitentiam. Hujusmodi impœnitentes describuntur ut resistentes Spiritui S. *Actor* 7, 51. ambulantes ex adverso contra Dominum *Levit.* 26, 21. 23. 27. 40. contentiose agentes contra Dominum *Deut.* 3, 27. ferventes animo suo contra Dominum *Prov.* 19, 3. non aspicientes, qvando Deus extendit manum suam, despicientes Dei Consilium & negligentes increpationes. *Prov.* 1, 22 *seqq.* nolentes ambulare in viis Domini uti Deus exoptat *Ps.* 81, 13. 14. ambulantes in via non bona post cogitationes suas *Esa.* 65, 6. non respondentes Deo vocanti nec audientes, sed eligentes, qvæ Deus non vult *Esa.* 65, 12. *cap.* 66, 4. *Jerem. cap.* 6, 16. *cap.* 16, 12. *Jerem.* 7, 23. 24. vertentes terga, non faciem *Jerem.* 32, 33. dicentes, faciemus omne verbum, qvod egreditur de ore nostro. *Jerem.* 44, 16. magis amant tenebras qvam lucem, *Joh.* 3, 19. diligentes infantiam & odio habentes scientiam *Prov.* 1, 22. spernentes Dei consilium adversus semetipsos *Luc.* 7, 30. non agnoscentes tempus visitationis suæ *Luc.* 19. *v.* 44. nolentes venire, Christus eos vult congregare *Matth.* 23. *v.* 27. *Joh.* 5. *v.* 34.

VI. In *V. Classe* sunt *obdurati & perversi*, qvi neqve Invitationibus, neqve increpationibus neqve Beneficiis Dei, neqve pœnis neqve Vindicta, neq; longanimitate Dei possunt flecti, ut desistant ab Erroribus & vita scelerata. Hi sunt illi, quibus cor ingravatum est *Exod.* 8, 32. *c.* 9. *v.* 35. qui sunt populi durissimæ cervicis *Deut.* 9, 6. 13. *Levit.* 26, 19. qui obdurant corda, quando audiunt vocem Domini *Ps.* 95, 8. *Hebr.* 3, 7. qui indurant cervicem suam & nolunt obedire Domino Deo suo 2. *Reg.* 17, 14.

2. *Paral.* 36, 13. *Jerem.* 7, 26. qui ſicut aſpis ſurda obthurant aures ſuas *Pſ.* 58, 5. qui renuunt accipere diſciplinam, indurant facies ſuas ſuper petram & nolunt reverti *Jerem.* 5, 3. qui ſunt filii dura facie, indomabili corde, & domus exaſperans. *Ezech.* 2, 4. 5. qui habent oculos ad videndum & non vident, aures ad audiendum & non audiunt *Ezech.* 12. *v.* 2. *Matth.* 13, 14. *Actor.* 28, 27. qui nolunt attendere, avertunt ſcapulam recedentes, aures ſuas aggravant, ne audirent & cor ſuum ponunt ut adamantem *Zachar.* 7, 11. & 12. qui contemnunt divitias bonitatis Dei patientiæ & longanimitatis, ignorantes, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam invitat, hi autem ſecundum duritiem ſuam & impœnitens cor theſaurizant ſibi iram in die Iræ *Rom.* 2, 4. 5.

VII. In *VI. Claſſe* ſunt *præoccupati*, qvorum corda ſimilia ſunt vel viæ, qvando illa vitiorum & Errorum habitibus qvaſi conculcata, condenſata ac compreſſa, ut ſemen verbi in illa non recipiatur: vel terræ petroſæ qvæ non permittit, ut Verbi ſemen figat radices, qvando nimium averſantur calamitates & perſeqvutiones; vel agro ſpinis ſepto, qvæ dedita voluptatibus & curis hujus ſeculi verbum ſuffocant, uti Salvator in parabolâ docuit *Matth.* 13, 4. *ſeqq. Marc.* 4, 4. *ſeqq. Luc.* 8, 4. *ſqq.* Ad hanc claſſem pertinent etiam filii hujus ſeculi, qvi terrena cœleſtibus, caduca æternis præferunt bonis, de qvibus vide verba Chriſti *Joh.* 5. *v.* 34. 35. *Matth.* 22, 5. *Luc.* 14, 18. &c. Conf. etiam Exempla Simonis magi *Actor.* 8, 18. *ſeqq.* & Felicis *Actor.* 24, 17.

VIII. *In VII. Claſſe* ſunt ſingularis Gratiæ, qva alii fuiſſent converſi, ſi iis obtigiſſet, malitioſi deſertores, de qvibus conqveritur Eſaias in parabola de vite cap. 5. cum qvo confer *cap.* 1. *Eſa. v.* 21. *Jerem.* 2. *v.* 20. & Salvator Matth. 21, 20. ſeqq. Luc. 10, 21, ſeqq.

IX. *In VIII. Claſſe* ſunt Hoſtes, irriſores & perſeqvutores Miniſtrorum Verbi, qvi non tolerant increpantem Spiritum Domini *Geneſ.* 6. *v.* 3. extendunt manum ad præcones verbi apprehendendos 1. *Reg.* 13, 4. oderunt Prophetas Domini mittuntqve in carcerem 1. *Reg.* 22, 8, 27. iraſcuntur adverſus videntem & jubent eum mitti in nervum 2. *Paral.* 16. *v.* 10. conantur interficere prophetas 2. *Paral.* 25, 16. ſubſannant nuncios Dei, parvipendunt ſermones eorum illuduntqve Prophetis 2. *Paral.* 36, 16. igne comburunt ſcripta Prophetarum *Jerem.* 36, 23. *ſeqq.* Vertunt conciones Prophetarum in canticum oris ſui, ut ſit Propheta, qvaſi carmen Muſicum, qvod ſuavi dulciqve ſono canitur. Ezech. 33, 31. 32. odio habent corripientem in porta *Amos* 5, 10. accuſant Prophetas ut rebelles,

quorum

qvorum sermones terra neqvit sustinere. *Amos* 7, 10. ponunt in carcerem eos qvi enormia redarguunt flagitia *Matth.* 14, 3. 4. 5. *Act.* 4, 3. *c.* 5, 18. *cap.* 16, 23. contumeliis afficiunt servos Dei eosqve occidunt Matth. 22. v. 6. *cap.* 23, 34. *Act.* 5, 40. *c.* 7, 59. *c.* 7, 59. *c.* 12, 2. *&c.* irrident & Verbum prædicatum & præcones ipsos *Matth.* 9, 24. *Luc.* 23, 11. *Actor.* 2, 13. *cap.* 17, 32. *cap.* 26, 24. 1. *Cor.* 12, 13.

X. Has octo Classes tali inserimus Syllogismo. Qui possunt aspernere Externam pædagogiam & incitamenta ad media conversionis, 2. ὀρθοδοξίας propugnationem negligere. 3. respuere ministerium verbi & Sacramentorum 4. contumaciter in peccatis contra Conscientiam persistere. 5. corda sua pervertere & obdurare, ut nullis monitis, beneficiis & castigationibus avocentur â peccatis. 6. obstacula malitiosè objicere annuncia o verbo. 7. singulari gratiæ, qvâ alii potuissent converti, nuncium mittere 8. Verbi divini ministros persequi, odisse subsannare & occidere, illi ordinariæ Dei gratiæ qva vult convertere peccatores, possunt resistere. At de multis vera antecedentia. E. *Assumptionem* nemo audet vocare in controversiam, qvia eam proloqvuntur S. Scripturæ testimonia, ante allegata. *Propositioni* autem opponunt Adversarii 1. Distinctionem inter *gratiam prædicationis, & gratiam regenerationis, Externam & internam*; *illam* dicunt *resistibilem*; *hanc* vero *irresistibilem*. Hæc distinctio *petit principium*, & præsupponit, esse aliqvam *gratiam prædicationis* s. *Externam*, qvam Deus offerat absq; intentione, qva hominum regenerationem conetur efficere: Absolutum ergo Decretum dictæ distinctioni substernitur, qvod nos ut ἄπτωτον & ἀντίπτωτον supra rejecimus. II. *Resistentiam*, qva resistitur qvidem Dei ministris & Verbo annunciato, non autem ipsi Deo nec gratiæ divinæ. Hæc resistentia rursum præsupponit absolutum Decretum & Voluntatem in Deo qva non vult, qvod per ministros suos & Verbum suum proloqvitur: Notetur autem qvod *resistere*, nihil aliud sit, qvam velle contrarium ejus Voluntati, cui qvis resistit. Qvod si Deus interno & arcano beneplacito illud vult & approbat, qvod Impœnitentes agunt, hi certè Spiritui S. & Deo non resistunt; Sed hoc posterius falsum pronunciant textus citati. E. antecedens, ex qvo hoc sequitur, indubiè falsum judicant. III. *Comparationem Dei cum Vinitore Esa.* 5, 3. *Matth.* 21, 40. ex qva probare præsumunt; Deum isti Vineæ, qvæ non fert fructum, adhibere externam operam, qvalem vinitor proprie dictus impendit vineæ terrenæ, cui tamen non largitur vinitor ipsam Virtutem, protrudentem fru

ctus. Resp. est fallacia Comparationis: Deus enim confertur Vinitori non respectu virtutis fructificantis, qvæ est vineæ proprie dictæ concreata, vineæ autem spirituali per ministerium verbi & Sacramentorum communicata; sed respectu docentis, debitæ & sufficientis culturæ, qva intendit vinitor provehere vineam ad ferendum fructum. Sicut ergo ex vinitoris terreni assidua opera, cui nullus deest labor, qvem vinitor exercere potest, rectissimè infertur, vinitorem intendere & expetere, ut vinea fructum ferat; ita Deus colligi jubet ex multiplici cura, qva spiritualem prosequitur vineam, se intendere & velle, ut fructus pariat justitiæ IV. Dei *Omnipotentiam* qva multa potest vineæ suæ largiri, qvæ nondum est largitus. Resp. Non hoc negatur *v.* 4. *cap.* 5. *Esa.* sed de beneficiis, qvæ pro sua sapientia cœlestis vinitor impendere vult vineæ spirituali, negatur, qvod illi aliqvid desit: posset qvidem Deus irresistibiliter omnes convertere peccatores, sed hæc conversio suæ Sapientiæ non est congrua, qvæ reqvirit ordinariæ & Extraordinariæ Conversionis distinctionem. In dicto *Matth.* 21, 40. qvæstio movetur de pœnis, sumendis ab Agricolis: Verum *Esa.* 5, 4. qvæstio est de beneficiis, qvorum nullum defectum dum deprehendunt Israelitæ, ad qvæstionem respondere nihil possunt. Hinc cum populus Deo respondere non possit, respondet Deus *v.* 5. populo, (qvi tacendo approbarat, Deum nullis beneficiis vineæ impendendis, peperciſle) & digreditur â beneficiis ad pœnas, infligendas tot beneficiorum prodigis. V. Dei *Naturam*, in qvam non cadat Expectatio proprie dicta & voluntas, cui non respondeat eventus. Resp. Largiri nos, Expectationem, desiderium &c. de Deo dici ἀνθρωποπαθῶς, qvorum ut & similium sensus certa ex analogia hauriendus: Si jam Scripturæ dicta excutiantur, facile apparebit, Deum Θεοπρεπῶς velle, expectare & desiderare ea, qvæ non eveniunt. VI. *Vocem Jerusalem*, per qvam, ajunt, intelligi non omnes incolas Civitatis Jerusalem, sed primores, principes, Scribas, Pharisæos &c. *Respond.* Consulantur dicta 2. *Reg.* 19, 21. *Esa.* 37, 22. 2. *Paral.* 28, 10. *Jerem.* 11, 2. *cap.* 4, 5. 14. *Thren.* 2, 10. *Luc.* 13, 3. 4. *cap.* 19, 41. 42. *&c.* evidens erit, in his locis per filios Jerusalem & per Jerusalem designari omnes Civitatis incolas. VII. *Causas*, ob qvas Deus *invitet reprobos ad pœnitentiam absqve intentione* regenerandi. Hæ sunt ex Adversariorum sententia 1. Manifestatio ingentis cœcitatis & corruptionis in humano genere. 2. Patefactio ingentis misericordiæ, qvæ agnoscenda ab Electis. 3. ademptio Excusationis, ne sese excusent reprobi, si plane nullo modo sint invitati ad

pœni-

pœnitentiam. *Resp.* Dicuntur hæc, & ex sacris literis non probantur. Præterea sunt allatæ causæ ineptæ, qvia 1. corruptio humani generis satis est retecta, si nemo voluntate signi invitatur ad pœnitentiam. 2. misericordiam Dei Electi rectius agnoscerent, si reprobos plane non vocaret Deus ad pœnitentiam, sic enim certo scirent, se Electos, alios reprobos esse: Qvinam autem illi sint, qvi voluntate signi â Deo vocentur, sine speciali revelatione, scire neqveunt; Etsi enim qvidam vocati differant pœnitentiam de die in diem, non tamen omnes dijudicari possunt reprobi, cum multi in agone mortis & Vitæ sine agant pœnitentiam. 3. Impiis non adimitur excusatio, si Deus intendat nullam ipsis conferre efficacem Conversionis gratiam: Possunt enim objicere Deo, se propter peccatum omni δυνάμει, qva se convertant, esse privatos, & se non posse condemnari, qvando sibi nullam δύναμιν voluit restituere, qvam tamen aliis restituit, qvi in eadem secum corruptionis hæserint massa. Conter *Remonstrantes in Declar. art.* 3. & 4. *pag.* 21. *pag.* 59. *seqq.* D. *Hunn. tom.* 1. *op. pag.* 807. 812. *tom.* 5. *oper. col.* 437.

## ANTITHESES.

I. *Synodus Dordrecht. in Actis pag. m.* 365. ita definit: *Qvi docent, Deum in Hominis regeneratione eas suæ Omnipotentiæ vires non adhibere, qvibus voluntatem ejus ad fidem & conversionem potenter & infallibiliter flectat: Sed positis omnibus gratiæ operationibus, qvibus Deus ad Hominem convertendum utitur, hominem tamen Deo, & Spiritui regenerationem ejus intendenti & regenerare ipsum volenti, ita posse resistere, & actu ipso resistere, ut sui regenerationem prorsus impediat, atqve adeò in ipsius manere potestate, ut regeneretur, &c. eos rejicimus ut Errantes.* Vide *Judicia Parei in Act. Syn. Dordr. pag.* 312. 313. *Molinæi d. l pag.* 409 *Exterorum Theologorum pag.* 677. 683. 690. 691. 700. 705. 710. 719. 720. 725. 733. 736. 747. 755. & *Provincial. Theologorum p.* 254. 261. 269. 279. 287. 297 317. 318. 321. 334. 337. 341.

II. Muniunt hi omnes suam Thesin 1. verbis Apostoli, qvibus Conversionis opus ad solum refert Deum *Phil.* 1, 2. *c.* 2, 23. qvi aufert cor lapideum & dat cor carneum *Deut.* 29, 4. *Jerem* 31, 18. *Ezech.* 36, 26. trahit homines *Joh.* 6, 44. ex sola gratia sine ullis meritis. *Ephes.* 2. *v.* 8. 2. *Tim* 2, 25. *seqq.* 2. Similibus, qvibus Spiritus S. Regenerationem Hominum depingit ut Creationem *Ephes.* 2, 10. *Ps.* 51, 12. Resuscitationem mortuorum *Joh.* 5, 25. *Ephes.* 2, 5. Sicut ergo creatio & Resuscitatio est irresistibilis; ita etiam Regeneratio. 3. Collatione Generationis & Regenerationis; sicuti illi generandus non potest resistere ita nec huic re-

generandus. 4. Virtute convertente qvæ describitur ut omnipotentia, cui nemo potest resistere *Ephes.* 1, 18. 19. *Coloss.* 3, 12. 13. 2. *Thessalon.* 1, 11. 2. *Petr.* 1, 3. 5. consequentibus absurdis, qvæ invehit Conversio resistibilis; si enim hæc detur voluntas peccatis mortua superabit infinitam Dei potentiam, in illis, qvi non convertuntur, & in illis, qvi convertuntur, voluntas nondum renata exercebit bonam facultatem Non-resistendi, adeoqve specificabit homo non-Resistendo actionem Dei indifferentem, qvemadmodum subditi nolendo & volendo specificant actionem Principis, qvi indifferenter promittit certantibus βραβεῖα.

## HYPOTHESES.

Rationis hæc sunt propugnacula, verbo divino opposita, qvæ funditus evertuntur, retegendo sophisticas argutias, qvibus Ratio humana sese oblectat; qvando I. imaginatur sibi *gratiam Convertentem*, qvâ Deus *immediatè* hominum Animas regenerat, hancqve contradistinguit *Gratiæ Externæ*, qvæ adstricta ministerio verbi. Etsi autem non negamus, Dei gratiam *Extraordinariam* aliqvando *immediatè* convertisse Homines; *ordinaria* tamen Conversionis gratia non nisi una revelatur in Bibliis, qvæ unita est ministerio verbi, cui dum Homines resistunt, resistere dicuntur ipsi Deo & Spiritui S. Nec duplicare potest Conversionis gratiam diversus eventus & effectus: Qvemadmodum enim in Sole est una vis illuminatrix, qvam qvidam admittunt, qvidam obstacula ponendo, non admittunt; ita una Virtus Dei, unita verbi ministerio, qvam qvidam admittunt, & convertuntur, qvidam repellunt, & non convertuntur: Unde ministerium Verbi, in se unum, ex accidente fit qvibusdam odor mortis ad mortem; aliis odor vitæ ad vitam 2 *Cor.* 2, 16.

II. Nectit παραλογίσμον παρὰ τὸ ἐκόμενον, qvum sic ratiocinetur: Si homo convertendus potest *resistere* vel *non-Resistere*, opus Conversionis ex parte dependet â viribus humanis: Hujus connexionis rationem si qværas, illam nulli Scripturæ dicto innixam, experieris. Ratio suis discursibus indulgens, non videt, qvid sit, juxta doctrinam S. Spiritus *resistere* & *Non-Resistere*: *Illud* non proficiscitur ex virtute, qvâ voluntas humana prævaleat Actioni S. Spiritus, sed ex libera Voluntate, qvâ malitiam originalem auget & contumaciæ connatæ novam contumaciam addit, qvæ non admittit gratiosam Dei operationem, qva per Verbum prædicatum subministrat sufficientem operam ad hominem regenerandum. *Hoc* non tam est *agere*, qvam *pati*, & ordinariam Spiritus S. actionem admittere, perferre & tolerare. Considera omnia dicta S. Scripturæ,

pturæ, qvæ antè citavimus, aliam *Reſiſtentiam* & *Non-Reſiſtentiam* non offendes. Nulla ergo eſt hæc Conſeq. *Homo poteſt Spiritui S. monenti, invitanti, objurganti &c. reluctari, non admittendo Spiritus S. operationes, & augendo propriam ſuam malitiam. E. poteſt etiam aliqvid afferre ad ſuam Converſionem.* Nec validior eſt hæc Conſeq. *Homo poteſt pati & admittere operationem S. Spiritus, poteſt qvieſcere ab actuali repugnantia. E. Spiritui S. poteſt cooperari in ſui regeneratione.* Hæc ſi valeret Conſeq. ægrotus admittens Medicum & non repellens pharmaca, cooperaretur in reſtituenda ſanitate, cæci, ſurdi, claudi, leproſi, qvi permiſerunt, ſe Chriſto adduci, cooperati fuiſſent ſananti Chriſto, omnesqve cauſæ, removentes obſtacula eſſent cauſæ influentes in effectum, qvod ſobria & ſana Philoſophia nunqvam approbavit.

III. Similia S Spiritus, qvibus adumbrat hominum Regenerationem, pro ſuo arbitrio extendit, non reſpiciens ſcopum, ad qvem diriguntur hæc ſimilia, qvi non eſt ſitus in demonſtranda ἀδυναμία reſiſtendi; ſed potius in demonſtranda ἀδυναμια agendi & adjuvandi: Nam ſi illam & hanc homini Non-Renato denegaret Spiritus S. qvando cum confert mortuo *Epheſ.* 2, 1. cæco *Luc.* 4, 19. tenebris *Joh.* 1, 5. arbori malæ *Marc.* 7, 18. *c.* 12, 33. lapidi *Ezech.* 36, 26. neqvaqvam aſſereret, qvod mortui ambulent in peccatis *Epheſ.* 2, 5, 6. *Coloſſ.* 2, 13. cæci oculos habeant ad videndum *Ezech.* 12, 2. tenebræ poſſint non comprehendere lucem, (qvalem nunqvam tenebræ, ſed aër tenebroſus recipit) *Joh.* 1, 5. qvod arbor mala non niſi malos poſſit ferre fructus, qvod cor lapideum ita poſſit indurari, ut ſimile fiat Adamanti *Zach.* 7, 11. &c. Hæc dum aſſerit Scriptura, oſtendit, homines Non-Renatos dici mortuos cæcos &c. in reſpectu ad vitam, lucem &c. ſpiritualem; qvod autem peccatum in illis ſit res mortua, cæca &c. nec Scriptura nec Experientia admittit. Si igitur Scripturam Magiſtram, & non ſeipſam audiat Ratio, facile intelligit, qvod ſicut in multis aliis ſimilia Homini Non-Renato ſunt diſſimilia, ita cumprimis in poſſibilitate reſiſtendi, qvæ dependet â libera agendi facultate, homini inſita, maxime ſunt diſſimilia. In ſpecie de Arbore mala obſervandum, qvod huic Homo non Renatus comparetur in productione fructuum, qva ſimilis eſt homo malus arbori malæ; non autem in *modo*, qvo corrigitur mala arbor, niſi hominem velimus ſimpliciter transformare in truncum, qvi irreſiſtibili vi corrigendus. Sic *Creatio, Regeneratio & Reſuſcitatio* dijudicanda ex objecto, circa qvod verſantur: Si creatio verſatur circa Nihilum, eſt irreſiſtibilis, ſed ſi verſatur circa cor humanum, hoc poſſe reſiſtere Creationi

ſpiri-

ſpirituali, Scriptura teſtis eſt. *Regeneratio* ſi æqve fieret in homine conſtituendo, ut generatio, eſſet irreſiſtibilis; qvia autem fit in Homine jam conſtituto, eſt juxta S. Scripturam reſiſtibilis. *Reſuſcitatio* mortui decumbentis, eſt irreſiſtibilis; ſed reſuſcitatio mortui ambulantis in peccatis, eſt reſiſtibilis.

IV. Fingit ſibi Omnipotentiam in Deo, qvæ ſemper agit irreſiſtibiliter; cum ex multis exemplis appareat, Deum ſua Omnipotentia ſic fuiſſe operatum, ut ipſi potuerint homines reſiſtere. Educebat ſuo Omnipotentiâ Lothum ex Sodomis, ſed reſiſtebat ei Uxor Lothi, qvæ non fuit liberata, ut Lothus *Geneſ.* 19, 26. 29. Dei Omnipotentia per grandinem & tonitru percuſſit Ægyptios, qvum multi timentes Deum hanc plagam effugerunt *Exod.* 9, 20. 21. Dei omnipotentia ſanavit Naāman leproſum, qvi potuit tamen Dei actioni reſiſtere 2. *Reg.* 5, 12. 14. In his & ſimilibus Exemplis apparet, qvod Deus ſua omnipotentia agat interdum per certa media, & ordine, qvem ipſe ſua Sapientia præſcripſit: Hinc fit, qvod Creaturæ aliqvando reſiſtant Creatori non ſuperando infinitas hujus Vires, ſed, non admittendo media â Deo data, & non obſervando ordinem â Deo præſcriptum. Ita evenit in Hominis converſione, qvam Deus non operatur abſoluta ſua omnipotentia, ſed omnipotentia ordinata, cui Sapientia & Voluntas præeſt. Qvia enim Deus, pro infinita ſua ſapientia optimè cognovit, quinam converſionis modus ſit ſuæ majeſtati congruus & hominibus accommodatus, voluit per certa media, certa τάξει regenerationem infinita ſua virtute excitare, & perficere. Sequitur ergo potentia Dei Voluntatem, quia multa poteſt quæ non vult; Voluntas ſequitur (ordine, non tempore) Sapientiam, quia eſt Voluntas maxime rationalis, & non talis, qualem Tyrannorum proclamat Apophtegma: Sic volo, ſic jubeo, ſit pro Ratione Voluntas.

V. Confundit *Converſionem* ſive *Regenerationem* cum *Virtute convertente & Regenerante*: Illa ſi non adſit, hæc ſtatim negatur, nullaque agnoſcitur Gratia ad Converſionem *Efficax in ſe, & ſufficiens*, niſi ea, quæ actu homines convertit & regenerat. Hinc converſio dicitur irreſiſtibilis, quia illi, qui convertuntur, non reſiſtunt, hoc eſt, qui jam credunt, illi eo ipſo cum credunt non poſſunt non credere. Aſt talis confuſio homine recta ratione prædito indigna. Præterquam enim quod nec in Naturalibus Virtus agendi æſtimetur ex actu ſecundo, qui ſæpè deficit, manente actu primo; qvæſtio noſtra nunquam fuit de ipſa Converſione

versione; An in ea homo adhuc resistat? sed de Virtute Dei per ministerium Verbi producente Conversionem disputavimus: An illa, qvando operatur, vi operetur prorsus irresistibili: Hic nos respondimus negando, Adversarii affirmando, ideoqve his incumbit, ut probent, qvod Virtus Dei, qvæ agit in convertendis Hominibus, sit *irresistibilis*. Nos ex Scripturis hoc nondum didicimus, sed potius intelleximus, qvod Deus *ordinarie* operetur Hominum Conversionem per *Admonitiones, dehortationes, invitationes, increpationes, castigationes, longanimitatem, benefacta &c.* qvibus omnibus qvod resistere possint & proh dolor! nimis freqventer resistant Homines, nullus non liber Biblicus confirmat.

VI. *Conversionem* sive *Regenerationem* æstimat ex *Actionibus civilibus*, qvibus homo liberum habet arbitrium, ut possit agere & Non-Agere. Tales sunt, qvibus Princeps promittit βεαβεῖα, cum subditos provocat ad certamen, qvi volendo & nolendo possunt specificare Principis actionem. At in *Regeneratione*, hominum qvidem in arbitrio est, non pati Actionem, resistere Deo, & impedire Actionem ejus; Ipsa autem *Conversio* non est in hominis arbitrio, sed unice pendet â Deo; qvia non æqve efficere potest homo, qvod potest impedire, non admittendo operationem S. Spiritus, qvam per media ordinaria exerit. Confer Remonstr. in Defens. IV. Artic. pag. 157. seqq.

Qv. II. *Annon distinctio qvædam agnoscenda in Gratia DEI, qvæ Homines convertuntur & regenerantur?*

## THESES.

I. Distinguunt *Gratiam Dei convertentem* & *Scholastici* & *Pontificii* hodierni, & *Calviniani*, & *Orthodoxi*; sed alio atqve alio modo. *Horum* primus deprehenditur *B. Augustinus*, qvi in Disputationibus *Pelagio* oppositis accuratius aliqvanto Scripturæ phrases de *Gratia Dei regenerante* expendit, & ex diversitate operationum, distinxit gratiam *prævenientem â gratia subsequente, cooperante & adjuvante.*

II. Hanc distinctionem Scripturæ dictis censemus congruam, qvia ipsa Scriptura in *convertendis* monstrat gratiam *prævenientem* & *excitantem*, in *conversis* autem & *Renatis* gratiam *adjuvantem, cooperantem* & *perficientem.*

III. Adhæc Exempla *conversorum* Hominum in Bibliis descripta, docent distinguere, inter *Gratiam ordinariam*, & *Extraordinariam*: *Hac* Conversus *Abraham*, *Nebucadnezar*, *Paulus*. Illa omnes alii, qvotqvot per *ordinaria* media sunt conversi & regenerati.

IV. *Tertio* non contradicit S. Scripturæ Distinctio inter *gratiam gratis datam*, & *gratiam gratum facientem*; si per *illam* intelligantur dona DEI non sanctificantia, qvalia sunt Donum linguarum, donum Prophetiæ, donum miraculorum &c. per *hanc* vero designetur gratia justificans, cui adsunt Dona Spiritus S. sanctificantia. *Qvarto* orthodoxa est Distinctio inter *Gratiam* DEI *sufficientem* & *Efficacem*: si *illa* dicatur, qvæ efficax ex DEI intentione esse debet & esse potest: *hac* vero ea, qvæ ipso *actu secundo* in Hominibus Conversionem efficit.

## ANTITHESES.

I. *Scholastici* & *Jesuitæ*, fingunt (1) *gratiam* aliam *temporalem*, aliam *æternam*. *Bellarm. l. 1. de grat. cap. 2.* non animadvertentes, eandem gratiam fuisse ab æterno, qvæ manifestata est in tempore, ut gratia & gratiæ manifestatio, non possit esse diversa gratia (2) *gratiam gratis datam* qva Homo se potest præparare ad suscipiendum Spiritus S. donum, & *gratiam gratum facientem*, qvæ est auxilium, qvo adjuvantur homines in merito. *Bonavent.* Sed prodeunt hæc ex Principiis non concessis, qvia nec vires illas agnoscimus, qvibus Homo seipsum præparat ad suscipiendum Spiritus S. donum nec meritum ullum proprie dictum in hominibus renatis esse, credimus. (3) *gratiam gratum facientem*, qvæ infusus justitiæ habitus. *Bellarm d. l Greg. de Val. tom. 2. disp. 8. q. 7. punct. 1.* At in seqventibus qvoqve hic infusus habitus confutabitur. (4) *gratiam efficacem* qvæ Efficax est, qvia vel homo adjutus â Deo istam gratiam acceptavit. *Greg. de Valent. d. l. q. 3. p. 4.* vel tali loco, tempore, & talibus circumstantiis oblata est, ut homo & velit & possit libere Consentire. *Becan. de Auxil. grat. cap. 3. thesi 5. 6. 7. Bellarm. l. 1. de Grat. cap. 13.* vel Deus pro libera sua voluntate actum gratiæ non suspendit *Bellarm. d. l. c. 12.* Patet hic inconstantia *Papistica* qvia aliqvando *liberum Arbitrium*, aliqvando *arcanum* DEI *decretum* constituunt causam, ob qvam gratia convertens in uno homine sit Efficax, in altero minus.

II. *Calviniani* fingunt *sufficientem gratiam*, qvæ offertur â Deo Voluntate signi & non voluntate beneplaciti: *Efficacem* Vero agnoscunt nullam, nisi eam, qvæ ipso Effectu in electis *Efficax* agnoscitur. Repete jam suo loco dicta.

## HYPOTHESES.

Scrupuli ne injiciantur in præmissis distinctionibus gratiæ tenendum I. Non esse has dictinctiones accipiendas, de *Gratia Creationis*; sed de *Gratia Redemptionis*, *Vocationis* & *Justificationis*, qvæ in Voluntate Dei *antecedente* est *generalis*, in *Consequente specialis*. II. Con-

II. Concedere nos *gratiam habitualem*, si illa non sit Justificationis, sed renovationis, habitus Comprehendens charitatis, spei & aliarum Virtutum, qvibus opponi potest gratia actualis, ut ipsa *Renovatio*, vel actus Spiritus S. renovans & excitans pios motus.

III. *Gratiam prævenientem* dici interdum *operantem* & *excitantem*, *subsequentem* autem dici *cooperantem*, & *adjuvantem*, ut appareat; Unam qvidem esse gratiam in se & sua natura, distingui vero secundum diversa officia & Effecta.

IV. Gratiam Dei *ordinariam* differre ab *Extraordinaria*; non ob inæqvalem eventum, sed ob inæqvalem potentiam; qvia *illa* ortum trahit ex Voluntate Dei conditionata, qva agere vult Deus per media & prævio ordine; *hæc* vero ex Voluntate Dei absoluta, qva agere vult DEUS qvæ potest.

V. *Gratia* Dei *efficax* vocatur, non ob *cooperationem* Voluntatis, nec ob *physicam determinationem* Dei, nec ob *absolutum Decretum*, sed ob *operationem* DEI ab Homine non repulsam sed admissam. Confer *Chemnit. parte* 1. *Loc. Theolog. pag.* 193. *seqq. Gerhard. tom.* 2. *de Lib. Arbit.* §. 56. *sqq. Meisn. Decade* 2. *Anthropol. Disput* 1. *qv.* 3.

# CAP. III.

## DE POENITENTIA.

*NOn lacrymas nudas DEUS, sed fidem exigit, bonæ sunt lacrymæ, si Christum agnoscas.* Brevissimis hisce Pœnitentiam *contritione & vera fide in Christum* constantem descripsit *D. Ambrosius in c.* 24. *Luc. Tom.* 5. *opp. pag.* 167. Qvibus qvasi in compendio comprehenduntur omnia ferme, qvæ qvoad principalia capita de eâdem disseri solent. Huc etiam collimant omnes ferme controversiæ hujus capitis, qvæ potissimum & de *contritione* & de *Fide*, tanqvam principalioribus pœnitentiæ partibus agitari solent. De qvibus qvid sobrie sit sentiendum præsens disqvisitio dabit.

Qv. I. *Annon Pœnitentia, qvam S. Scriptura in justificandis requirit, absolvitur Contritione & Fide justificante?*

### THESES.

I. POenitentiam veram ac salutarem constituti *Contritione*, qvæ ex Lege, & *Fide* justificante, qvæ ex Evangelio, demonstrant nostri Theologi 1. Dictis distinguentibus *pœnitentiam & ejus fructus. Matth.* 3. *v.* 8. *Actor.*

*Actor.* 26, 20. qvemadmodum autem fructus non sunt partes Arboris; ita etiam *Nova obedientia* non est pars pœnitentiæ cujus fructus dicitur, & sic hoc sensu in pœnitentia duntaxat continetur *Contritio & Fides.* 2. Duobus terminis, in qvibus Homo versatur, qvando transit ex *statu Iræ in statum gratiæ: Terminus à qvo* est *peccatum*; *Terminus ad qvem*, est *gratia Dei justificans.* Ab *illo* movetur peccator, per *contritionem*: ad *hunc* pervenit *fide*, apprehendente Christum 3. Mediis, qvibus excitatur ordinarie pœnitentia, qvâ homines revertuntur ad amissam Dei gratiam: illa sunt Lex & Evangelium: Hoc gignit *Fidem*; illa *Contritionem* 4. Dictis, qvibus Pœnitentia, & fides copulantur. *Matth.* 21, 32. *Marc.* 1, 15. *Luc.* 24. *v.* 47. *Actor.* 5. *v.* 31. *cap.* 20, 21. Hic vox Pœnitentia sumitur μερικῶς, pro sola contritione fidem præcedente, & sic duæ partes pœnitentiæ enarrantur, qvia fides in citatis dictis non includitur in voce pœnitentia, nec *Nova obedientia*: Illa enim additur pœnitentiæ præcedenti, & hæc fidem non antecedit, sed subseqvitur. *Luth. tom.* 4. *Jen. germ. fol.* 351. *tom.* 7. *fol.* 12. *Brent. tom.* 8. *p.* 440. *Gerh. tom.* 3. *L.* 18. §. 40. *sqq.*

II. In Dictis, qvibus pœnitentiæ *Fides* copulatur, Vox *pœnitentia* non potest notare ὁλικῶς totam Pœnitentiam partibus suis constitutam, qvia hæc si salutaris, necesse est, ut fidem includat, qvæ dum exprimitur, in Pœnitentia includi neqvit, sed pœnitentia in dictis, qvibus addita vox *Fidei*, notat solam cordis *contritionem.*

## ANTITHESIS.

Erroneas de hac qvæstione gignit opiniones, I. ὁμωνυμία in Voce *Pœnitentia*, qva non explicata, minus recte damnantur, qvi vel tres constituunt partes pœnitentiæ, ut *Philippus Melanchton*, qvem defendunt *Pezel. parte 6. object. pag.* 235. *& Electorales Theologi in Colloq. Altenburg. p.* 433. &c. vel duas, ut recentiores Orthodoxi Theologi fermè omnes qvi posteriorem significationem in voce pœnitentia, attendunt & seqvuntur A. *Conf. art.* 12. *Smalcald. art. part.* 3. *art.* 3. *Form. Concord. art.* 5. II. Ignorantia, qvæ nescit, qvod contritio comprehendat in se terrorem legis, & qvod fides non sit sola Notitia, sed etiam fiducia: Malitiosa itaqve est inscitia in *Bellarmino*, *qvi lib.* 1. *de Pœnit. c.* 14. negat, Terrorem animo incussum â Lege recte annumerari partibus Pœnitentiæ, & fidem esse partem pœnitentiæ. III. Justitia pharisaica, ex Bonis operibus expectata, qvâ cum delectantur & *Pontificii*, & *Photiniani*, & *Weigeliani*, hi omnes statuunt, *Novam obedientiam* sive *Bona opera* esse *partes pœnitentiæ*, qvandò pœnitentia in posteriori significatione accipitur:

Vide

Vide ex istis *Bellarm. d. l. ex illis Smaltz, p. 353. 355. ex his Weigel. in Dial. p. 37. 38.* IV. Imaginatio de peccatorum remissione, qvæ obtingit sine merito Christi nobis applicato. Hoc dum opinantur *Photiniani*, negant applicationem misericordiæ esse partem pœnitentiæ. Vide *Smalzium d. l.* V. Divulsio *Mortificationis* & *Vivificationis* â Novâ obedientia, in qva illa carnis Concupiscentias refrænat, hæc Spiritus operationem in renovandis hominibus exprimit. Hoc non attendens *Calvinus l. 3. Instit. cap. 3. §. 8.* duas constituit partes pœnitentiæ sc. *Mortificationem* & *Vivificationem.* VI. Opinio de Tribus pœnitentiæ partibus, qvæ sint, *Contritio cordis, confessio oris, Satisfactio operis. Bellarm. l. 1. de Pœnit. cap. 19.*

## HYPOTHESES.

Hactenus enarratos Errores devitat feliciter, qvi I. Distinguit Significationem, in *Vocibus*, qvibus *pœnitentia* describitur: ne maneat *æqvivocatio* genitrix Errorum. Si pœnitentia omnia includit, qvæ concurrunt in Hominis *Regeneratione* & *renovatione*, tres ejus sunt partes sive actus. Si autem mutatio notatur, immediate antecedens Hominis Justificationem, duæ duntaxat sunt ejus partes, *contritio* sc. & *Fides*, è qvibus illa removet obstacula fidei justificantis; Hæc est causa Instrumentalis in ipso Justificationis actu.

II. Intelligit Tristitiam & pœnitentiam, qva de Apostolus 2. *Cor. 7.* Hæc non notat Apostolo *Contritionem & Fidem*, qvia hæc duo simul nulla operatur *tristitia*, *pœnitentiam* autem d. l. ab Apostolo legimus descriptam, ut effectum *Tristitiæ secundum Deum.* Illa non significat molestiam qvandam, natam ex objurgatione, & pudore, qvia talis etiam tristitia est ea, qvæ hujus seculi est, cui Apostolus *tristitiam secundum Deum* opponit. Si ergo oppositionem expendamus Apostolicam inter *Tristitiam secundum Deum, & Tristitiam hujus seculi: Illa* est in animo, extimescente Dei iram & Vindictam: *Hæc* vero in animo, qvi dolet exteriorem in mundo contemptum & iram Dei floccipendit. *Illam* seqvitur detestatio peccati in credentibus vergens ad salutem, qvam hoc loco per pœnitentiam intelligit Apostolus. *Hanc* vero seqvitur nulla peccati detestatio, nullus serius dolor de peccatis admissis, nullaqve pœnitentia salutaris. Ex his liqvet, Apostolum loqvi de *Tristitia* & *Pœnitentia* ut diversis actibus veræ contritionis, qvorum *unus* dici potest, terror ortus ex Lege & metu Iræ divinæ. *Alter* vero ipsa peccati detestatio, impellens hominem, ut cogitet de peccati remissione & Vitæ emendatione.

Idcirco Paulus non de *omni tristitia* gaudet 2. *Cor.* 2, 4. *cap.* 7, 9. sed de eâ duntaxat, qva Corinthii erant constritati *secundum Deum ad pœnitentiam*, hoc est, *qva sic metuebant Legis maledictum & DEI iram, ut ipsum peccatum ex animo detestarentur summoqvo odio prosequerentur:* Hæc opponenda *Bellarmino*, qvi putat, Apostolum negare, *contritionem* esse *partem pœnitentiæ*; Verum non loqvitur de *pœnitentia* ὁλικῶς; sed μεριικῶς, qvæ notat peccati odium & displicentiam, qva qvis dolet de commissis sceleribus. Hanc enim operatur *tristitia secundum Deum*, qvando Lex operatur tristitiam, qva tristatur homo, se offendisse Deum, hæc tristitia tollit studium peccandi & parit detestationem peccati, qvam seqvitur deinceps *Fides* in Christum, & sic pœnitentia fit salutaris.

III. Distinguit inter *qvemvis terrorem*, & *terrorem*, ortum ex *Concione legis* qvâ damnantur peccata: *Ille* est effectus naturalis, communis brutis & Hominibus: *Hic* vero effectus S. Spiritus, pertinens ad Contritionem, qvæ est pars pœnitentiæ.

IV. Didicit, qvem terrorem involvat *Contritio* sc. non *mundanum* & *carnalem*, qvi est proprius filiis hujus sæculi, qvi tristantur & tremunt vel ob jacturam Bonorum temporalium, vel metu pœnæ, vel ex impatientia; sed *sanctum* & filiis Dei proprium, qvi excitatur â Spiritu Dei movente corda, ut de jactura Bonorum spiritualium, de peccatis & Ira Dei serio doleant. Hic terror interdum aliqva ex parte etiam cadit in Impios, & sic separatur â *salutari pœnitentia*; *Hæc* autem sine *illo* nunqvam existit, nec objici potest Exemplum peccatricis *Luc.* 7. qvæ, qvod habuerit dolorem & terrorem, lachrymis suis largiter profusis, abundè testatur. Ut Anima separatur â Corpore & manet nihilominus pars Hominis; ita Contritio interdum separatur â Fide, & manet nihilominus pars pœnitentiæ.

V. Excludit â partibus pœnitentiæ (1) *Fidem Historicam*, qvæ qvod pœnitentiam præcedat, nemo negat, & Exemplum Ninevitarum affirmat *Jonæ* 3, 5. (2) *fidem*, qvæ manat â pœnitentia, ceu *virtute morali*, qvæ est figmentum, cum pœnitentia non sit *Virtus moralis*, descendens â liberi Arbitrii viribus: Uti *Bellarminus* speculatur.

VI. Assuescit Phraseologiæ S. qvâ totum Complexum Conversionis per Synecdochen interdum describitur ab uno vel altero actu, qvi obvius in Hominis conversione: Hic valet trita Regula: *Unius Inclusio, non est alterius exclusio in iis, qvæ S. Scriptura conjungit*: Interdum sola nominatur Confessio *Ps.* 32, 5. *Prov.* 28, 13. 1. *Joh.* 1, 9. Interdum nominatur

Fides

Fides Historica & nova obedientia. *Jon.* 3. Interdum sola fides *Actor.* 13, 48. interdum sola contritio sive tristitia secundum Deum, qvæ operatur pœnitentiam 2. *Cor.* 7. Interdum sola nova obedientia *Ps.* 37. *v.* 27. *Esa.* 1, 16. *seqq. Jerem.* 18, 8. *Ezech.* 18, 21. 22. &c. in qvibus & similibus Dictis sunt Descriptiones pœnitentiæ accidentales ab Effectis desumptæ. Cave autem ne ex his dictis interas, in Justificationis actum ingredi Confessionem; Contritionem &c. æqve ut Fidem: Non valet hæc illatio; qvia sola Fides admittitur in actum Justificationis, cum exclusione omnium operum Legis. De reliqvis actibus autem *Confessione Contritione*, & *Nova obedientia* legitur qvidem, qvod adsint iis, qvibus peccata remittuntur, nullibi autem docetur, qvod Justificemur ex illis coram Deo, sive operibus Legis. Et hæc ratio est, cur in Dictis allatis synechdochen partis pro toto asseramus.

VII. Partes veræ & salutaris Pœnitentiæ conveniunt duntaxat illis, qvi Justificantur & salvantur. At *Contritio cordis*, *Confessio oris* & *satisfactio operis* non conveniunt duntaxat illis, qvi Justificantur & salvantur; qvia in Caino, contritio, confessio & exilium, seu Satisfactio *Genes.* 4, 14. 16. In Saule est contritio cordis 1 *Sam.* 28, 5. Confessio oris *v.* 15. & satisfactio operis 1. *Sam.* 31, 4. In Juda itidem hæc tria obvia. *Matth.* 27. *v. seqq.*

VIII. *Bellarminus* ut tres evincat partes Pœnitentiæ, Congruentiam Rationis constituit triplicem, urgens 1. pœnitentiam, qva pars læsa inter homines reconciliatur cum parte offendente, qvæ dolet de amissa amicitia, confitetur culpam, & subjicit se mulctæ, qvam pars læsa imponit. 2. Exempla, ex qvotidiana Experientia, qvibus liberi cum Parentibus, Servi cum Dominis & Uxores cum Viris in gratiam redeunt, qvod fit, qvando illi & illæ signa doloris edunt, culpam confitentur & castigationi se subjiciunt, vel etiam indulgentiam petunt. 3. Tria instrumenta peccandi, qvæ sunt cor, Lingua, manus, qvibus ut tria respondeant pœnitentiæ Instrumenta, congruum judicat *Bellarminus*. Luce meridiana clarius apparet ex Discursu præscripto, qvod Ratio *Cardinalis* evehat se adversus Scientiam Dei, disputans de Reconciliatione Hominum cum Deo, ex reconciliatione Hominum cum aliis Hominibus, præterqvam autem qvod in hâc non semper reqviratur Satisfactio, cum sæpè sufficiat culpæ confessio & Deprecatio, fastus est intolerabilis humani Ingenii, qvod præsumit satisfacere offensæ Justitiæ divinæ, qvam non nisi filius Dei incarnatus seipsum offerens victimam, placare valuit. *Gerh. d. l.* §. 57. *seqq.*

Qv. II. *Annon vera contritio distinctis conjuncta est actibus?*

## THESES.

CUm describunt sacræ literæ Contritionem illorum, qvi veram pœnitentiam vel egerunt, vel agere debuerunt, duplices ostendunt actus, qvi Contritionem vel antecedunt vel seqvuntur, vel concomitantur. *Formaliter contritio* est *Tristitia qva dolet peccator, qvod peccatis suis DEUM offenderit ejusqve Iram in se concitarit Ps. 6, 1. Ps. 38, 2. Ps. 32, 4. Ps. 102. v. 10. 11. Jerem. 23, 9. Thren. 1, 20.* Hæc tristitia depingitur etiam ut angor Conscientiæ *Ps. 25, 17.* ut humiliatio *Ps. 34, 19. Esa. 57, 15.* paupertas spiritualis *Esa. 61, 1. Matth. 5, 3.* ut ossium contritio *Ps. 51, 10.* ut cordis scissio *Joel. 2, 13.* Virium & Formæ amissio *Ps. 6, 7. 8. Ps. 38, 11.* &c. Huic contritioni duplices cohærent actus. Qvidam ex his sunt inseparabiles & essentiæ Contritionis cohærent. Qvidam sunt *accidentales*, & *separabiles*, sine qvibus est & esse potest vera *Contritio.* Illi sunt 1. Vera *peccati agnitio Ps. 51, 5. Jerem. 3, 13. cap. 14, 20.* 2. peccati odium & detestatio, *Levit. 26, 41. Ps. 51, 5. Jerem. 31, 19. 2. Cor. 7, 10.* Et sic contritio est angor in Conscientia, & dolor in corde, qvam præcedit agnitio peccati in mente, subseqvitur detestatio in Voluntate. *Hi* sunt 1. Confessio peccatorum oralis *Num. 5, 7. Nehem. 9, 2. Es. 32, 5.* &c. qvia autem Deo non solum loqvuntur verba oris, sed etiam gemitus Cordis. *Ps. 38, 10.* exterior oris confessio potest abesse â Vera Contritione. 2. Exteriora Contritionis signa, ut jejunium *1. Sam. 7, 6. 2. Paral. 20, 3. Nehem. 9, 1. Joel. 1, 14. Dan. 9, 3.* &c. Vestium scissio *1. Sam. 4, 12. 2. Sam. 13, 31. 1. Maccab. 8, 47.* Lachrymæ *Joel. 2, 12. Matth. 26. v. ult. Luc. 7, 38.* χαμαιϋνια vel Humicubatio *2. Sam. 12, 16. 2. Maccab. 13. v. 14.* Cineris respersio super caput *Job. 42, 6. Nehem. 9, 1. Jonæ 3, 6. Matth. 11, 21.* Vestes sordidæ & viliores *Esth. 4, 3. Jon. 3, 4. Esa. 37, 1.* peccatoris percussio *Luc. 18. v. 13. cap. 23, 48.* Femoris percussio *Jerem. 31, 19.* Hæc & similia externa Signa â vera & seria contritione separari posse, fatetur Scriptura, cum Hypocritas, qvi exteriora duntaxat signa vere contritorum æmulabantur, reprehendit, ut non vere contritos corde *Esa. 58, 5. Joel, 2, 13.*

## ANTITHESIS.

*Bellarm. l. 2. de pœnit. cap. 6. & 7.* disputat de *proposito Novæ Vitæ*, an illud etiam vel *virtualiter* vel *formaliter* includat *Contritio:* Exteriores etiam Contritionis actus ut Necessarios & Inseparabiles commendant Pontificii.

Qv. III.

Disp. II. Resp. POLYCARP. LYSERO, Hannov.

Qv. III. *Est nè Contritio Spiritus S. opus, qvod mediante Lege operatur?*

## THESES.

ERudiunt nos sacræ literæ de Contritionis veræ I. Causâ Efficiente, qvæ Spiritus S. arguens mundum de peccato *Johann* 16, 8. disceptans cum peccatoribus *Gen. 6*, 3. Conterens ossa *Esa.* 38, 13. dolans per prophetas & occidens verbis oris sui *Oseæ* 6, 5. II. Causa instrumentali, qvæ Concio legis detegens peccata *Rom.* 3, 20. *Cap.* 7, 7, 8. excitans iram *Rom.* 4, 15. Conterens hominem *Jerem.* 23, 29. & deprimens colles *Esa.* 40, 4. *Luc.* 3, 5. *Gerhard. d. l.* §. 67. *seqq.*

## ANTITHESES.

I. *Pontificij* docent 1. Contritionem non esse terrorem ex minis Legis conceptum 2. Contritionem esse actionem liberam, non coactam. 3. Contritionem maximè pertinere ad Evangelium. *Bellarm. l. 2. de Pœnit. cap. 2.*

II. *Pelagiani* olim confessi sunt, Contritionem procedere ex Libero arbitrio sine speciali DEI auxilio cor humanum præveniente. His Adversarium sese offert *Bellarm. d. l. cap.* 3. Infrâ autem illis adulatur, cum scripti-tat *cap.* 11. Nos cooperari DEO in ipsâ Regeneratione & initio Fidei, ita qvidem, ut licet liberum arbitrium sit extenuatum, non tamen extinctum in actione credendi.

## HYPOTHESES.

Ebullientes Discursus Mentis Carnalis Spiritus reprimit, per I. Differentiam inter Contritionem, excitatam â Spiritu S. per Legem, & Naturalem dolorem, qvem Lex naturæ & Conscientiæ evocat: Hic ex pœnæ potius qvam culpæ consideratione profluit: *Illa* vero extimescit potissimum Deum, qvem offendit peccatum. *Hic* de actualibus, *Illa* de originali & interioribus peccatis etiam dolet: In *Illâ* futuræ æternæ, in *hoc* autem præsentes potissimum pœnæ animum angunt: *Hic* nunqvam est pars veræ pœnitentiæ, *illa* semper.

II. Verum Formale *Contritionis*, in *præced. qv.* expositum: Patet ex hoc, quod vera Contritio non sit *nudus terror*, qvi Cor humanum non mutet, sed talis terror, qvi Cor vulnerat, angit, humiliat, ut tumor peccati & desiderium peccandi tollatur. Qvæ de corde carneo & humiliato spiritu, qvem DEUS haud despicit, in scripturis leguntur, non de solâ Contritione sunt accipienda; sed de Contritione, per fidem in Christum sanatâ, qvalis est in verâ & salutari pœnitentiâ: Nam Contritio non emollit Cor lapideum, sed dissipat id qvod durum est, ut accedente alio

agen ſi principio habilius ſit ad recipiendum mollitiem: Sic malleus Legis conterit qvidem cor petroſum, ſed non donat cor carneum.

III. Verum *genus Contritionis*, qvod non eſt *actio*, ſed *paſſio*: Eſt qvidem contritio actus, reſpectu Dei, per legem corda noſtra conterentis, eſt etiam conjuncta cum actibus; qvatenus autem eſt dolor & triſtitia in corde noſtro, eatenus eſt *paſſio*, excitata in nobis per legem â Spiritu S. qvam antecedit agnitio peccati, ſequitur vero peccati deteſtatio: Confirmatur hæc ſententia 1. ab Etymologia: Contritio dicitur â voce שבר *fregit*. Si ergò *fractio* reſpectu fracti eſt *paſſio*, etiam Contritio reſpectu Cordis Contriti & humiliati erit *paſſio*. 2. â ſynonymiâ, qvæ eſt in vocabulis paſſivis, qvibus Scriptura utitur, qvando contritionem deſcribit, ut *percuſſionem cordis*, 2. *Sam.* 24, 10. *Conturbationem animæ Pſ.* 6, 3. *&c.* 3. â *Definitione paſſionis*, qvæ definitur actionis receptio. Hæc definitio optime convenit Contritioni, qvæ eſt receptio DEI objurgantis & fulminum legalium. Qvæ *Bellarm.* objicit, ſolvuntur his Aphoriſmis. I. Contritio nobis præcipitur *Ioel.* 2, 13. *Matth.* 3, 2. non eam ob cauſam, ac ſi eſſet actio libera & ſpontanea, ſed ideò, quia homo ex liberi arbitrij viribus ad ea Inſtrumenta ſeſe applicare valet, qvibus cor ſcinditur & conteritur. II. Contritio eſt qvidem paſſio, ſed non coäcta, qvia non per vim, ſed actionem informantem â DEo elicitur, quandò de irâ ſuâ adverſus peccata nos inſtituit. III. Sunt in noſtra poteſtate media, qvibus excitatur Contritio, ad qvæ nos applicare valemus, ſed non eſt in noſtra poteſtate, ſerium concipere mœrorem ob peccata, qvibus offendimus DEum. Confer *D. Meiſn. p.* 2. *Phil. ſob. ſect.* 2. *Cap.* 1. *qv.* 5.

IV. Diſcrimen Legis & Evangelii, qvod evincit, Contritionem non eſſe ex Evangelio, ſed ex Lege. Vide ſuprâ

## Qv. IV. *Num certa Qvantitas Contritionis eſt neceſſaria ad Veram pœnitentiam?*

## THESES.

DIſcimus ex verbo Dei, non placere DEO ullam utcunqve intenſiſſimam Contritionem, niſi ſit ſeria, infucata & cum Fide in Chriſtum conjuncta. De certâ autem qvantitate Contritionis, an dolor de peccatis vel appreciative vel intenſive ſummus eſſe debeat, an certus gradus intenſionis ſit neceſſarius, an certa mora temporis in Contritione reqviratur, an tot ſint actus Contritionis, qvot ſunt commiſſa peccata? non diſputandum cenſemus, qvia tacent de his ſacræ literæ.

ANTI-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0046
DFG

## ANTITHESES.

Scholasticorum σκέψεις de præsenti qvæstione Scripturæ S. floribus ornare studet *Bellarm l. 2. de pœnit. cap. 11.*

## HYPOTHESIS.

Probat *Bellarm.* agendam esse pœnitentiam ex toto corde, ita ut omnia peccata detestetur ille, qvi agit pœnitentiam, & utile esset ut qvis amarissime longo tempore sua peccata defleat. Verum de his nemo litem movit *Pontificiis*, cum *Scholasticorum* conscissi sunt laqvei Desperationis, contexti ab illis, qvi scrutati sunt certam qvantitatem Contritionis, qvâ expianda peccata, & acqvirenda remissio peccatorum. Hâc qvantitate concessâ, nunqvam certa erit Conscientia de peccatorum Remissione, qvia (1) infinitæ Dei justitiæ per peccatum offensæ nulla respondere potest puri puti Hominis contritio. (2) non omnia peccata agnoscimus *Ps. 19, 13. Ps. 90, 8.* qvi ergô de perfectâ qvantitate gloriari valemus. (3) nulla est proportio inter nostram Contritionem & DEI gratiam, qvâ remittuntur peccata, & sic semper anxia manet Conscientia; Num adeo sufficiens & perfecta sit Contritio, ut digna sit peccatorum veniâ. Hinc rectè scripsit *Chemnit. in Exam. pag. 382.* Impossibilis est sufficientia & perfectio Contritionis, ejusqve persuasio vel facit Pharisaicos vel desperabundos.

Qv. V. *Num Contritio vel ut Conditio vel ut causa est necessaria ad peccatorum Remissionem?*

## THESES.

CContritionem præreqviri in homine justificando ex ordinis lege, qvam Deus in Conversione vult servare, tota Scriptura & Dictis & Exemplis comprobat, ut dubitare nemo possit, qvi S. Scripturæ credit, Deum velle excitare fidem justificantem in corde contrito & humiliato, Evangelium esse annunciandum pauperibus, & sanandos esse contritos. Qvod autem Contritio vel ut *medium*, vel ut *causa* vel ut *Dispositio* sit necessaria ad Hominum Justificationem, S. Scriptura non docet: Innitimur insuper hoc Argumento. *Qvicqvid est necessarium ut medium, causa & Dispositio ad Peccatorum Remissionem, illud est 1. ex Evangelio. 2. vel peccata expiat, vel expiationem apprehendit. 3. habet relationem ad promissionem Evangelicam 4. necessario coharet cum Justificatione, ut posita causa Justificationis, ponatur Justificatio. At Contritio 1. non est ex Evangelio, ut supra evictum. 2. nec expiat peccata, nec Christi satisfactionem applicat &c.* uti patet ex Contritione illorum, qvi desperant. E.

## ANTITHESES.

Affirmant qvæstionem *Scholastici* & *Jesuitæ*. Vide *Lomb. l. 2. sent. dist. 27. Thomam, Bonav. Scotum &c. Bellarm. l. 2. de Pœnit. c. 8. 9. 12. & 13.*

## HYPOTHESES.

Horum Argumenta refellimus I. per Explicationem qvorundam Dictorum, qvæ non docent id, qvod docent *Pontificii*. Nam *Ezechiel. cap. 18, 27.* describit pœnitentiam ut totum Conversionis complexum comprehendit, non autem in specie indicat, qvid efficiat Contritio: Si dicerem: qvi justificatur & renovatur, vivificabit animam, ostenderem qvidem, qvid seqveretur integram Conversionem, non autem indicarem; qvæ sit natura vel *Justificationis* vel *Renovationis*. Qvomodo idem *Ezechiel* præcipiat, ut Homines faciant sibi cor novum, dictum fuit supra. In Dicto *Jonæ 3, 10.* describitur consequens veræ pœnitentiæ, qvod fuit Dei misericordia & pœnæ aversio, qvod autem Contritio fuerit causa hujus Effectus, non legitur: Cum video hominem ambulantem, recte dico, qvod ille vivat, licet ambulatio non sit Vitæ causa. In *Ps. 51. 19.* loqvitur David de illo Spiritu tribulato, qvem seqvitur lætitia de salutari Dei, & exultatio de Justitia Dei *v. 14. 16.* Hujusmodi autem Spiritus tribulatus existit in corde fideli & credenti, qvod credit in Messiam, qvod cur & ob qvam causam Deo placeat, discendum ex aliis Scripturæ dictis. *Daniel. c. 4. & Tob. 12.* loqvuntur de Eleemosynis, non de Contritione: qvomodo autem Eleemosynæ liberent â peccato & morte, suo loco explicatur, vide seq. Disputat. De dicto *Lucæ 7, 47.* vide infra.

II. Per negationem harum Consequentiarum. 1. Oratio peccatoris placat Deum E. contritio aliqvid faciet ad remissionem peccatorum. 2. Actus pœnitentiæ est â Spiritu S. E. suo modo erit causa Conversionis. Nulla firma hîc est cohæsio, qvia oratio non placet Deo, nisi proveniat ab homine justificato: & contritio non est totus actus pœnitentiæ, nec omne, qvod est â Spiritu S. est justificationis causa, cum omnia Bona opera Renatorum sint â Spiritu S. qvæ causas salutare justificationis, aperta Scripturæ dicta vetant.

III. Declarando utilitatem Timoris servilis, qvo peccator Deum minantem fugit, & solius pœnæ fugiendæ causa â peccatis abstinet. Hunc timorem gignere contritionem imperfectam & attritionem, qvæ sit utilis, *Bellarm.* tradit *d. l. cap. 17.* Fatemur autem etiam nos, utilem esse hanc *attritionem* ad removenda ista peccata, qvibus vera pœnitentia & convertens Dei gratia impeditur. Hinc etiam Deo interdum ita placet

cet, ut temporales pœnas sustollat, qvando terror servilis qvædam enormia scelera deprimit: Uti patet ex Exemplo Achabi 1. *Reg.* 21. *v.* 27. Qvod autem imperfecta hæc contritio toram Conversionem absolvat & ex se vel natura sua Veniam & remissionem impetret, constanter inficiamur. Ab Achabo non omnis pœna est ablata, uti eventus docuit; sed sicuti etiam Non-Renatorum opera Deus interdum externis qvibusdam præmiis ornat, ita servilem timorem in Achabo pro immensa sua misericordia respexit, pœnam distulit & παντελεσρίαν domus Achab demum post mortem Achabi immisit. Confer *Brent. tom.* 8. *p.* 444. *Chemnit. parte* 2. *Exam. tit. de Contrit. Hutter. in L. Th art.* 21. *c.* 3. *Gerh. tom.* 3. *L.* 18. §. 73. 85.

Qv. VI. *Estne Fides ὄργανον λητικὸν, seu medium apprehendens ex parte nostri, qvo applicatur gratia Dei in Evangelio & Sacramentis oblata?*

## THESES.

FIdem *nostram* esse manum, qva amplectimur Bona cælestia, qvæ Deus per Verbum & sacramenta exhibet docet S. Scriptura I. reqvirendo ad salutarem usum Verbi & Sacramentorum, τὸ πιστεύειν, vel τὴν πίστιν. *Marc.* 16, 16. *Galat.* 3, 26. 27. *Rom.* 1, 16. 1. *Cor.* 1, 21. *Actor.* 8, 37. 1. *Petr.* 2, 7. 1. *Cor.* 11, 24. 26. Etsi autem alia etiam sint reqvisita, qvæ si absunt, non seqvitur fructus salutaris in audientibus verbum & accedentibus ad sacramenta; tamen non præsente Fide, hæc omnia non sufficiunt, ut qvis particeps reddatur Donorum cœlestium ac spiritualium. Qvo medio itaqve in hominibus existente, usus Verbi & sacramentorum fit salutaris, qvo abiente, nunqvam juxta sacras literas agnoscitur salutaris, illud est ὄργανον λητικὸν, qvo gratiam Dei in Verbo & Sacramentis oblatam, amplectimur. At prius est verum de Fide, uti Inductio omnium Exemplorum, in Bibliis occurrentium, comprobat. E. & posterius.

II. Describendo Fidei actum, per vocabula ἔλαβον &c. *Joh.* 1, *v.* 12. *Galat.* 3, 14. *Actor.* 2, 41. 44. *Actor.* 16, 43. *Joh.* 17, 8. *Coloss.* 2, 5. 6. λῆψις itaqve & apprehensio Fidei in sacris literis tribuitur, qvalis nulli alii actui, qvo nos operamur, assignatur.

III. Conferendo Credentes manducantibus & bibentibus. *Ps.* 22, 27. *Esa.* 55, 1. *Joh.* 6, 35. *seqq.* uti autem manducans & bibens, cibum & potum accipit, ejusqve particeps fit; ita etiam credens spiritualia Bona accipit & eorum fit particeps.

IV. Tribuendo Fidei justificationem, & adeptionem Vitæ æternæ,

cum exclusione operum Legis, uti seq. Controversiâ comprobabitur. Nihil igitur præter Fidem, in nobis monstrat Spiritus S. qvo gratiam DEI justificantem & salvantem applicemus.

## ANTITHESES.

*Pontificii*, & alii, Fidem extenuant, deridentes thesin hactenus demonstratam. *Pistor.* im Wegweis. *cap.* 5, *pag.* 204. hæc ebuccinat dicteria: Daß sie den Glauben einer Bettler-Hand vergleichen / und meynen / der Glaube mache alleine derhalben gerecht/und seelig/weil der Glaube alleine/ das Verdienst Christi/und das ewige Leben ergreifft/ist ein lauter Traumwerck/ohne und wider alle Schrifft ꝛc. Conter *Bellarm. l.* 1. *de Justif. c.* 20. *Socinum in de Christo Servat. p.* 4. *cap.* 11. *pag.* 401. *Smaltz. disput.* 12. *contra Frantz. poster. pag.* 449.

## HYPOTHESES.

Horum cachinnum & risum reprimes facile, si ad S. Scripturæ dicta eos adstrinxeris, qvibus dum se stipatum gloriatur *Pistorius*, seipsum misere prodit, qvod sacras literas nulla attenta lectione dignatus sit: Nam. I. ea ex sacris literis profert, qvæ in iis non extant: Non enim legitur, per Bona opera apprehendere divites Vitam æternam. 1. *Tim.* 6, 29. Paulum nova obedientia sive Resurrectione spirituali apprehendisse Christum *Philipp.* 3. *v.* 10. In Radice fidei esse apprehendendum Christum *Ephes.* 3, 17. II. Pueriliter commiscet dicta Scripturæ, qvorum qvædam loqvuntur de fide ejusqve propria operatione: Qvædam de credentibus & fidem exercentibus: De his cum legit *Pistorius* qvod currentes tendant ad Coronam incorruptibilem 1. *Cor.* 9, 25. Spiritus opera perficiant *Rom.* 8. *Gal.* 5. extendant se ad βεβαῖον præfixum *Phil.* 3. charitatem sectentur *Joh.* 14. & 15. sperent *Rom.* 8. 1. *Thessal.* 5. ἀπαρτίζειν infert, Christum apprehendi non sola Fide; sed cursu bonorum operum, operibus Spiritus &c. Simili seqvela posset obtinere, Homines intelligentes ratiocinari ventriculo, manibus, pedibus, oculis, auribus &c. qvia intelligentibus tribuuntur ventriculus, manus, &c.

### QV. VII. *Estne Fides justificans Notitia qvædam hærens in Humano Intellectu?*

## THESES.

I. SCientia, qvæ hæret in humano Intellectu, gignitur vel Inductione vel Demonstratione, vel divina revelatione: Hâc posteriori via, qvod deveniamus in mysteriorum Cognitionem, affirmat S. Scriptura, qvæ

qvæ commendat 1. scientiam, qva justificamur & salvamur *Esa.* 53. *v.* 11 *Joh.* 17. *v.* 3. *Luc.* 1. *v.* 77. 1. *Joh.* 2. *v.* 21.

II. 2. Scientiam illorum, qvi crediderunt *Jerem.* 31, 34. *Joh.* 4, 42 *cap.* 6, 96, *Ephes.* 1, 17, 18. *Coloss.* 1, 9. 2. *Petr.* 3, 18.

III. 3. Cognitionem mysteriorum. *Rom.* 16, 26. *Ephes.* 3, 3. *Colass.* 1. *v.* 26. 27. 1. *Cor.* 1, 21. 1. *Tim.* 2, 4. 2. *Tim.* 3, 7. *Tit.* 1, 1.

IV. 4. Fidem oppositam Ignorantiæ *Actor.* 17, 23. stultitiæ *Rom.* 10, 19. *Luc.* 24, 25. Cæcitati *Ephes.* 4, 18. *Rom.* 11, 25. Tenebris *Joh.* 1, 5. *Luc.* 1, 79.

V. 5. Fundamentalem scientiam, qva qvis idoneus efficitur, ut possit evitare errores 1. *Joh.* 4, 1. *Matth.* 7, 15. 1. *Thessal.* 5, 21. *Joh.* 10, 4. 5. Confer *Battum de Justif. pag.* 197. *Polanum lib.* 9. *Syntag. cap.* 6.

## ANTITHESIS.

*Bellarm. l.* 1. *de Justif. c.* 7. Fidem esse nudum assensum, non autem Notitiam, contendit, & oppugnat *Calvinum*, qvi *l.* 3. *Instit. cap.* 2. asserit nos adire regnum Dei, non Ignorantiâ, nec sensus nostri submissione, sed cognitione certâ & exploratâ.

## HYPOTHESES.

I. Utraqve Opinio, & *Bellarmini* & *Calvini*, â Regiâ Veritatis viâ deflectit. Hic nullam agnoscit sensus nostri submissionem in fide, qvod repugnat dictis â *Bellarm.* oppositis; *ille*, dum exploratam & Philosophicam scientiam â Fide removet, omnem simpliciter scientiam Fidei subtrahit.

II. Vitiosa est versio textus Hebr. *Esa.* 7, 9. qvi de scientiâ nihil affert, cum sic legatur אם־לא תאמינו כי לא תאמנו

III. Qvod scientia excedat fidem, nemo negare potest, cum multi non credentes & Hypocritæ optimi sint Theologi, ob scientiam mysteriorum: Scientiam itaqve certo modo qvod distingui possit â Fide sponte concedimus, cum primis si de fide miraculosâ agatur, uti 1 *Cor.* 13, 2.

IV. Non confundenda Νοήματα θεοσοφα & ἐπαιρόμενα: illa fidei pariunt scientiam; hæc captivanda sub obseqvium Christi, ad præscriptum Apostoli 2. *Cor.* 10. *v.* 5.

V. Dicto Apostolico 1. *Cor.* 12, 8. scientia Docentium distinguitur â fide, qvæ non Docentium sed discentium reqvirit Notitiam: cum multi sint fideles & credentes, qvi exqvisitam & accuratam non sunt adepti scientiam, qvæ est in Theologis & Ecclesiæ Doctoribus.

VI. Non reqvirimus, ut fidei semper adsit Notitia τοῦ διότι sed sufficere putamus, ut credens sciat τὸ ὅτι, qvando ignorat sæpè in mysteriis,

rii modum, rationem adeoqve, τὸ διότι: Hinc simplices Laici, pueri, mulieres, Rustici &c. utcunqve exactè non teneant Mysteriorum Rationem; tamen illa simpliciter non ignorant, sed postqvam ex verbo Dei illa didicerunt, iisdem assentiuntur.

VII. Authoritas est vel Divina vel Humana: hæc dubiam, illa certissimam parit Notitiam.

VIII. Notitia semper præcedit assensum & nunqvam Ignotis assentitur intellectus noster, qvi objecta percipit, percepta dijudicat, & prout vel vera vel falsa deprehendit, assensum vel dissensum adhibet.

Qv. VIII. *Est nè Fides salvifica Assensus & Fiducia, qvâ qvodlibet Individuum sibi applicat Evangelicam promissionem?*

## THESES.

I. CUm in sacris literis varia occurrant Fidei significata, Objecta & Exercitia, hæc accuratè distinguenda, anteqvam solvatur præsens qvæstio.

II. *Significata* qvod attinet, non qværitur hic 1. de *Fide*, qvæ designat *veritatem in verbis & factis*. 2. de *Fide Historica & generali*, qvæ est firmissimus assensus, qvo assentimur divinis pronunciatis ob authoritatem Dicentis. 3. de *fide objectivâ*, qvæ est Religio s. ipsa doctrina divinitus inspiratâ, (qvibus de significatis legatur *Flacius* in *Clave SS. tit.* Fides, *Meisner. parte* 2. *Phil. sob. s.* 1. *cap.* 1. *q.* 30. *Gerhard. tom.* 3. *Loco* 19. §. 65. 66.) Sed 4. de *fide*, quæ in sacris literis describitur, ut *justificans*, efficiens Dei Filios, afferens pacem cum Deo, & æternam salutem.

III. De *objecto Fidei* seqq qvæstionib. speciatim disputandum. *Exercitia* non veniunt hîc in controversiam omnia & singula, qvibus in precibus afflictionibus &c. operetur; sed qværitur de unico fidei actu, qvo justificat hominẽ peccatorem, ut credens sit Dei filius & hæres vitæ æternæ.

IV. In hoc *actu* & *significatu* qvod Fides non sit nudus assensus, in Intellectu, sed fiducia in Voluntate, qvâ animus recumbit in promissionem Evangelicam, in eâqve ad se in Individuo pertinente erigitur & delectatur, docemus juxtâ scriptum Dei Verbum, qvod Fidei in jam dicto significatu & Exercitio adjudicat 1. πληροφορίαν *Rom.* 4, 21. *Coloss.* 2, 2. *Hebr.* 10, 22. 2. παῤῥησίαν *Ephes.* 3, 12. 1. *Johann* 3, 21, 22, 23. *Hebr.* 3, 6. *cap.* 4, 16. 3. πεποιθησιν *Ephes.* 3, 12. *Ps.* 2. *v. ult.* 4. καύχησιν *Rom.* 5. *v.* 2. *Phil.* 3, 3. 4. 5. τὸ θαρρεῖν *Matth.* 9, 2—22. *Joh.* 16. *v. ult.* Confer 1. *Joh.* 5. *v.* 4. 5. 6. Effectus, qvales â solo assensu proficisci neqveunt: Fides describitur ut justificans, pacem Conscientiæ gignens, constituens filios Dei,

Dei, dans vitam æternam &c. qvales si solus assensus producit, in Diabolis & Hypocritis hi effectus erunt obvii. Ast hoc posterius falsum E. & prius, & per consequens specialis applicatio & fiducia concedenda, qvam in omnibus, qvotcunqve sunt æternum salvati deprehendimus. 7. Applicationem, qva qvilibet in Individuo sperat Dei salutare. *Genes.* 49, 18. confidit in suum Redemptorem. *Job.* 19, 25. confugit ad Dei misericordiam *Ps.* 6, 5. *Ps.* 25, 7. *Ps.* 51, 3. statuit, Deum suum firmamentum *Ps.* 18. *v.* 2. 3. & passim in Psalmis, ubi semper præsupponitur Deus reconciliatus, qvem si mens non intuetur, nullum auxilium sibi â Deo potest promittere. Hinc Esaias Christum agnoscit filium sibi datum & puerum sibi natum. *cap.* 9, 6. exultat & lætatur in salutare sui Dei *cap.* 25, 9. *cap.* 61. *v.* 10. In N. T. Elisabetha Messiam suum credit Dominum. *Luc.* 1. *v* 43. Thomas Christum suum Deum & Dominum appellat *Joh.* 20, 28. Apostolus Paulus vivit in Fide, qva credit, qvod Filius Dei se dilexerit & pro semetipso se tradiderit *Gal.* 2, 20. omnia rejicit, ut Christum lucrifaciat & in ipso inveniatur *Phil.* 3. *v.* 8. 9. Adjungantur his dicta omnia, qvæ per pronomina *Vobis*, *Tibi*, *Vester*, *Noster* &c. applicationem Messiæ exigunt *Esa.* 35, 4. *Zachar.* 9, 9. *Luc.* 2, 10. 11. *Actor.* 3, 26. *Rom.* 4. *v. ult.* 1. *Joh.* 2. *v.* 2. &c. Innumera ferme hujusmodi Dicta occurrunt, qvibus docetur, Christum datum esse Hominibus, passum esse pro illis, traditum esse propter nos &c. qvibus omnibus Applicatio præcipitur, qvia assensus sine applicatione nullum fructum ex his dictis haurit. 8. Actum, cui opponitur τὸ διακρίνεσθαι *Rom.* 4, 20. *Jacob.* 1, 6. τὸ διστάζειν *Matth.* 14, 31. ὀλιγοπιστία *Matth.* 6, 3. *cap.* 8, 26. *c.* 14, 31. *c.* 16, 8. *Luc.* 12. 28. Φόβος. *Luc.* 8, 50. *Marci* 5, 36. 9. *Cor Hominis*, *Actor.* 15, 9. *Rom.* 10, 9. *Ephes.* 3, 17. *Hebr.* 10, 22. In corde autem juxta phraseologiam S. Spiritus non solius intellectus, sed etiam Voluntatis motus residet. Vide *Chemnit. parte* 2. *Loc. p.* 260. *seqq. Hutter. in Loc. p.* 464. *Mentzer. Disput.* 5. *Anti-Pistor. thes.* 99. *seqq. Schroder. in Enchirid. p.* 81. *Polan. l.* 9. *syntagm. c.* 6. *p.* 584. *Gerh. d. l.* §. 71.

## ANTITHESES.

*Pontificii* condemnant thesin, qvæ affirmat, fidem esse fiduciam, & justificantem fidem describunt, ut assensum certum & firmissimum, ob authoritatem primæ Veritatis. Vide *Concil. Trid. sess.* 6. *Can.* 12. *Bellarm. l.* 1. *de Justif. cap.* 3. 4. 6. *Censuram Colon. pag.* 92. 97. *Coster. in Enchirid. pag.* 189. *Pistor. cap.* 5. Wegw. *pag.* 207.

## HYPOTHESES.

Constringuntur Adversarii, ut victas manus præbeant Veritati, I.

per verum qvæstionis ſtatum, qvem negligit *Bellarm. d. l. c.* 4. cum operoſe probat, ex *Hebr.* 11, 1. Fidem eſſe firmum aſſenſum. Fatemur hoc cum ipſo, qvod autem hic aſſenſus excludat fiduciam, nullo argumento poteſt evinci: *Hebr.* 3, 6. 13. ὑπόστασις explicatur per fiduciam. Paulus etiam 2. *Cor.* 6, 4. *cap.* 11, 16. ὑπόστασιν gloriationis vocat certam immotam animi confidentiam.

II. Per Grammaticam ἕκθεσιν vocis πίστεως, cum qva non pugnare fiduciam, multis exemplis docuit *B. Chemnit. p.* 2. *Loc. Theol. pag.* 161.

III. Per Differentiam *Fidei* & *Spei*, qvæ â noſtra doctrina non tollitur: Nam conſtanter docemus, qvod 1. *illa hanc φύσει* præcedat. 2. *illa* promiſſionem, *hæc* rem promiſſam reſpiciat. 3. *illa* præſentem ſiſtat promiſſionem; *hæc* protendat ſe in futura Bona. His differentiis non obſtantibus, ob arctiſſimam fidei & ſpei unionem, ſæpe una pro altera ponitur, & manet nihilominus ſpei Radix, Fides, cum non poſſim ullum Bonum â Deo ſperare, niſi credam, Deum mihi eſſe propitium.

IV. Per Fidei gradus diſtinctos, enumeratos *Epheſ.* 3, 12. de qvibus docte ſcribit *Pezel. parte* 4. *object. pag.* 226. qvod in his Apoſtolus Fidei Naturam deſcribat, qvatenus fides 1. accedit. 2. audet. 3. Confidenter agit. Magna eſt res, accedere ad Deum Judicem, vere & horribiliter iratum peccato. Majus qvippiam eſt, libere cum Deo agere & colloqvi. Maximum eſt, ſecuro conſtanti & adverſus omnes portas inferorum invicto animo ac Conſcientia in paterno Dei amore acqviescere & certo ſibi polliceri vitam æternam, nec mortem, nec inferum expaveſcere.

V. Per Explicationem ſubjecti, in qvo hæret fides, hoc juxta S. Scripturam eſt cor Hominis, qvod comprehendit ſtylo S. Spiritus Intellectum & Voluntatem, qvarum facultatum qvæ ſit diſtinctio, ipſi Philoſophi nondum ediſſeruerunt. Confer *Chemnit. d. l. Hutter. d. l. Battum de Juſtif. pag.* 206. *Gerhard. d. l.* §. 74.

Qv. IX. *Qvodnam eſt Fidei objectum, qvatenus eſt Notitia & Aſſenſus?*

## THESES.

Fides, qva vel Deum eſſe credimus, vel ipſi Deo dicenti attendimus & aſſentimur, verſatur circa πράγματα καὶ δόγματα â Deo revelata. Hominum autem ἐπιτάλματα, & Rationis humanæ Νοήματα Fidei, qvæ eſt Notitia & Aſſenſus, non poſſunt eſſe objecta. Vendicat enim Scriptura dictæ Fidei 1. ἔλεγχον ὰ βλεπομένων *Hebr.* 11, 1. ut diſtinguaturtum

ab

ab opinione, suspitione ac dubitatione, qvæ non cogunt nec convincunt Intellectum; tum â scientia & intellectu, qvæ lumen & evidentiam Rationis reqvirunt. 2. Νόημα, qvo scimus, mundum esse creatum ex nihilo, qvod nisi Deus revelâsset, nemo cognovisset *Hebr.* 11, 2. 2. Dogmata qvæ Pater cœlestis revelavit *Matth.* 16, 17. qvæ homines audiunt & discunt â Patre *Joh.* 6, 45. qvæ dedit Pater *Joh.* 17, 8. revelavit εἰς ὑπακοὴν πίστεως *Rom.* 16. *v.* 26. qvibus divites fecit homines ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει 1. *Cor.* 1, 5. & revelavit λόγος ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου 1. *Cor.* 2. *v.* 13. qvos nemo credit, nisi qvia â Verbi præconibus audiverit *Rom.* 10, 14. 4. Econtra removet S. Scriptur â Fide sapientiam hujus sæculi *Matth.* 11, 25. *Joh.* 17, 25. 1. *Cor.* 2, 4. 5. *seqq.* altitudinem sese extollentem 2. *Cor.* 10, 5. Philosophiam *Coloss.* 2. *v.* 8. traditiones hominum. *d. l.* ἀνθέσεις ψευδωνύμου γνώσεως. 1. *Tim.* 6, 20. & indoctas Fabulas. 2. *Petr.* 1, 16.

## Qv. X. *Num Fides ut Notitia & Assensus circa omnia versatur, qvæ leguntur in scripto Dei Verbo?*

## THESES.

SCriptum Dei Verbum substernitur fidei 1. ut principium & fundamentum. 2. ut objectum. *Priori* modo tota Scriptura Prophetica & Apostolica Fidem sustentat, qvatenus omnia sunt credenda vera, qvæ S. Scriptura docet & affirmat, omnia vero falsa, qvæ S. Scripturæ adversantur. *Posteriori* modo diversa est Fidei actio, pro diversitate Conclusionum, qvæ ex sacris literis eruuntur. Sic E. g. sive credam, mundum esse creatum ex nihilo, sive credam, Diluvium esse factum universale, sive credam, Deum esse unum in Essentia, trinum in personis, Christum esse Deum & hominem &c. Fides nititur uno hoc principio, *S. Scriptura docet*, E. *hoc vel illud verum est*. Si autem ipsa dogmata vel objecta attendas, in illis varietatem & differentiam non potes non agnoscere. Versatur ergo fides circa omnia qvæ traduntur in sacris literis, sed diverso considerandi modo. Circa *Historica* & *moralia* versatur, ut sunt vehicula pietatis, & promovent πρᾶξιν in agendis vel omittendis. Circa *dogmata* versatur, ut pariunt fiduciam justificantem & sapientiam spiritualem. Hæc Dogmata sunt 1. *fundamentalia*, qvæ fundamentum fidei justificantis constituunt, adeoqve ad salutem scitu simpliciter necessaria, qvia non solum iste, qvi adulta in ætate ea negat, sed etiam iste, qvi ignorat damnatur. 2. *fundamento præsupponenda* sine qvibus fundamentum fidei consistere neqvit, cujus itidem Ignoratio & Negatio est damnabilis. 3. *Fundamen-*

*damentum conservantia*, qvæ præcavent opiniones, qvibus fidei justificantis fundamenta evertuntur, & hæc possunt â salvando Ignorari, non autem negari, qvi enim hæc negat & oppugnat per contrarias opiniones, fidei fundamentum destruit; qvi autem simpliciter ignorat, non statim eo damnatur, qvia ignorat Dogma, qvo fidei fundamentum vindicatur ab oppugnantibus pravis opinionibus. 4. *Non fundamentalia*, qvæ sine ulla æternæ salutis jactura possumus ignorare & negare. E. g. Deum dilexisse homines peccatores, iisqve misisse Christum Mediatorem, ut salventur, est dogma fundamentale, qvia si qvis Adultus hoc ignorat vel negat, ad salutem æternam ordinariam non habet viam. Dogma de Dei Justitia & misericordia est fundamento præsupponendum. Doctrina de Communicatione Idiomatum Fundamentum fidei conservat, qvatenus præservat mentem ab opinionibus, qvibus Dogma de Christi Persona evertitur: Non autem est *fundamentalis*, in significatu sc. primo, qvia ille qvi eam ignorat, modo non neget, non statim ob simplicem ejus Ignorantiam damnatur. Dogma de Virgine B. Maria, qvæ post Christum natum mansit Virgo, non est fundamentale, qvia, negans & affirmans, nullum suæ saluti imminens sentit periculum. Plura de his vide in Διατυπώσει *D. Nic. Hunn. de fundam. Dissensu.* ex qva intelligitur, Dogmata fundamentum fidei *directe* & *essentialiter* constituentia non esse adeo multa, sed residere in iis, qvæ declarant 1. Voluntatem Dei antecedentem, 2. Universale Christi meritum. Omnia reliqva Dogmata sunt vel fundamento præsupponenda, vel fundamentum Conservantia, vel denique non fundamentalia. Vide *Meisn. disp. 1. de Fide th. 96. seqq. Scholasticorum* disputationes de Articulis fidei vide ap. *Bonavent. l. 3. sent. dist. 25. art 1. & 2. Azor. tom. Instit. moral. l. 8. cap. 6, 7. Thom. 2. 2. qu. 2. art. 7. 8. Becan. parte 2 Theol. sch. tom. 2. tr. 1. q. 3. Greg. de Valent. tom. 3. Disp. 1. q 2. punct. 2. sqq.*

## Qv. XI. *Annon Fides qvatenus justificat, versatur circâ specialem DEI misericordiam & Christi meritum?*

## THESES.

I. NOn qværitur hîc, An fides justificans, qvæ & Notitia & assensus est, credat Christi Deitatem, Omnipotentiam, passionem, resurrectionem &c. qvod ipsimet profitemur: sed qværitur de fidei Objecto adæqvato, in justificationis actu, an in hoc actu versetur circâ omne Dei verbum; An potius circâ Promissionem Evangelicam, qvâ effertur gratia Dei salutifera, qvæ apparuit in Christo, Redemptore humani generis.

II. *Prius* negamus, qvia multa obveniunt in verbo Dei, qvæ spectant

stant ad Legem moralem, ex qvâ qvod non sit justificatio, diserte docet Apostolus *Actor.* 13, 38. *Rom.* 3, 20. *seqq. Gal.* 3, 11.

III. *Posterius* affirmamus, freti hoc argumento: Qvodcunqve Objectum Christus, Apostoli & Prophetæ Fidei in Justificationis actu attribuunt circâ illud versatur. At promissionem Evangelicam de Messiâ ejusq; beneficiis Christo, Apostoli & Prophetæ Fidei in justificationis actu attribuunt. E.

IV. Assumptionem probamus 1. verbis Christi, qvibus fidei justificanti substernit Evangelium *Marci.* 1, 15. *cap.* 16, 15, 16. Seipsum *Joh.* 3, 16, 18. *cap* 6, 40. 47. *cap.* 11, 25. *c.* 12, 36, 46. *cap* 14, 1. *Actor.* 26, 18.

V. 2. Verbis Apostolorum, qvibus deprædicant fidem salvantem, qvæ fertur (1.) in Nomen Christi *Joh.* 1, 12. *cap.* 2, 23. *c.* 3, 36. 1. *Joh.* 3, 23. *c.* 5, 13. (2.) in ipsum Christum *Joh.* 1, 7. *c.* 20, 31. *Actor.* 10, 43. *cap.* 13, 39. *cap.* 16, 31. *cap.* 20, 21. *Rom.* 10, 9, 10. *Gal.* 2, 16. *cap.* 3, 26. *Colos.* 1, 4. 1. *Petr.* 1, 8. *cap.* 2, 6. 1. *Joh.* 5, 10. Hinc passim dicitur Fides Jesu Christi. *Rom.* 3, 22, 26. *Gal.* 2, 16, 20. *cap.* 3, 22 *Philip* 3, 9. *Apocal.* 14, 12. (3.) in sanguinem Christi *Rom.* 3, 22. *Hebr.* 10, 19 (4.) in promissionem de Messiâ. *Rom.* 4, 24, 25. *Galat.* 3, 6, 22.

VI. 3. Vaticiniis Prophetarum, qvibus Beati pronunciantur, qvotqvot credunt in promissum Messiam. *Ps.* 2. *v. ult. Ps.* 22, 27. *Esa.* 12, 32. *seqq. cap.* 45, 24, 25. *cap.* 53, 14. *Oseæ.* 2, 20. *Hab.* 2, 4. *Rom.* 1, 17. *Gal.* 3, 11. *Hebr.* 10, 38.

VII. 4. Defectu objecti alterius, qvo niti possit Sententia Dei absolvens peccatorem: Nisi enim dictæ sententiæ objectum substernas, qvod nos propugnamus, nihil invenies in tota Scriptura Canonicâ qvod substerni possit; Non convenit certè Deo in Bibliis revelato talis sententia: Ego te peccatorem absolvo â tuis peccatis, qvia credis, mundum esse conditum, extitisse Diluvium, esse Diabolos &c. Maxime autem convenit Deo revelato hæc sententia: Ego te absolvo â peccatis, qvia credis in Filium meum, qvi factus est Homo & sanguinem effudit in remissionem peccatorum.

VIII. Exceptionibus Adversariorum via præcluditur 1. distinctione inter *Historias Legales & Evangelicas*, ex his solatium fluere concedimus, illæ vero fidei justificantis Objecta non sunt, qvia ex Lege nulla Caro justificatur;

IX. 2. Rejiciendo confictam hypothesin de fide, qvæ justificat, revocando â peccato, disponendo ad justitiam, & excitando bonum propositum: In hisce actibus qvod fides hominem peccatorem justificet, nulla scriptura θεόπνευστος docet.

X. 3. Explicando phrasin, qvâ dicitur, qvod qvidam crediderint,

Jesum esse Christum filium Dei *Matth.* 16, 16. *Joh.* 1, 49. *cap* 6, 69. *cap.* 11. *v.* 27. *Act.* 8, 37. Hanc phrasin accipiendam esse de solo assensu, qvo Christi Divinitas, Omnipotentia & officia approbata, non concedit status illorum, de qvibus hæc phrasis enunciatur: Hi describuntur ut fundati in solidâ petra *Matth.* 16, 18. veri Israëlitæ *Joh.* 1, 47. distincti ab Hypocritis *Joh.* 6, 70, 71. Christo dilecti *Joh.* 1, 5 gaudentes *Act.* 8, 39. qvales certè non sunt illi, qvi nudo assensu credunt, Christi divinitatem, omnipotentiam &c. qvia hujusmodi assensum impiis, hypocritis & ipsis Diabolis denegare non possumus.

XI. 4. Officio Christi, qvod est salvare peccatores, qvi ergò credit, Jesum esse Christum, & sese agnoscit peccatorem, credit etiam, Jesum venisse, ut se peccatorem salvum faciat: Indissolubilis enim hæc est Connexio in mente fideli: Si Jesus Nazarenus est Christus, qvi salvos facere debet peccatores, & ego sum peccator, utiqve etiam me salvum faciet.

XII. 5. Effectibus, qui tribuuntur *fidei in Christum*, & *fidei Jesu Christi*; Hi enim non proveniunt â generali assensu, qvi in multis deprehenditur, qvi tamen æternam vitam non conseqvuntur.

XIII. 6. Absentiâ aliorum objectorum, circâ qvæ fides justificans in actu justificationis versari dicatur: Nullibi enim legitur, qvod ille, qvi firmo assensu tenet, mundum esse creatum, futurum esse extremum judicium, mortuos esse resuscitandos &c. statim conseqvatur remissionem peccatorum & vitam æternam.

XIV. 7. Relatione inter fidem & promissionem, qvam Apostolus *Rom.* 4, 16. eleganter illustrat, docendo, non esse ratam promissionem, nisi qvis eam fide receperit. Qvi autem non credit Deum facit mendacem 1. *Joh.* 5, 10. 11.

XV. 8. Connexione aliarum promissionum de Messia: Hanc confirmat (1) Apostolus *Rom.* 4. qvi fidem Abrahami commendat ut Exemplar nostræ fidei *v.* 22. nobis â terra Chanaan & Vocatio gentium non est promissa (2) Certitudo omnium promissionum, qvæ est in Christo 2. *Cor.* 1, 20. (3) principale objectum Fidei, qvod est Deus propitius & reconciliatus, qvo non apprehenso, fides nihil boni sibi â Deo promittere potest. Extra Christum autem Deus est nobis Ignis consumens. (4) Descriptio seminis, Abrahamo promissi, qvod est Christus *Gal.* 3, 16. qvi sub velamine promissionum de bonis corporalibus, latuit in V. T. (5) multitudo filiorum Abrahami, qvi omnes illi, qvi credunt in Christum. *Rom.* 9, 7. *Galat.* 3, 8. *& ult.* Confer *Chemnit. in Exam. p.* 160. *Hutter. in*

*Loc.*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0058
DFG

*Loc. Theol. pag.* 457. *Battum de Justif. pag.* 275. *Gerhard. tom.* 3. *Loc.* 19. §. 129. *D. Meisn. in Disp. de Fidei Appellat. thes.* 102 *seqq.*

## ANTITHESES.

I. Sagacitas *Jesuwitica* ridet nostram doctrinam, qvæ tamen Spiritus S. est, & probare annititur, fidei justificantis objectum non esse *specialem Dei misericordiam*; sed *omnia qvæ Deus revelavit.* Vide *Bellarm. l.* 1. *de Justif. cap.* 8. *seqq. Censur. Colon. p.* 118. *Tapper. in Explicat. art.* 9. *Becanum de Justificat. Calvinist. cap.* 7. *th.* 2. *Pistor.* im Wegweis. *cap.* 5. *pag.* 209.

II. *Socinus lib. de Servat. part.* 4. *cap.* 9. *pag.* 368. mentem suam sic exponit: *Credere per ea, qvæ passus est Christus, nostra peccata deleta fuisse, nullo modo ea fides in Christum esse potest, qva justificamur.*

III. *Anabaptistæ* docent; fidei justificantis, ex qva proveniunt bona opera, objectum esse omne Dei verbum, *Menno Simon. in Fundam. p* 329. *seqq.*

## HYPOTHESES.

I. Nostræ thesi neqvaqvam contradicunt Dicta, qvæ fidei Justificanti alia objecta vendicant, præter Evangelicam promissionem: Nos enim hæc â fide non simpliciter, sed secundum qvid removemus, qvatenus sc. fides in actu justificationis operatur: Uti autem scientia nostra circa varia versatur objecta, licet in abstractione *Metaphysica* saltem versetur circa *Ens qvatenus Ens est*; ita fides justificans circa varia versatur objecta, licet in Justificatione solum Christum ejusqve meritum intueatur.

II. *Cap.* 11. *ad Hebr.* Apostolus ex professo non disputat de fidei Actu in *Justificatione*, sed de variis fidei exercitiis in persequutione, obedientia, precibus, spe &c. Uti patet ex *cap.* 10, 35. 36. *seqq.* & ex toto contextu: Agit ergo hoc Caput de *fide Justificante*, sed non de ejus exercitio in Justificationis actu.

III. Fides Leprosi *Matth* 8. 2. & cæcorum *Matth* 9, 28. respexit Bona corporalia, de qvibus hic non est Controversia.

IV. Pharisæus *Luc.* 18, 11. confidit in Dei misericordiam, qva custoditus fuerat â gravioribus delictis, non autem confidit in misericordiam, qvam commendat Evangelium de Jesu Christo, adeoqve non Justificatur, qvia justitiam qværit ex Lege extra Christum: Publicanus confugiens ad ἱλαστήριον & Dei gratiam, qvæ absolvit peccatores, in eam confidit misericordiam, qvæ est proprium justificantis fidei objectum.

V. Christi passionem, mortem, Resurrectionem &c. non excludimus â fidei justificantis objecto; modo illorum omnium Applicatio includatur, sine qva fides, historias credit duntaxat veras, & non justificat.

VI. Apo-

VI. Apostolus 1. *Cor.* 13. miraculosam fidem sejungit â charitate *v.* 7. qvam cum justificante conjungit *Gal.* 5, 6.

VII. Specialis Dei misericordia Christo innititur, adeoqve in *secundo Art symboli Apostolici* continetur, ut & in tertio, qvo credimus Remissionem peccatorum.

VIII. Absurdum & Ineptum est postulatum *Jesuwitarum*, qvo exigunt, ut monstremus, ubi in Bibliis scriptum legatur, Lutherus Calvinus &c. habent remissionem peccatorum. Nam 1. Describitur fides Eunuchi *Actor.* 8, 37. Marthæ *Joh.* 11, 27. Pauli *Galat.* 2. 20. & tamen nullibi leguntur hæc verba Christi. Tibi Eunucho, tibi Marthæ, tibi Paulo sunt remissa peccata. 2. Infiniti libri essent scribendi, si nemo sibi deberet applicare promissionem Evangelicam, nisi Deus qvemlibet in Individuo designaret & ipsi in Individuo promitteret remissionem peccatorum. 3. qvemadmodum generalis sententia Legis omnes obstringit, ut subsumant, se esse peccatores, & qvemadmodum generalia dicta de Resurrectione mortuorum omnes cogunt, ut suam resurrectionem subsumant in Individuo, ita generales promissiones Evangelicæ omnes cogunt, ut subsumant, sibi esse data & acqvisita Christi beneficia: Sic omnes Disciplinæ tradunt generales maximas & Definitiones, qvæ Individuis sunt applicabiles, ê qvibus etiam qvilibet de se in Individuo statuit: E.g. Ethica non dicit Petrus, Paulus &c. est mansuetus; sed tradit hanc generalem Maximam: Qvi moderatur Iram, ille est mansuetus. Ex hac generali Maximâ qvilibet judicat de suo Affectu &c.

IX. Promissiones Evangelicæ offerunt 1. Christum in Beneficiis apprehendendum 2. Eundem, ut apprehensum. Priori modo fidei sunt objectum: posteriori modo fidei, declarant effectum. Qvatenus ergò Universalis Dei φιλανθρωπία cum universali Christi merito omnibus offertur peccatoribus, ut hæc bona apprehendant, eatenus promissiones Evangelicæ sunt fidei Objecta; Cum autem legitur, de jam credentibus qvod justificentur, salventur &c. fides describitur â suis Effectis. Subsumptio igitur sub promissionibus Evangelicis non est conditionalis uno eodemqve modo. Fides enim qvæ versatur circâ suum objectum ita subsumit. Qvia Christus venit, salvos ut faceret peccatores, me etiam salvum faciet. Fides autem exultans in suo effectu, ita subsumit: Qvia ego credo in Christum, remissa mihi sunt peccata & habeo vitam æternam.

X. Subsumptio Fidei non est præsumptio vel opinio; sed actus Intellectus

tellectus & voluntatis productus â Spiritu S. qvi testimonium reddit Spiritui nostro *Rom.* 8, 16. ut cognoscere possimus, Jesum Christum esse in nobis 2. *Cor*, 13, 5, 6.

XI. Actus Fidei vel est Simplex in justificatione, vel reflexus. Ille apprehendit promissionem Evangelicam, qvæ exhibet gratiam Dei specialem apprehendendam; Hic credit, se habere jam bona apprehensa, & justificatione posterior est: Ille simul est cum justificatione, uti causa formaliter considerata est simul cum suo Effectu. *D. Meisn. parte* 2. *Philos. Sobr. sect.* 2. *cap.* 1. *qv.* 7.

XII. Ex Bonis operibus, tranqvillâ Conscientiâ, & aliis fidei fructibus colligimus, fidem esse adhuc præsentem & perseverantem, qvando stamus fide Rom. 11, 20. & in eâ custodimur 1. Pet. 1, 5. qvod autem fides justificans nascatur ex bonâ Conscientiâ & perseverantia in dilectione, divinæ scripturæ non tradunt Confer *Chemn. d. l. p.* 161. *Hutter. d. l. p.* 458. *Gerh. d. l.* §. 136. *D. Meisner. Disput. de Appellat. &c. Fidei thesi.* 112.

XIII. Fides non attendit Temporum differentias, sive præteritum sive futurum qvid sit: sed promissioni oblatæ adhæret, qvæ in V. T. includebat passionem Christi futuram, hoc nostro tempore includit passionem præteritam, & tamen una est fides, qvæ promissionem ceu suum correlatum respicit semper ut præsentem, utcunqve res promissa sit adhuc futura, sive præsens, sive præterita: Sic captivus confidit in promissionem ἀνταλύτρε, sive illud sit solutum, sive solvatur in præsenti, sive solvendũ, modo promissioni sua constet veritas, fiducia non periclitatur.

XIV. In sacris literis res præteritæ & præsentes sæpe sunt Fidei objecta *Joh.* 11, 27. *cap.* 16, 27. 1. *Thessal.* 3, 14. *Actor.* 8, 37. 1. *Joh.* 5, 5.

XV. Christi beneficium duplex est: Aliud gratiæ; aliud gloriæ, qvod semper in hac vita manet futurum.

## Qv. XII. *Num Fides est obedientia, qvâ obtemperamus DEI Præceptis?*

## THESES.

LEgimus aliqvoties Fidem in sacris describi, ut ὑπακοὴν sive Obedientiam *Actor.* 6, 7. *Rom.* 1, 5. *c.* 10, 16. *c.* 15, 18. *c.* 16, 26. 2. *Cor.* 10, 5. 2. *Thess.* 1, 8. 1. *Pet.* 1, 2, 22. Verum in his locis textus συνέπεια evincit, obedientiam intelligi, qvæ versatur circa Evangelium de Christo. Qvæstio igitur formata, ex his dictis non acqvirit solutionem, qvia qværit de obedientia, qva servantur præcepta Legis moralis; Hujusmodi obedientia qvod sit Fides Justificans, toties negat S. Scriptura, qvoties opera Legis

gis ex Justificationis actu excludit. Urgemus etiam hæc Argumenta 1. N. obedientia â lege morali præcepta oritur ex Lege. Atqvi Fides qvatenus justifica ex Evangelio est *Rom.* 10, 17. E. 2. Fructus fidei non est ipsa fides. Atqvi obedientia legi obtemperans est fructus fidei qvæ justificat *Gal.* 5, 6. E. 3. Nullum solatium est ex Legis obedientia *Rom.* 4, 15 *Galat.* 3, 21. Atqvi fides justificans conjuncta cum suavissimo solatio *Rom.* 5, 1. 2. E.

## ANTITHESES.

I. NeoPhotinianorum hæc est de Fide justificante confessio: *Fides in Christum, qvæ nos justos coram Deo constituit, nihil aliud est, qvam Christo confidere, id est, non solum, qvæ Christus ad nos spectantia dixit, vera esse, credere, sed etiam ea tanti esse, æstimare, ut si qvid nos facere præcepit, id faciamus, si qvid nos sperare jussit, id speremus. Ostorod. in Instit. cap. 2. pag. 20. Duo Fides comprehendit; unum, ut non solum Deo, verum etiam Christo confidamus, deinde, ut Deo obtemperemus. Catech. Racov. Art. 5. cap. 9.*

II. *Weigeliani* & *Novi Prophetæ*, dictitant; Fidem esse ipsam interiorem Experientiam & Renovationem *Weigel. parte* 1. *Postil. pag.* 130. *parte* 2. *pag.* 316. *parte* 3. *Postillæ p.* 316. Glaube ist gehorsam gegen GOttes Gebott. Spiegel. *cap.* 4. Christianus simplex in der 3. Frage ꝛc.

## HYPOTHESES.

Depurgantur mentes â præmissis erroribus I. distinctione inter *Obedientiam Fidei* & *obedientiam Legis*. Hæc sequitur illam, ceu effectus causam, & Christum attendit ut Exemplum, qvem illa apprehendit ut Donum.

II. Sana Explicatione dicti Apostolici *Ephes.* 3, 17. in qvo Christus inhabitans non confundendus cum Christo radices figente: *ille* fidei relinqvitur, *hunc* autem Dilectio concomitatur, qvia viva fides, cordibus Christum inserens, qvando per Charitatem Dei & proximi se exerit, altas radices agit, ut perseveret per fidem Christi inhabitatio.

III. Rejectione istius obedientiæ, qvæ præcepta fingitur Novis Christi præceptis Lege morali superadditis, de qvibus vide supra suo loco.

IV. Diversa Fidei Actione, qva agit vel cum Deo in Foro poli, vel cum proximo in Foro soli. In illa adest qvidem Bonis operibus; sed una cum illis non operatur: in hâc & Bonis operibus adest, & cum illis operatur, qvando impellit ad opera legis, in iisqve vivam atqve Efficacem sese ostendit.

V. Designatione respectus, qvo Fides appellatur Virtus præcepta in Decalogo. Sortitur hunc titulum Fides, respectu objecti indeterminati, qvod est qvælibet divina promissio, cui ut assentiamur & confidamus Lex præcipit: Qvatenus autem Fides versatur circa objectum ab Evan-

gelio

gelio determinatum, respectu hujus objecti pertinet ad Evangelium, & Justificat, non ut qvalitas, sed ut correlatum promissionis Evangelicæ, qvemadmodum seqventi capite clarius hoc apparebit.

Qv. XIII. *Num Fides justificans informatur à Charitate ceu Forma Assistente?*

## THESES.

Distinctio inter *Fidem informem* & *charitate formatam Scholasticorum* peperit speculatio, cui nec qvoad phrasin nec qvoad rem ipsam ullam dedit ansam divina revelatio. Innititur autem hæc distinctio Justitiæ inhæsivæ, qvam ex Aristotelis Ethicâ hauserunt *Scholastici*, & illis argumentis destruitur, qvibus demonstratur, qvod Sola Fides justificet coram Deo peccatores. Hæc cum seq. Caput sibi adjudicet, in simplici Negatione acqviescimus hoc loco & petimus S. Scripturæ dicta, qvibus hæc distinctio innitatur. Nos enim illam ἄγραφον & ἀντίγραφον censemus, utcunqve illam propugnet *Lomb. l. 3. sent. dist. 23. lit. C. Thom. 2. sec. q. 4. art. 3. Cens. Colon. p. 114. Bellarm. l. 2. de justif. cap. 4. Pistor.* im Wegweis *pag. 184. Hos. Card in Confess. cap. 62. 64.*

## ANTITHESES.

Adulantur his ipsis *Neo-Photinïani*, qvi charitatem fidei justificantis constituunt formam intrinsecam & informantem, *Pontificiis* in eo deteriores, qvatenus hi saltem pro Externa Forma pugnant, admittentes Satisfactionem Christi, pro nostris peccatis, qvam Photiniani abjiciunt. *Bellarm. l. 2. de justif. cap. 4.* ex duobus S. Scripturæ dictis eruere satagit Fidem formatam â charitate: scilicet ex *Jacob. 2, 26.* & ex *Galat. 5, 6.*

## HYPOTHESES.

I. Utrumqve vindicandum â strophis *Jesuwiticis*. In primo *Jacobus* loqvitur de *Fidei exercitio*, qvo operatur in foro soli, apud Homines, qvando operibus & factis illud contestatur, qvod corde credit & ore profitetur. Nam 1. *Jacobus* totam suam παρέσιν opponit illis, qvi fidem Domini nostri Jesu Christi habent in personarum acceptione, persuasi, qvod pauperes credentes cedant divitibus, *cap. 2. v. 1. 2. 3. 4. 5.* 2. Normam suæ παραινέσεως qværit *Jacobus* in Lege, qvæ præcipit, ut diligamus proximum *vers. 8, 9. seqq. 3.* Scopum suæ παραινέσεως constituit *Jacobus* in Exercitio misericordiæ, qvæ ipso opere declaranda pauperibus *v. 15. 4.* Simili utitur tali *v. 16.* qvali docetur, qvod proximum non juvet mea Fides, nisi exerceatur in opere, qvemadmodum frigore

afflictus non calescit, tamenetus non saturatur meâ cogitatione & consolatione verbali, cui deëst ipsum opus. 5. Loqvitur Apostolus de Fide, qvæ proximo ostenditur *v.* 18. 6. Exempla, qvibus *Jacobus* suam thesin confirmat, desumpta sunt ab illis, qui cum proximo rem habentes fidem suam exercuerunt, uti Abraham offerens filium sibi dilectum, ipso opere filio sese declarat justum & Amicum Dei, qvia Deum plus diligit, qvam filium unicum. Sic Rachab suscipiens nuncios, & alia viâ ejiciens, his charitatis operibus sese Israëlitis justam declaravit, & fidem suam in foro soli apud homines exercuit. Non igitur in *actu* & *Exercitio Justificationis*, qvo operatur Fides coram judicio Dei, de Fide dicitur, qvod salvare neqveat sine operibus *v.* 14. mortua sit sine operib9 *v.* 17. 20, 26. cooperetur operibus & iisdem consummetur *v.* 22. non justificet tantum *v* 24. Justificet autem cum operibus *v.* 21, 25. sed hæc enunciata omnia accipienda sunt de Fide, qvæ agit cum proximo, & justificat hominem in *foro soli* coram visibili Ecclesia: Si vero qvis hujumodi enunciata attribuit Fidei, qvatenus coram DEI judicio impetrat remissionem peccatorum & Justitiam Deo acceptam, textui Vim infert manifestam, qvia 1. nullo verbo indicat Apostolus, se loqvi de fidei operatione, *qva Justificat* impium coram judicio Dei. Vox *justificare*, qvod accipienda sit de Justificatione in *foro soli*, abunde probat Exemplum *Abrahami*, qvod allegat Apostolus: Si in hoc demum coram Deo Justificatus est Abraham, non fuit justus, nec remissionem peccatorum adeptus est, anteqvam obtulit filium *Genes.* 22. Hoc posterius autem falsum pronunciat *Moyses Genes.* 15, 6. & *Paulus Rom.* 4, 3. *Galat.* 3, 6. Imò nisi Abrahamum toto illo tempore, qvo vixit, anteqvam tentatus est præcepto, de immolando Isaaco, ceu Dei inimicum æstimare velimus, contra manifestas Historias, (qvibus ut Dei Amicus Introducitur *Genes.* 17, 2. *Rom.* 4, 11. *cap.* 18, 18. *c.* 19, 29.) *cap.* 21, 22. cogit nos Biblica Historia, ut verba Jacobi accipiamus de fidei Exercitio, qvo sese exercuit in conversatione cum proximo; & cujus respectu Scriptura *Genes* 15, 6. qvæ agit de fide Justificante, dicitur impleta in opere Abrahami, qvo immolavit Isaacum, cum jamdudum erat impleta, qvoad Justificationem Abrahami coram Judicio Dei. *Bellarm.* putat, Scripturam esse impletam, qvatenus ex justo Abrahamo factus est *magis justus*, præsupponens Bona opera etiam Justificare homines coram Deo, id qvod S. Scriptura negat. 2. Fides non exercens sese Bonis operibus, Fidei Dæmonum convenire dicitur in objecto *v.* 19. Ast Fides ut justificat, nulla ratione convenit in objecto cum fide Dæmonum, qvæ nunqvam versatur circa specialem

miseri-

misericordiam apprehendendam. & applicandam. E. *Fides* in actu justificationis coram Deo, non describitur â *Jacobo* 3. Vox ἐπληρώθη *v.* 22. respicit illum Fidei actũ, qvi sine operibus externis (de internis nihil extat in textu) est imperfectus. Atqvi fidei actus, qvo coram Deo Justificamur, sine operibus Externis non est imperfectus, qvia Infantes, latro conversus in cruce & multi alii sine Externis operibus justificati sunt. E. Fidei actum qvo coram Deo Justificamur, non denotat vox ἐπληρώθη, qvæ sæpè accipitur de illis, qvi sunt ἀνυπόκριτοι, h. e. fidem, qvam fovent in corde & profitentur ore, ipso demonstrant opere, *Matth.* 5, 48. *Philip.* 3, 15. confer dicta V. T. in qvibus est vox Hebr. תמים *Genes.* 6, 9. *Ps.* 84. *v.* 12. *Ps.* 101, 2. *Job.* 36, 3. *&c.* Ex his oppido manifestum, *Pontificios* ludere παραλογίσμῳ παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἐλέγχου, qvando ex *Jacobi cap.* 2. argumenta corradunt, qvibus concludunt; Fidem Christianorum in *Actu* & *exercitio*, respiciente alios homines in *foro soli*, sine operibus bonis esse mortuam, ut corpus sine spiritu, & neminem Justificare coram judicio, qvo homines justificant homines. Concedimus has conclusiones, ut non oppositas nostræ thesi, qvæ affirmat; Fidem in *Actu* & *Exercitio* justificationis operari sine operibus & justificare tantum coram judicio, qvo Deus justificat Homines peccatores. Appositio simili nostram responsionem illustrat *D. Brentius Tom. 8. oper. pag. m.* 280. *Fides*, inqvit, *habet duplices manus: unam qvam extendit sursum & apprehendit Christum, una cum omnibus suis beneficiis & hac parte dicimus, nos justificari h. e. consequi remissionem peccatorum & Spiritum S. per fidem, non qvidem propter meritum hujus actionis, sed propter Christum, qvi fide, qvamvis imbecilli accipitur. Alteram, qvam protendit deorsum ad exercenda opera charitatis &c.* Vide de hoc *Cap.* 2. *Jacobi Gerh. L. de Justif. tom.* 3. §. 190. *tom.* 5. *Giess. disp.* 11.

II. In secundo Dicto *Galat.* 5, 6. vox ἐνεργουμένη non est posita in significatione *passiva*, qvia semper in scriptis Apostolicis habet *activam* significationem *Rom.* 7, 5. 2. *Cor.* 5, 6. *c.* 4, 12. *Galat.* 5, 6. *Ephes.* 3. *v.* 20. *Coloss.* 1, 29. 1 *Thessal.* 2, 13. 2. *Thessal.* 2, 7. *Jacob.* 5, 16. *Syriaca* Versio non est *authentica* & verba Syriaca in *Hihtpael activam* etiam significationem habent 2. *Cor.* 4, 12. Sensum verborum Apostolicorum qvod spectat, ille ex duplici Fidei Exercitio superius monstrato evidenter patet; Apostolus non dicit Fidem *in Justificationis actu* â charitate ceu Forma sua vim Justificandi accipere; sed *Vim fidei* opponit *conficta Virtuti*, qva vel circumcisio vel præputium in Christo prævalere *Justitiarii* opinabantur. Negat Apostolus utriusqve virtutem, & solam fidem opponit, qvæ in Christo

habet 1. ἰσχύν sive robur, qvo coram Deo justificamur, hæc enim ἰσχὺς Circumcisioni & præputio denegatur. 2. ἐνέργειαν, qvam exerit per charitatem, qvâ proximo sese operosam & vivam commendat. Confer *Brent. d. l. p. 277. seqq. Chemnit in Exam p. 162. seqq. Hutt. in L. pag. 468. Mentz. d. 5. Anti-Pistor p. 240. Gerh. d. l. §. 117. sqq. Polan lib. 9 Syntagm c. 6.*

## Qv. XIV. *Num vere pœnitentibus Deus præcepit, ut omnia & singula peccata, qvæ memoria recolere valet enumerent & Sacerdoti confiteantur?*

## THESES.

NEgamus, præcepto divino obstrictos esse Christianos, ut 1. omnia & singula peccata mortalia, qvæ post districtũ Examen venerunt in memoriam, Sacerdoti enarrent, & in auriculari Confessione indicent. 2. omnes peccati circumstantias, qvæ peccati speciem mutant, recenseant. 3. credant, dictam confessionem esse meritoriam, qvâ peccatum deleatur, & peccatum illud non remitti, qvod Sacerdoti non est expositum. 4. agnoscant Sacerdotes ut spirituales judices, qvi de peccatis singulis possint cognoscere & pro mensurâ delictorum satisfactiones imponere. Negamus insuper, dictam *Confessionem auricularem* ullo niti Exemplo: 1. Christi, qvi remisit peccata, absqve hujusmodi Confessione *Matth. 9. v. 2. Luc. 7, 48. Cap. 19, 8.* 2. Apostolorum, qvi pœnitentiam, non omnium & singulorum peccatorum Enumerationem reqvirunt *Actor. 2, 38. cap. 3, 19. cap. 5, 31. cap. 14, 15.* &c. Nullum deniqve extat promissum, qvo DEUS pollicitus sit, se velle remittere peccata, si qvis omnia & singula peccata enumeret Sacerdoti.

## ANTITHESES.

*Pontificij* contendunt omnes, Confessionem Secundum omnia puncta, qvæ superius recitavimus, esse necessariam ad veram pœnitentiam: qvo jure autem sit necessaria, non est inter eos consensus. *Canonistæ* negant, qvod *jure divino* sit necessaria, & urgent unice *jus Ecclesiasticum*. Vide *Gerh. d. l. §. 103. Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. anathema* dicit illis, *qvi negant, jure divino esse necessarium pœnitentiæ Sacramento ad remissionem peccatorum, confiteri omnia & singula peccata mortalia, qvorum memoria cum debitâ & diligenti præmeditatione habeatur* &c. Hæc defendere laborat *Bellarm. l. 3. de Pœnit. Cap. 2 seqq. Catech. Rom. parte 2, Cap. 2. q. 40. Suarez tomo 1. disp. 22. §. 2.*

HYPO-

## HYPOTHESES.

In horum argumentis mera offendimus humani Ingenii figmenta qvia non patrocinatur S. Scriptura *Confessioni papali*, qvando exhibet I. *Institutionem Clavis solventis & ligantis Matth.* 16, 19. *cap.* 18, 18. *Johann.* 20. *v.* 22. 23. qvâ qvod concessa sit Ecclesiæ ministris *potestas* qvædam *Judicialis*, consistens in æstimatione qvantitatis ac qvalitatis peccatorum, & impositione certæ satisfactionis, respondentis peccatorum qvantitati ac qvalitati, non probatur 1. ex similitudine *Clavium*, qvia uti his revera designatur potestas *aperiendi & claudendi*, ita non evincit, eandem potestatem convenire ministro in domo, qvam habet ipse Pater familias: hic clavibus aperit & claudit δεσποτικῶς: ille διακονικῶς. Ita etiam Ecclesiæ ministri ministerialiter utuntur Clavibus 1. *Cor.* 4, 1. 2. *Cor.* 5, 18. 2. ex vocibus *ligare & solvere*, qvæ si ministris tribuuntur, hi non ἀυτεξουσίως vincula injiciunt & demunt; sed ex mandato & consensu Superiorum. 3. ex voce *retinere*, qvæ non significat, *nolle remittere* pro suo beneplacito; sed significat *non remittere* ex lege â Domino præscripta 4. & Remissione peccatorum, conferenda demum pœnitentibus, non omnibus Hominibus: Hæc enim probat qvidem accuratam Discretionem, qvam adhibere debent Ecclesiæ ministri in exercenda clave *solvente & ligante*, non vero probat *potestatem judiciariam*. 5. ex Spiritu S. qvi insufflando datus: qvia hic efficaciam largitur ministerio Ecclesiastico, non autem potestatem judiciariam. 6. ex distinctione simplicis *Denunciationis* & *absolutionis* â peccato: Hanc enim nos non diffitemur, qvando absolutionem efficacem dicimus actum, qvo Spiritus S. applicat & obsignat remissionem peccatorum: Interim immotum manet discrimen inter potestatem remittendi peccata *magisterialem* & *ministerialem*; *Illa* solius DEI & Christi est: *Hæc* officio Ministrorum verbi competit, & Laico non data, nisi in extremo necessitatis casu.

II. Confessionem Protoplastorum *Genes.* 3. & Caini *Genes.* 4. qvæ *facta* est 1. ipsi Deo 2. de gravioribus delictis, qvæ qvod etiam ministro Ecclesiæ possint revelari, si Conscientia angatur, nemo negat. Angelum in assumpta forma loqvutum esse cum προσωπολάψις & Caino, Somnium est *Rabbinorum*. Ille loqvitur in textu, qvi præceptum dedit de non comedendo fructu ex Arbore scientiæ boni & mali, qvi cravit mulierem & vindex extitit sanguinis Abelis.

III. Confessionem Leprosorum, qva ostenderunt se Sacerdoti *Levit.* 13. & 14. *Matth.* 8, 4. Ex hac enim nihil amplius seqvitur, qvam id qvod extra litem est; scil. aliqvam cognitionem de peccato competere ministris

ſtris Eccleſiæ in N. T. Judicialem autem cognitionem, qvalis præreqvirat omnium peccatorum ſpecialem enumerationem, non probat Typus ex Sacerdotibus V. T. deſumptus.

IV. Confeſſionem â Deo inſtitutam *Levit* 5 *&. Num.* 5. qvæ de certâ ſpecie facti non de omnibus & ſingulis peccatis edita fuit. Sacerdotum inſuper officium in V. T. non præfiguravit Miniſtrorum officium in N. T, ſed officium Sacerdotale ipſius Chriſti.

V. Confeſſionem, qvâ qvidam Confeſſi ſunt Eccleſiæ miniſtris ſua peccata, ut Johanni *Matth.* 3, 6. *Marc.* 1, 5. Paulo *Actor.* 19, 18. Qvod enim hujusmodi confeſſio fuerit ea, qvæ â nobis rejecta, nunqvam evincetur. Non negamus, in qvibusdam ſcripturæ dictis omnia & ſingula peccata intelligi, cum vox peccatum indefinitè ponitur, ut *Matth.* 1, 21. *Johann.* 1, 29. *Luc.* 7, 48. Verum â particulari ad univerſale non valet Conſeq. cum ſæpe etiam hæc vox indefinite poſita notet certam peccati ſpeciem *Gen.* 44, 16. 2. *Sam.* 12, 13. *cap.* 19, 20. *&c.* Nihil ergô aliud obtinetur ex his Exemplis, qvam id qvod nos largimur, ſc. non eſſe ſimpliciter improbandum, cum Auditores ſuis Paſtoribus ea Delicta, qvibus Conſcientiam torqveri, ſentiunt, confitentur, ut efficacius ſolatium ab illis ſuggeratur.

VI. Comparationem miniſtrorum Eccleſiæ cum Legatis 2. *Cor.* 5, 20. qvi cognoſcere ſolent ex ipſis reis, qvid egerint, qvam graviter Legantem læſerint, & qvalem ſatisfactionem perſolvere velint: Nam valet hæc comparatio, ſi rei homines divinæ juſtitiæ poſſent ſatisfacere, qvia ipſa Majeſtas læſa pro nobis in aſſumptâ carne ſatisfecit, miniſtri non mittuntur ut reis ſatisfactionem imponant, ſed ut exhortentur reos ad applicandam reconciliationem, qvam Chriſtus acqviſivit, prout qvilibet hanc mentem Apoſtoli ex textu citato deprehendit, qvi in timore Domini eum expendit.

VII. Privatam Confeſſionem coram proximo, qvem offendimus, ut cum illo in gratiam redeamus, qvæ etiam præcipitur *Jacob.* 5, 16. Non enim demonſtrabit Cardinalis *Bellarm.* ex contextu *Jacobi*, qvod Verba Jacobi hanc admittant paraphraſin: *Confitemini Homines hominibus, qvi abſolutione indigetis illis qvi poteſtatem habent abſolvendi.*

VIII. Confeſſionem, qvâ DEO confitemur noſtra peccata, cujus neceſſitatem ipſi urgemus ob 1. divinum mandatum *Eſd.* 10, 11. *Nehem* 1. *v.* 6. 2. divinum promiſſum *Prov.* 28, 13. 1. *Joh.* 1, 9. *Pſ.* 32. 3. *ſeqq.* 3. ob Exempla vere pœnitentium. 2. *Sam.* 12, 13. *cap.* 24, 10. 1. *Paralip.* 22, 17. *Pſ.* 51.

*Ps* 51, 6. *&c.* Conferatur *D. Brent. tomo* 8. *pag.* 459. *Chemnit. parte* 2. *Exam. tit. de Confess. Hutterus in L. Theol. art.* 21. *cap.* 3. *memb.* 2. *Gerh. d. l.* §. 103. *seqq.*

Qv. XV. *Num privata confessio & Absolutio, qvalis adhuc usitata in Ecclesiis Lutheranis, condemnanda?*

## THESIS.

EX *libertate Christianâ* Ecclesiæ nostræ dictam Confessionem & Absolutionem retinent, ob insignes, qvos de se diffundit usus: Inservit enim 1. Rudiorum informationi. 2. admonitioni de verâ pœnitentiâ & digno usu S. Synaxeos. 3. Explorationi Hospitum, qvi ad mensam Domini accessuri. 4. Consolationi perterritarum Conscientiarum. 5. Agnitioni illorum, qvi hæreses labe infecti.

## ANTITHESIS.

Non placent hæ utilitates turgenti Rationi 1. Rigidiorum *Reformatorum*, ut *Zwinglij lib. de verâ & falsâ Relig. cap.* 37. *Lavatheri de Ritib. Eccles. Tigur. fol.* 14. 2. *Photinianorum*, qvi hanc Confessionem reliqviis Papatus accensent. Vide *Smaltz. contrâ Frantz. de Confess.*

## HYPOTHESES.

Eorum libido Intempestiva reformandi arguitur, si demonstratur 1. Nostras Ecclesias non negare, dictam Confessionem carere divino præcepto, qvantum qvidem omnes ejus circumstantias spectat, adeoqve qvoad has ritibus indifferentibus annumerandam esse. 2. Non deesse in Bibliis Exempla, qvibus illa qvoad rem ipsam congruat, ut Israëlitarum *Num.* 14, 40. Davidis 2. *Sam.* 12, 13. Auditorum Johannis Baptistæ *Matth.* 3, 6. 3. Nostram auricularem Confessionem liberatam esse ab omni fæce papali, qvia non defendimus. (1) Specialem omnium peccatorum recitationem. (2) necessitatem. (3) meritum Confessionis. 4. Ministerium Verbi esse Efficax medium, per qvod DEus promissionem Evangelicam applicat: Hanc efficaciam dum qvidam *Swenckfeldo-Calviniani* respuunt, minus honorificè de privatâ Absolutione sentiunt. Vide *Chemnit. parte* 2. *Examin. tit. de Confess. Hutt. d. l. Pezel. parte* 6. *Object. pag.* 281. *Frantz. Disp.* 13 *cont. Smaltz. Calov. Disp.* 18. *in A. Conf.*

Qv. XVI. *Num post remissam à Deo culpam, justitia divina exigit à nobis satisfactionem pro pœnis temporalibus?*

## THESES.

1. POst remissam culpam variis Calamitatibus, (qvas vel pœnas vel castigationes qvis dixerit, de solo Nomine cum nemine litigamus)

pios & justificatos exerceri sacræ literæ & dictis & exemplis nos eruditunt. Has autem calamitates esse 1. pœnas *propriè* dictas, qvæ immittuntur â Deo irato, post remissam culpam ex præscripto justitiæ vindicatricis in DEO, 2. Satisfactiones, qvibus justitia divina placetur, Sacræ literæ non tradunt.

II. Adversantur potius his figmentis 1. Dicta, talem describentia peccatorum Remissionem, qvalis omnem & culpæ & pœnæ condonationem indicat, ut Beatus prædicetur, cui remissa sunt peccata *Ps.* 32, 1. 2. qvia Deus peccata projecit post tergum *Esa.* 38. *v.* 7. desevit peccata, ut nubem & nebulam *Esa.* 44, 22. non meminit amplius peccatorum *Jerem.* 31, 34. & projecit in profundum maris omnia peccata *Michæ* 7, 19. Hæc & similia Dicta ita interpretantur ipsi Pontificii, ut asserant; Deum sustollere omne peccatum proprie dictum, ut illud in vere renatis non supersit; & suppeditant sua Expositione hoc nobis Argumentum: *Ubi nullum peccatum proprie dictum, ibi nulla pœna proprie dicta: Relata enim se mutuo ponunt & tollunt. Atqvi in Justificatis nullum remanet peccatum proprie dictum, ex opinione Pontificiorum.* E. Vera Expositio adductorum locorum solide probat, Deum ita remittere peccata, ut non servet animum iratum & vindictæ cupidum, qvi â justificatis per proprias satisfactiones sit placandus.

III. Dicta de Dei misericordia, qva nostri miseretur, qvando remittit peccata: In his enim Deus describitur, ut auferens Iniqvitatem, scelera & Peccata *Exod.* 34, 7. *Num.* 14, 18. ut operiens omnia peccata, mitigans omnem iram & avertens se ab ira indignationis suæ *Ps.* 85, 3. 4. 5 ut corroborans misericordiam suam secundum altitudinem cœli â terra, *Ps.* 103, 11. ut ostendens omnem patientiam 1. *Tim.* 1, 16. Hâc gratia, qvando Deus dignatur peccatores, non pro sua justitia adhuc pœnas qvasdam satisfacientes exigit.

IV. 3. Beneficia Christi, qvibus ab omnibus pœnis nos liberavit, plenissime pro nobis satisfaciens. Repete suo loco Dicta. Si qvis regerat; Christum nobis acqvisivisse vires, qvibus ipsi satisfaciamus, ille meritum Christi extenuat: Sicuti enim non ideo Christus ipse credit qvando vires credendi donat; ita de ipso affirmare nemo potest, qvod ipse satisfecerit pro pœnis temporalibus, si vires satisfaciendi tantummodò acqvisivit.

V. 4. Omnia Dicta, qvæ de Remissione Peccatorum loqvuntur: In his vel nulla Remissio vel omnis pœnæ remissio intelligenda. Culpa enim est vel *originalis*, vel *actualis*: *Illa* per gratiam justificantem nunqvam penitus

penitus exstirpatur: *Hæc* nunqvam etiam per remissionem fit ex facta non facta, sed actus, qvi transiit, in oculis Dei semper manet peccatum: Qvod si Reatus, qvo obstringuntur Homines ad pœnam in remissione plenarie non tollitur, nulla plenaria erit peccatorum remissio. Qvemadmodum enim debitori non est remissum debitum, qvando Creditor adhuc aliqvam exigit satisfactionem; ita etiam peccator de peccati Remissione nondum certus est, qvando Deus â se propriam adhuc exigit satisfactionem, qvæ an & qvomodo possit satisfacere infinitæ Dei Justitiæ, ipse nunqvam intelligere valet. Confer *D. Hunn. tom. 1. tr. de Indulg. cap. 3. 4. D. Meisn. sect. 2. cap. 3. opusculi 1. de Indulg. Sadeel, de Peccatorum Remissione pag. 42. seqq.*

## ANTITHESES.

*Pontificii* speculantur de divina Clementia, qvam deceat, ne absqve omni satisfactione nobis peccata remittat *Concil. Trid. sess. 14. cap. 8.* Communiter omnes docent: Remissa culpa non condonari simul omnem pœnam temporalem. *Thom. part. 3. qv. 36. art. 4. Bonav. in l. 4. sent. dist. 25. q. 2. Bellarm l. 4. de pœnit. c. 2. Greg. de Valent. tomo 2. Disp. 6. q. 17. punct. 5. Costerus in Enchir. c. 11.* Si qværas: â qvibus satisfactionem Deus reqvirat, distinguunt inter *Baptizatos, Martyres & pœnitentiam agentes*, ab *his* solis exigi satisfactionē, statuunt. Dissentiunt autem Doctores *Pontificii* 1. in fine, ob qvem injungenda satisfactio: qvidam enim scribunt, satisfactionem reqviri, ut consequamur Effectum passionis Christi. *Thom. parte 3. q. 49. artic. 3.* Alii dicunt, satisfactionem assumi ad puniendum peccatum commissum. *Scotus 4. sent. dist. 15. q. 1. 2.* in definienda pœna, pro qva sit satisfaciendum: qvam qvidam indefinite nominant ut *Concil. Trid. d. l. Scopp. Comm. de Indulg. cap. 2. Vigver. in Instit. Theolog. c. 16. §. 4.* Alii disputant nos pro culpa & pœna æterna posse satisfacere *Tapperus artic. 6. Vega l. 13. in Concil. Trident. cap. 36.* Alii asserunt, pro aliqva pœna temporali esse satisfaciendum divinæ justitiæ, *Bonavent. l. 4. sentent. Dist. 15. qv. 2. Bellarm. l. 4. pœnit. cap. 2. Toletus lib. 6. instruct. cap. 21. Zechius cap. 1. de Indulgent §. 2. Becanus lib. 1. Manual. cap. 8. §. 22.* Confer *Gerhard. tom. 3. L. de Pœnit. §. 123.*

## HYPOTHESES.

I. Ut S. Scripturam suis Imaginationibus Ratio attemperaret humana transformavit *calamitates temporales in pœnas proprie dictas*, Deo satisfacientes; qvales descriptas, censuit *Genes. 3, 16. seqq. Exod. 32, 27. Num. 11, 10. cap. 14, 19. cap. 20, 12. 2. Sam 12, 13, 14. seqq. 2. Paralip. 26, 19. 1. Cor. 11, 30.*

11, 32. At in his dictis non offendimus 1. pœnas, qvæ satisfactionibus possunt redimi & per indulgentias relaxari: 2. Pœnas solis infligendas pœnitentibus, qvales non sunt illæ, qvas Peccato originali DEUS est comminatus *Gen.* 3, 16. Hæ enim etiam Baptizatos & Martyres premunt, nullaqve satisfactione averti possunt. 3. pœnas inflictas post remissam culpam, qvod enim omnibus Israëlitis, qvorum clades describitur *Exod.* 32, 27. *Num.* 14, 29. item omnibus Corinthiis fuerit remissa culpa, ceu verè pœnitentibus, nunqvam evincetur. Mirjam certè & Usia nondum egerant pœnitentiam, qvandò leprâ percutiebantur *Num* 12, 10. 2. *Paralip.* 26, 19.

II. Pœnæ satisfacientes justitiæ divinæ, nunqvam sunt temporales sive piis sive impiis immittantur, qvia justitia divina non reqvirit pœnam duntaxat temporalem, sed æternam: Aliud est pœna puniens peccatorem, qvalis esse potest pœna temporalis, aliud est satisfactio, placans Dei iram & justitiam, ne DEUS amplius indignetur: Talis satisfactio est Solius Θεανθρώπου, nullius puri puti Hominis: Cùm debitor ob æs alienum in Carcerem conjicitur, vel aliâ pœnâ afficitur, hic qvidem punitur, Creditori autem non solvitur, qvod alter debet, si vel maximè puniatur in corpore, qvi non habet in ære.

III. Testantur passim S. literæ, piorum Calamitates immitti, ut sint (1. νουθεσίαι, qvibus moneantur pii, se non planè esse innocentes coram DEI judicio *Jerem.* 30, 11. (2) δοκιμασίαι, qvibus DEUS explorat fidem spem, patientiam, humilitatem, &c. 1. *Pet.* 1, 6, 7. *Roman.* 5, 4. *Ps.* 66, 10. *seqq.* (3) ἐρεθισμοὶ, qvibus exercentur in precibus, & mortificatione Veteris Adami *Esa.* 26, 16. *Ps.* 19, 71. 1. *Pet.* 4, 1, 2. *seqq.* (4) ἀποτροπαὶ, avocantes impios â peccatis 1. *Cor.* 10, 11. (5) γνωρίσματα judicii, qvo corripiendi impii *Jerem.* 25, 28, 29. *Luc.* 23, 28. *Jerem.* 49, 12. 1. *Pet.* 4, 17. *seqq.* (6) μνημόσυνα præcedentium peccatorum, qvô majori dolore ea detestentur, & diligentius devitent 2. *Sam.* 12, 13. *seqq.* (7) μαρτύρια, qvibus Veritatem Cælestem DEUS corroborat, suamqve gloriam illustrat: *Actor.* 22, 20. *Joh.* 21, 19. Ad hos fines, DEum intendere, qvando pios castigat per pœnas temporales, testis est Spiritus Veritatis, qvi nullibi docet, qvod Deus eo fine immittat calamitates, ut in iis homines suæ satisfaciant justitiæ: Qvin potius universaliter asserit Apostolus, diligentibus DEum omnia adversa non cedere in pœnam, sed in bonum Rom. 8. v. 28. Confer Chemnit. parte 2. Exam. pag. 714. Gerhard. d. l. §. 125. Pezel. tomo 6. object. pag. 316. seqq.

IV. De-

IV. Deinde & Ratio transformavit *Castigationes Paternas* in *Judiciales pœnas*: Deus suos filios castigat, non ut iratus Judex, sed ut benignus Pater *Proverb.* 3, 12. *Hebr.* 12, 7. *seqq. Apocal.* 3, 19. Errat igitur Ratio Pontificiorum, qvæ sic ratiocinatur: Si Deus qvosdam pios castigat per pœnas temporales, qvando ipsis remisit culpam, utiq; omnibus aliqva pœna sustinenda post remissam culpam, alias Deus esset προσωπολήπτης. De Judice qvidem ita possum argumentari, qvi si de uno delinqvente pœnas sumit, alii autem parcit propter ejus dignitatem, dona &c. Injustus est. Pater autem si non omnes delinqventes filios castigat, vel eodem modo & æqve gravi pœna non corripit, statim arguendus non est ut injustus: Qvidam enim filii sponte sua deprecantur culpam & resipiscunt; alii autem pertinacius in peccatis pergunt: Qvapropter Patris Discretioni & arbitrio Castigatio ejusqve modus relinqvitur.

V. Denique *Pœnas temporales* transmutavit in *satisfactiones pro pœnis temporalibus*: Adducunt enim calamitates piorum, ut satisfactiones: Qværo autem: cujus respectu hæ calamitates sint satisfactiones? non respectu *culpæ*, qvia illa piis est remissa, neqve pro *pœna*, qvia sunt *pœnæ temporales*, pro qvibus satisfactiones exigunt *Pontificii*. Non itaqve nominabunt *Pontificii* pœnas temporales, pro qvibus satisfaciunt *calamitates* piorum, adeoqve ex his calamitatibus suam thesin nunqvam demonstrabunt. Confer *D. Meisnerum opusc.* 1. *de Indulg. sect.* 2. *cap.* 2.

## Qv. XVII. *Num pro Reatu pœnæ temporalis Justitiæ divinæ valemus satisfacere Bonis operibus, sive à Sacerdote injunctis, sive sponte susceptis?*

## THESES.

SUpersedere possemus hujus qvæstionis Examine, cum Hypothesis illa sit falsa, qvâ docetur, Deum ita remittere peccata, ut obstringat pœnitentes ad satisfactionem pro reatu pœnæ temporalis: Clarius autem ut eniteat Veritatis splendor, respondemus & ad hanc qvæstionem *negando*: Damus Negativæ nostræ Responsionis hanc Rationem: *Si pro reatu pœnæ temporalis pœnitentes possunt justitiæ divinæ satisfacere, vel â DEO præceptis, vel sponte susceptis, vel à Sacerdote injunctis satisfacere poterunt operibus. At neqve istis, neqve illis, neqve his.* E. *Minorem* ordine probamus: Non *istis*: qvia opera â Deo præcepta sunt debita, adeoqve per illa non possumus satisfacere, uti affirmat *S. Thomas Durandus, Paludanus in* 4. *sent. distinct.* 15. qvorum sententiam valde probabilem salutat *Bellarm. lib.* 4. *de Pœnit. cap.* 3. Contrariam sententiam qvidem non improbabilem vocat, sed rationem addit, qva sibi ipsi contradicit, asserens, satisfactio-

nem, qvam Deo reddimus, non pertinere ad ſolam juſtitiam, ſed etiam ad amicitiam, id qvod diſertis verbis negat. *lib. 4. de pœnit. cap. 1.* Non *illis*, qvia 1. opera ſponte ſuſcepta ſunt ἐθελοθρησκείαι, qvas Deus deteſtatur. 2. non eſt in poteſtate & arbitrio Debitoris, ut ille ſatisfaciat pro ſuo arbitrio: Nam qvi debet creditori centum florenos, illi liberum non eſt, ut ſatisfaciat decem florenis. Non *his*: qvia nec per *Clavem ſolventem*, nec per *ligantem* Sacerdotes poſſunt imponere ſatisfactiones: Non per *illam*, qvia ſolvens non obligat ad pœnam, ſed potius pœnam remittit: Neqve per *hanc*: qvia clavis *ligans*, non *pœnitentes*; ſed *impœnitentes* ligat: Satisfactiones autem injunguntur pœnitentibus. Conſer *Brent. tom. 8. p. 489. Gerhard. tom. 3. L. 18. §. 121. 126. D. Meiſn. de Indulg. ſect. 2. c. 3.*

## ANTITHESES.

*Bellarm.* poſtqvam *l. 4. de pœnit. cap. 1.* theſin ſuæ Romanæ Eccleſiæ dilucidavit, & aſſeruit; *Dari ſatisfactionem imperfectam, qvæ nititur acceptione & donatione DEI, non pro reſtauranda Amicitia, ſed pro reſtauranda juſtitiæ æqualitate*, h. e. *non pro culpa & pœna æterna, ſed pro pœna temporali*, probare conatur. 1. Reatum pœnæ temporalis, qvi manet poſt remiſſam culpam, bonis operibus poſſe redimi. *cap. 3.* 2. opera laborioſa, qvibus reatus pœnæ temporalis expietur, ſponte poſſe ſuſcipi *c. 4. Piſtor.* im Wegweiſ. *pag. 193.* 3. opera ſatisfactoria recte à Sacerdotibus injungi *cap. 5. Scopp. Comm. de Indulg. q. 2. cap 13.* 4. opera ſatisfactoria eſſe tria, jejunium, Eleemoſynam & orationem *Bell. d. l. c. 6.* 5. Poſſe Hominem juſtificatum vere Deo ſatisfacere pro Reatu pœnæ temporalis. *Cap. 7. ſeqq. Scopp. Comment. de Indulgent. q. 2 cap. 18.*

## HYPOTHESES.

Fundamentum prolixæ hujus Diſputationis, qvam proſeqvitur *Bellarminus* latet in una hâc *Hypotheſi*: *Deus vult, ut illi, qvi agunt pœnitentiam, operibus Bonis ſuæ Juſtitiæ pro reatu pœnæ temporalis ſatisfaciant.* Hanc theſin anxie qvæſivit *Bellarminus* in Bibliis, ſed non invenire eam potuit: Affert enim Exempla & Dicta, qvæ eam non demonſtrant, cum Ratio *Bellarmini* illis aſſuat opinionem, qvæ in illis non apparet, qvando in Bibliis expenduntur. I. *Ninevitæ* egerunt pœnitentiam in jejunio, Cinere & ſacco, verosqve pœnitentiæ fructus protulerunt; ſed qvod Deus pœnam temporalem ideo averterit à *Ninevitis*, qvia hi ſuis operibus hanc pœnam redemerint, non legitur in textu: Aliam cauſam ipſe Jonas exprimit *cap. 4, 2.* qvando Dei clementiam & miſericordiam commendat, non autem juſtitiam ſatisfactionibus placatam.

II. In Dictis 2. *Paral. 7, 26. Jerem. 18, 8. Eſa. 1, 16. ſeqq.* præcipitur rurſus vera pœnitentia, cujus pars qvod ſit ſatisfactio pro pœnis temporalibus textus non indicat.

III. O-

III. Opera suscepta â *Jobo cap. 42.* Achabo *1. Reg. 21.* Hiskia *Esa. 38.* eâ intentione esse suscepta, ut satisfacerent pro pœnis temporalibus non legitur in Bibliis. Aliud est Afflictio carnis spontanea, qvæ prodit cor contritum & humiliatum: Aliud satisfactio, compensans offensam. Illa in citatis operibus conspicua fit & habet generale Dei præceptum *Levit. 16, 31. cap. 23, 27.* Hæc vero in præconcepta opinione, non in Spiritus S. sermone locum invenit. Illa ut externum opus, qvod moraliter bonum Deo placet, & externis præmiis compensatur: Hæc autem ut mentis humanæ arrogantia Deo nunqvam placet.

IV. Potestas ligandi non ita est affixa â Christo potestati solventi, ut pœnitentiam agentibus remittatur culpa & pœna æterna, per clavem ligantem; imponatur autem insimul satisfactio per clavem solventem. Ex Christi institutione non nisi pœnitentibus peccata remittenda, non nisi impœnitentibus peccata liganda. De meritis operum & operibus satisfacientibus seq. Disputatio tractabit.

Qv. XVIII. *Num per Indulgentias papales redimi possunt pœnæ temporales, qvæ sustinendæ post remissam culpam?*

## THESES.

I. INdulgentiam *Gregor. de Valent.* describit relaxationem pœnæ temporalis judicio divino peccatis actualibus post remissam culpam debitæ per applicationem superabundantium Christi & Sanctorum satisfactionum, factam extra Sacramentum pœnitentiæ ab eo qvi legitimam ad hoc authoritatem habet; Analysin hujus Definitionis vide ap. *Scopp. Comment. de Indulgent. cap. 1.*

II. His Indulgentiis Hominum qvod sint substrata ὑπάλμασι, non autem divina oracula, edocebit structura earum, in partes resoluta.

III. Exstructæ sunt hæ indulgentiæ ex opinionibus de 1. luenda pœna temporali proprie dicta, post remissam culpam, qvam factam ostendimus supra. II. Sustinenda pœna in Purgatorio igne, qvem exstinximus suo loco. III. Satisfactione, qva pro pœna temporali in Purgatorio sustinenda, possumus Deo satisfacere, qvam refutavimus itidem suo loco. IV. Meritis operum & qvidem superabundantibus, qvæ *seq. Disp.* confutanda V. Thesauro Satisfactionum apud Ecclesiam depositio, qvem S. Scriptura ignorat. VI. Potestate qva summus Pontifex vel ejus Legatus applicare possunt aliis satisfactiones superabundantes Christi & Sanctorum ejus, qvæ nulla. VII. De Applicatione dictarum Satisfactionum, facta per Indulgentias earumqve Bullas, si homines vere pœniteant, si aliqvid dent vel erogent: Hanc Applicationem in Scripturis nullibi ostendimus.

V. Non

IV. Non est concedendum, ut Adversarii irruant in nostra argumenta, qvæ Indulgentiis sunt opposita, anteqvam præmissa dogmata & literis consona evicerint: Nam ad ea ceu asyla semper refugiunt, qvando premuntur nostris argumentis de sufficientia meriti Christi, gratuita peccatorum Remissione, imperfectione bonorum operum, ministerio Evangelii &c, uti patet cum primis ex lib. 2. Bellarmini de Indulgentiis.

## ANTITHESES.

I. Non simpliciter adhærescendum soli *Concilio Tridentino*, qvod in Decreto de *Indulgentiis* nimis generalitèr & obscurè loqvitur, non explicans 1. qvæ sit potestas conferendi Indulgentias 2. qvinam sint illi abusus, qvos irrepsisse fatetur Synodus. 3. qvidnam statuendum de discrepantibus Theologorum Scholasticorum Disputationibus, qvas prodidit *Bellarm. l.* 1. *de Indulg.*

II. Hypothesibus enarratis subscribunt hodierni *Pontificii*, qvi non recedunt ab errore, qvandò 1. Indulgentias restringunt ad pœnas in foro pœnitentiæ sustinendas, qvia semper præsupponunt, satisfactiones esse necessarias pro pœnis temporalibus. 2. distinguunt usum ab abusu, qvando indulgentias defendunt in verbo DEI scripto non fundatas, qvarum nullus potest esse usus, & Taxa pœnitentiaria satis edocet, qvod abusus approbent. 3. gloriantur de honore, qvem exhibent Christi merito, qvo qvod Sanctorum meritis vis sit data ad expiandum reatum pœnæ temporalis, fingit *Bellarm l.* 2. *de indulg. cap.* 2. Scriptura & merita & satisfactiones Sanctorum pro pœnis temporalibus ignorat. Legatur *Scopp. comm. de Indulg. Gregor. de Valent. de Indulg. Zechius de Indulg. & alii.*

## HYPOTHESES.

I. Antè omnia tenendæ hîc Regulæ, qvæ de hâc ἐργασίᾳ ἐλεγχτικῇ traditæ sunt supra

II. Poscenda argumenta ab Adversariis, qvæ probent, Christum *Matth.* 16, 19. Pontifici Rom. dedisse potestatem dandi indulgentias: Qvod detur non sola potestas remittendi & retinendi peccata, sed generaliter qvævis potestas solvendi â pacto, debito & lege, nec non qvævis potestas ligandi juramento, promisso &c. non probat *Bellarm.* ex generali hâc phrasi: qvicqvid solveris, & qvicqvid ligaveris: Nam hic generalis sermo restringitur 1. *Matth.* 18, 18. qvando omnibus committitur potestas, qvæ commissa legitur Petro. 2. non qvævis solutio & ligatio hic attenditur, sed ea, qvæ fit per claves regni cœlorum, qvibus solvun-

Disp. III. Resp. FRIDERIC. ANDREÆ, Sed. Pomer.

solvuntur Compedes impedientes ingressum in regnum cœlorum, quales sunt peccata non remissa: Quod autem pœnæ vel satisfactiones, relaxatæ per indulgentias, sint hujusmodi Compedes, quæ aditum ad regnum cœlorum impediunt, nondum est probatum.

III. Apostolus 2. *Cor.* 2, 6. 7. pro Excommunicato intercedit, ut recipiatur in societatem Ecclesiæ, quod autem satisfactionem, sibi pœnitentiam agenti injunctam per Indulgentias redemerit, nunquam ex textu evincetur.

IV. In Dicto *Coloss.* 1, 24. loquitur Apostolus de supplemento passionum quas Christus sustert in corpore mystico, quod est Ecclesia, in qua tamdiu sunt ὑστερήματα passionum Christi, quamdiu sancti in Ecclesia militante Christo compatiuntur *Rom.* 8, 17. 1. *Petr.* 4, 13. confer *Meisner. parte* 2. *Phil. sob. sect.* 1. *cap.* 4. *qu.* 8.

V. Opus bonum esse meritorium, quatenus ex caritate factum, & satisfactorium, quatenus est laboriosum, non docent sacræ literæ: Dicta quæ citat *Bell. l.* 3. *de Indulg. cap.* 2. in seq. cap. dilucidabimus.

VI. B. Mariam matrem Domini, Johannem Baptistam & alios sanctos suis passionibus satisfeciisse justitiæ divinæ, ipsisque cumulum passionum superfuisse, quo ad expianda peccata propria non eguerint; simpliciter negamus: Quâcunque sanctitate fuerunt præditi, coram Dei judicio non fuerunt innocentes, *Exod.* 34, 7. *Num.* 14, 18. *Ps.* 32, 6. 1. *Joh.* 1, 8.

VII. Quamvis S. Martyres ea passi sint tormenta, quæ sceleribus non meriti fuerunt, tamen illa in natura peccatis infecta tolerarunt, & sic divinæ justitiæ non potuerunt satisfacere: Quod autem Deus hujusmodi tormentis, eos subjecerit, non suis peccatis Martyres promeruerunt, sed ex justa dispositione Domini conformes facti sunt Filio DEI, ut 1. Veritas cœlestis confirmaretur. 2. Exempla patientiæ aliis proponerentur. 3. Fidei & spei splendor in Martyribus latens erumperet.

VIII. De JUBILÆO quæ declamitant Pontificii, in favillas & fumos abeunt, Indulgentiis ipsis corruentibus.

# CAP. IV.

## DE JUSTIFICATIONE.

NOn immerito Articulus hicce de Justificatione nostrâ coram DEO *acropolis* vocatur totius Christianæ religionis nostræ ac fidei, quæ si expugnata esset, omnis nostra periret fides. Sciunt id utiqve veritatis hostes, propterea omnes suas impendunt vires

præsidium hocce nostrum ut nobis eripiant. Sed ipse Servator noster de cujus hic agitur gloria, hactenus nobiscum, fuit ille & porro erit Immanuel noster, causamqve nostram aget, qvo articulum hunccе tam fundamentalem inconcussum retineamus. Interim qvæ potiores hic occurrant Controversiæ præsenti in capite dispiciendum erit, ad qvarum ἐξέτασιν Bono cum Numine nos jam accingimus.

Qv. I. *Estne Gratia Dei Justificans favor gratuitus, Benevolentia & Dilectio in Deo?*

## THESES.

HAud possumus ire inficias, in qvibusdam S. Scripturæ dictis *gratiam* Dei notare dona divinitus concessa, & qvalitates hominibus inhærentes, ut *Ephes.* 4, 7. *Actor.* 11, 23. 1. *Petr.* 4, 10. &c. Qvod autem gratia Dei regenerans, justificans & salvans hominem peccatorem, significet *habitus hominibus inhærentes*, non docent sacræ literæ, qvæ gratiam prædictam ut *Dei misericordiam, favorem & dilectionem* describunt: Inspiciantur textus sacri de 1. *Gratia Redemptionis*, *Luc.* 1, 50. 54. 58. 70. 78. *Joh.* 3. *v.* 16. 1. *Joh.* 4. *v* 9. *Rom.* 5. 8. *cap.* 11, 32. *Hebr.* 2, 9. 2. *Gratia Electionis*, *Rom.* 9, 11. *Ephes.* 1, 5, 6. qvæ gratia fuit in Deo ab æterno, adeoqve habitibus infusis accensenda non est. 3. *Gratia Vocationis*, *Actor.* 20. *v.* 32. *Galat.* 1, 6. & 15. 2. *Tim.* 1, 9. 4. *Gratia Regenerationis & Conversionis*, *Rom.* 9, 16. *cap.* 11, 6. *Ephes.* 2, 4. 5. *Tit.* 3, 5. 5. *Gratia Justificationis*, qvæ passim in Exercitiis pœnitentiæ revelatur ut DEI misericordia. *Nehem.* 9, 27. *Ps.* 6, 5. *Ps.* 25, 6. *Ps.* 51, 3. *Ps.* 103, 4, 8. 9. 13. 14. *Dan.* 9, 18. *Mich.* 7, 19. 1. *Tim.* 1, 16. *Hebr.* 4, 16. & gratia gratis data *Rom.* 5, 24. operibus Legis opposita *Rom.* 4, 4. 5, 16. *cap.* 6, 14. *Galat.* 5, 4. *Joh.* 1, 16. 17. *Tit.* 3, 7. 6. *Gratia Salvationis*, *Actor.* 15, 11. *Ephes.* 2, 8. 1. *Petr.* 3, 7. *Tit.* 3, 4. Confer *Chemnit. parte* 2. *Loc. pag.* 288. *in Exam. p.* 138. *Mentz. disp.* 5. *Anti-Pistor th.* 45. *seqq. Schrod. in Enchirid p.* 78. *Hutter. in Loc. Theol. p.* 442. *Battum lib.* 1. *de Justificat. pag* 35. *Gerh. tom.* 3. *L.* 19. §. *seqq.*

## ANTITHESES.

*Jesuitæ* gratiam Regenerantem, Justificantem & salvantem commiscent cum gratia Renovante, *illamqve* æqve atqve *hanc* pronunciant qvalitates, & virtutis Habitus, nobis inhærentes. *Concil. Trid. sess.* 6 *cap.* 11. *Colonienss. in Cens. p.* 16. *Bellarm. l.* 2. *de Justific. cap.* 3. *Becanus de Auxil. grat. parte* 2. *c.* 1. *thesi* 1.

## HYPOTHESES.

I. Erroneam horum opinionem gignit *Justitia habitualis & inhærens* qvam hausit Ratio humana ex doctrina Ethica, tradita â Philosophis. Ut autem

autem Scripturæ appareat consona, inter alia argumenta qvæ post expendenda, afferunt initio Dictum Apostoli *Rom.* 5, 15. *seqq.* qvod sibi fa-vere arbitrantur, qvia 1. Apostolus opponit justificationem peccato, qvod nobis inhæret. 2. Gratia dicitur donum, qvod accipimus; *Respond.* de-oppositione Apostolica dicemus infra. Vocabulum *Gratiæ* qvod spectat; illud Apostolo non potest notare habitus infusos & inhærentes virtutum: Nam 1 qvamvis donum nominetur, tamen etiam Christus & Spiritus S. vocantur dona *Joh.* 3, 16. *Tit.* 3, 6. nec non Vita æterna *Rom.* 6, 24. & non fiunt habitus inhærentes. 2. Infusæ qvalitates virtutum non superabundant, ubi superabundat peccatum, qvod tamen de gratia Apostolus affirmat *v.* 20. 3. Pseudo-Apostoli non potuissent accusare Paulum, qvod prædicando gratiam, destruxisset studium Bonorum operum *Rom.* 6, 1. & 15. si per gratiam Paulus intellexisset Virtutum habitus. 4. *v.* 16. asserit Apostolus, qvod χάρισμα sit causa nostræ Redemptionis: Boni autem Habitus, nobis inhærentes, non sunt hujusmodi Redemptionis Causæ. E. Loqvitur igitur Apostolus de Gratia Redemptionis sive Reconciliationis, nec non de gratia Justificationis, qvæ appellatur χάρισμα, qvia ex gratia donatur, sine ullo merito nostro.

II. Deinde & objiciunt loca qvædam, in qvibus vox *Gratiæ* accipitur de *Inhærentibus qvalitatibus & gratia Renovationis:* Hæc nobis non pariunt litem, qvia concedimus, aliqvando in scripturis per Gratiam designari inhærentes qvalitates: Aft hæc dicta non tollunt, nostram significationem fundatam in aliis Dictis, cui favet etiam 1. ἔλεον Hebræum חֵן *Exod.* 33, 19. & passim Vide *Concordantias.* 2. significatio conjugatorum χαρίζομαι *Luc.* 7, 42. 2. *Cor.* 2, 9. *cap.* 12, 13. *Coloss.* 2, 13. &c. consule & dicta, in qvibus occurrit vox χάρις.

III. Afferunt adhuc verba *Rom.* 5, 5. qvibus Apostolum loqvi putant, de Charitate nostra, hærente in nobis; cum textus aperte docet, qvod verba sint intelligenda de Dilectione Dei, qva nos dilexit qvam Apostolus commendat ut spei nostræ Fundamentum *v.* 5. & cum primis *v.* 8. Effundi autem dicitur propter abundantiam & Excellentiam, phrasi non inusitata in Bibliis, Vide *Esa.* 44, 3. *Ezech.* 36, 25. *Joel.* 2, 28. *Zach.* 12, 10.

Qv. II. *Num formaliter coram DEO justificamur Justitia habituali & nobis inhærente?*

## THESES.

I. NUllam nobis inhærere justitiam vel *acqvisitam* vel à Deo *infusam*

propter qvam nos peccatores coram Dei judicio simus justi & Deo accepti, docent sacræ literæ, qvandò 1. negant, nostram justitiam habitualem coram Deo justificare *Ps.* 143, 3. *Job.* 9, 1, 2. *Esa.* 64, 5. *Dan.* 9, 18. 1. *Cor.* 4, 4. *Philip.* 3, 9. *Tit.* 3, 5. Ex his dictis ita argumentamur. *O. Justitia, qvâ coram Deo sumus justi, in judicio Dei consistit, hominem ut justum commendat, & piis honoratur.* Atqvi *Justitia hominibus inhærens non consistit in judicio Dei, non commendat hominem justum, nec â piis honoratur.* E. *Propositionis* Veritatem ipsa notio *Causæ formalis*, qvæ est in nostrâ justificatione, corroborat.

II. *Assumtionem* eludere conantur Adversarii variis *Exceptionibus*, qvæ petunt principium, asserendo initio, Davidem *Ps.* 143. conferre Dei Justitiam & Hominum Justitiam, ut appareat, hanc illi cedere. At non est in textu comparatio, sed Rejectio, qvâ omnes homines in judicio Dei rejiciuntur, ut qvi non possint justificari. 2. *Esaiam c.* 64. loqvi de justitiâ infidelium & impiorum, qvi abducti sunt in captivitatem Babylonicam: At sicuti David & Hiob ita etiam Esaias universales afferunt Enunciationes, qvæ non restringuntur vel ad solos impios, qvia etiam pii abducti sunt in captivitatem Babylonicam, & nunqvam â calamitatibus publicis fuerunt omninò liberi, qvia coram judicio Dei nemo innocens: vel ad sola opera hypocritica, qvibus non congruit Nomen justitia. Observentur imprimis eloqvia *Danielis*, & *Pauli*, qvibus indicant, se qvandam obtinuisse justitiam, cui tamen coram Dei judicio non audent confidere.

III. Deinde justitiam Legis, hominibus inhærentem, describunt, ut non justificantem. *Rom.* 3, 20. *Galat.* 2, 16. *Rom.* 9, 31, 32. *cap.* 10. 3. His dictis stantibus, stat etiam hæc propositio. *Nulla justitia legalis hominem peccatorem justificat. Atqvi O. justitia Habitualis est justitia legalis.* E. *Propositio* non potest restringi ad justitiam 1. Legis Ceremonialis, qvia Apostolus loqvitur de lege, ex qvâ Agnitio peccati *Rom.* 3, 20. qvæ iram operatur *cap.* 4, 5, qvæ omnes homines peccati arguit *Rom.* 3, 10. damnat universum mundum. *v.* 19. cordibus Hominum inscripta *Roman.* 2, 15. qvæ data est propter transgressiones *Galat.* 3, 19. execratur omnes Homines. *v.* 10. obedientibus vitam, inobedientibus maledictum denunciat *v.* 12. â cujus maledictione Christus nos liberavit *v.* 13. 2. Non-Renatorum qvæ proficiscitur ex solis liberi arbitrii viribus: Nam extrâ ullam considerationem subjecti justitia, qvatenus est legis justitia, negatur justificans coram Deo: Renatorum autem & Non-Renatorum habitualis justi-

tia,

tia, utcunqve differt, tamen legis est justitia, tam horum, qvàm illorum. Insuper Exempla Abrahami & Davidis *Rom.* 4. dictam restrictionem evertunt. 3. Legis factorum, cui nondum subvenit lex fidei, qvâ datur gratia, ut justitia qvam præcipit Lex factorum, obtineatur: Nam Doctrina Apostolica nescit illam Legem fidei, qva detur gratia, ut renati Legem Dei perfectè impleant & ex illâ justitiam coram DEo consequantur. Lex fidei juxta Apostolicam doctrinam, in Christi obedientiâ fide apprehensâ erigit legem factorum & promittit justitiam fidei, Christum apprehendenti; Lex factorum autem promittit omnibus justitiam, qvi Legem Dei perfectè adimplent.

IV. Porro monstrant Exempla Hominum, qvi verè coram DEo sunt justificati, & nulla ipsis inhæsit justitia: ut publicani *Luc.* 18, 13, 14. Latronis in Cruce *Luc.* 23, 43. auditorum Petri Actor. *cap.* 2, 39. *seqq.* Antiochenorum *Actor.* 13, 48. Athenienſium *Actor.* 17, 34. Corinthiorum *Actor.* 18, 10. Ephesiorum *Actor.* 10, 10. Romanorum *Actor.* 28, 23. *O. autem causa formalis Justificationis est in omnibus qvi justificantur. Atqvi Justitia Habitualis non est in omnibus qvi justificantur.* E.

V. Ulterius negant, hominem renatum 1. posse perfecte implere legem Dei, uti docebit seq. *Controv.* & 2. carere peccato proprie dicto, de qva egimus supra suo loco. Ubi autem nulla Legis impletio & peccati deletio, ibi non habet locum Habitualis justitia, qvod ipsimet non negant Adversarii.

VI. In nullo dicto, qvò ex professo agitur de *Justificatione* Hominis peccatoris coram Deo, ostenditur ea significatio vocis *justificare*, qvæ significet Justitiæ infusionem vel inhæsionem. Vid. *Chemnit. part.* 2. *L. pag.* 248. probat qvod vox *Justificare* in nulla Lingua significet *Justitiæ infusionem.*

VII. Distinguitur *Justificatio* & *Renovatio*: De *illa* disserit Paulus *Rom.* 3, 5. *de hac cap.* 6. 7. *illa* ex Evangelio solo *Rom.* 10, 5. 6. *Hæc* etiam ex Lege *Rom.* 8, 4. *illa* præcedit, *hæc* seqvitur *Rom.* 6, 1. *illa* non recipit magis & minus, qvia justificati pacem habent cum Deo *Rom.* 5, 1. *Hæc* accrescit & decrescit 1. *Thess.* 4, 1. 2. *seqq. Apoc.* 22, 11. Conter *D. Mentz. disp.* 5. *Anti-Pistor. th.* 173. *seqq. D. Hunn. tomo* 1. *op. col* 609. 613. *Gerh. tom.* 3. *L.* 19. §. 231. Nulla ergo Justitia Renovans est justificans coram Deo. Atqvi omnis Justitia Habitualis est renovans, qvia omnia S. S. dicta, qvotqvot describunt Justitiam habitualem in hominibus post lapsum, vel renovationem, vel etiam Justitiam non-Renatorum describunt, E. Vide

etiam *D. Chemnit. in Exam. parte 2. Loc. Theol. pag. 196. Hutt, in Loc. pag. 473. Mentz. disp. 5. Anti-Pistor. th. 170.*

## ANTITHESES.

I. *Pontificii* Justitiam, qva sunt Deo grati peccatores & corrupti Homines, concipiunt ut gratiam Dei nobis infusam, qvæ ipsa Charitas. *Bellarm. lib. 1. de grat. & Lib. Arbit. cap. 6.* ut Justitiam nobis inhærentem *lib. 2. de Justificat. cap. 2. 3.* ut qvalitatem animæ infusam, qva Homo sit vere justus, sanctus, bonus & in seipso & coram Deo, cujus peccata remanentia non tegantur, neqve radiantur, neqve occultantur, sed reipsa prorsus tollantur, abluantur & deleantur. *Coster. in Enchirid. Controv. de Justificat. Concil. Trident. sess. 6. cap. 7.*

II. Consentit his *Socinus* qvi *pag. 17.* de *Justif.* asserit nos Justificari ex operibus, qvibus Christo obedimus.

## HYPOTHESES.

Spiritui S. qvod obluctetur in *Pontificiis* & *Photinianis* Ratio philosophicis fascinata opinionibus, produnt Argumenta nostris contradictorie opposita, qvibus Ratio I. ingerit Justitiam inhærentem, dictis S. Scripturæ, qvæ extant *Psalm. 73, 13. Esa. 53, 11. Dan. 8, 14. Dan. 12, 3. 1. Cor. 6, 11. Apocal. 22, 11. &c.* Horum sensum si qværas in visceribus textus, nulla tibi obveniet justitia habitualis, qvam extorqvere conantur Adversarii. Psaltes in textu Originali habet vocem זכה & agit de Justitia opposita impiorum injustitiæ in Externis operibus. *Esaias* d. l. scientiam, qva justificat Messias, non considerat ut qvalitatem; sed ut relatum qvatenus respicit ipsum Messiam: Objecto enim semoto, scientia ut habitus, convenit cum aliis habitibus, qvibus nulla justificatio congruit. *Dan. cap. 8.* sermonem habet de justificatione non Hominum; sed Sanctuarii, nec infusionem justitiæ, sed restaurationem cultus prænunciat. *Cap. 12.* מצדיקים appellantur Homines, qvi suis in officiis alios justificant, uti docet contextus, qvi primum generaliter describit Resurrectionem mortuorum, deinde specialiter declarat gloriam illorum, qvi suis in officiis justitiæ & σωφρονισμῷ & πεῖσιν promovent: Nullum autem est officium, qvo Homo Justitiæ Habitum alii possit infundere: Ministri Ecclesiæ justificant ministerialiter, informando, admonendo & absolvendo â peccatis *Joh. 20, 23. 2. Cor. 5, 19.* Reges Principes & Judicia Forensia judicialiter. Parentes & præceptores educando, castigando & Exemplariter. Qvi omnes, animos hominum disponunt ad justitiæ habitum, qvem ipsi infundere non valent. Apostolus *1. Cor. 6.* non explicat

cat Formalem Justificationis causam, sed justificatos, de qvibus pronunciat, qvod sint abluti ab iniqvitate, sanctificati â sceleribus justificati â reatu, qvo obstringuntur Fornicarii &c. In Apocalypsi *Cap.* 22, 11. opponitur ἄδικος & δικαιος, τὸ ἀδικεῖν τὸ δικαιοσύνην ποιῶν, nec verba hæc proponunt Justitiam in foro poli, sed justitiam in foro soli, qva suum cuiqve tribuitur. Nam Spiritus S. his verbis non explicat, qvomodo peccator Justitiam conseqvatur; sed hortatur Justitiæ servos, ut pergant in justitia, prout vident, Injustitiæ servos pergere in injustitia.

II. Confidit Analogiæ grammaticæ, qva conveniunt, Justificatio, Calefactio, sanctificatio, glorificatio: Sed 1. in arduo hoc Negocio Analogia Grammatica solidum non exstruit fundamentum. 2. Fallit in qvibusdam Exemplis hæc Analogia, & universaliter non probat qvalitatum infusionem. τὸ Sanctificare non semper notat sanctitatem infundere, *Esa.* 8, 13. *Matth.* 6, 9. 1. *Cor.* 1, 30. glorificamus Deum, magnificat Anima B. Mariæ Dominum, sol calefacit aërem &c. & tamen nos nullam gloriam DEO infundimus. Maria nullam qvalitatem de sua Anima transfundit in Dominum: Sol calorem non tam infundit, qvam radiis reflexis excitat. 3. Linguæ Latinæ Idiotismi non confundendi cum Idiotismis Linguæ Hebr. & græcæ.

III. Fabricat Regulam Grammaticam, qvâ docetur, qvod verba Hebr. in *Hiphil* intendant significationem & significent ejus qvalitatis infusionem, qvam significarunt in *prima conjugat.* Verum multis Exemplis refellitur hæc Regula. *Prov.* 17, 15. *Deut.* 25, 1. &c. Intenduntur qvidem significationes in *Conjug. Hiphil*, sed variis modis, qvia qvalitas significata in prima Conjugatione vel permissa vel declarata vel pronunciata ostenditur in *tertia Conjugat.*

IV. Lacerat Comparationem Apostolicam *Rom.* 5, 18. 19. in qva 1. latius extendit utrumqve membrum, atqve illa extendit Apostolus: Hic confert amplitudinem in obedientia Christi & inobedientia Adami, qvatenus Christus omnibus acqvisivit justitiam, Adam vero omnes constituit peccatores: Illa vero comparationem extendit ad modum constituendi, qvasi hic idem sit in Christo, atqve in Adamo, cum nemo nisi hospes in Bibliis, ignoret, Justitiam Christi nullatenus in nos derivari per carnalem generationem, uti Injustitia Adami per eam in nos propagatur. 2. vocem Constituit interpretatur de Infusione; sed & Christum Deus constituit peccatorem, cui peccatum non inhæsit. 2. *Cor.* 5, 21. Peccatum Actuale Adami nostrum etiam non est *inhæsione*, sed *imputatione* 3. confundit justitiæ inhærentis acqvisitionem & plenariam possessionem: Illam Apo-

postolus qvod insimul designet, nulla est dubitatio, hæc autem expectanda demum in altera vita 4. particulam συγκριτικὴν ὥσπερ detorqvet ad evincendam similitudinem absolutam, qvam sæpe ostendat limitatam *Luc. 6, 36. 5.* non attendit Oppositionem Apostolicam, qva justificationi opponitur condemnatio, qvæ est Actus forensis: Opposita autem sunt sub eodem genere.

V. Baptismi distinctis effectibus *Tit. 3, 5.* abutitur, qvando ex iis colligit, nos formaliter coram DEo esse justos, justitiâ infusâ: Id qvod dicto loco non legitur, licet de Baptismo dicatur, qvod non solum regenerat sed etiam renovet, hoc est justificet & justificatis Spiritus S. dona infundat.

VI. Conformitatem nostram cum Imagine Christi non rectè applicat: Est hæc Geometrica & in certâ proportione, qvatenus certis in gradibus conformamur Christo in nostris afflictionibus & bonis operibus; Arithmetica autem conformitas Justitiæ habitualis non invenit locum, in mortali hâc naturâ. Qvemadmodum puer primum discens picturam literarum, non perfectè assequitur ὑπογράμμον: ic vitæ nostræ conformitas cum Christo in hâc vitâ non perfectè assequitur eam perfectionem, qvæ est in Christo.

VII. Pervertit mentem Apostoli in dictis *Rom. 2, 13. cap. 4, 25. cap. 5, 21. cap. 8, 23.* in qvibus scrutatur justitiam habitualem qvâ coram Deo justificemur. At non invenit qvod qværit: Nam cap. 2. justitia legalis describitur, qvæ habitualis qvod sit, non imus inficiâs, modo adsint Factores legis, qvi legem perfectè impleant. Cap. 4. non opponitur peccato justitia habitualis, sed imputata, qvæ conjunctam habet peccatorum remissionem: Uti enim propter peccata nostra Christus fuit mortuus, ita peccatorum nobis datur Remissio, qvia Christus mortem vicit & â mortuis resurrexit. Cap. 5. Peccatum non opponitur justitiæ, sed DEi gratiæ, qvam superabundare dicit peccatum. *cap. 6.* justificari dicuntur â peccato, qvi per mortem liberati non solum â dominio, sed etiam â motu peccati. Cap. 8. de Spiritu adoptionis legitur, qvod eum acceperimus, sed qvod per infusam justitiam eum adepti simus, non legitur. Redemptio Corporis, qvam expectamus, non est ipsa Adoptio, sed ejus consequens, qvod filii DEi expectant, qvando hîc militant & variis adversis anguntur.

VIII. Verba Christi *Matth.* [illegible] accipit absolute, qvæ Christus proloquutus est conditionate: si sc[illegible]et ex lege fit speranda justitia, qvæ coram DEo valet, uti sibi persuaserant Scribæ & Pharisæi, hanc superabundare oporteat Pharisaicam justitiam.

IX. Justitiam

IX. Justitiam justificati non discernit â justitiâ, qvâ coram Deo justificatur Peccator: De illâ verba faciunt *Ezechiel cap.* 18, 22, 23. & Johannes 1. *Johann.* 3, 7. qvia ille, de conversis & justificatis loqvitur, qvi vivunt in justitiâ qvam operantur, qvia persona per fidem in Christum Deo reconciliata. Hic itidem Renatorum novam describit obedientiam, qvâ justi sunt, habitualiter, postqvam justificati sunt in regeneratione per justitiam Christi nobis imputatam. Confer *D. Chemnit. in Exam. p.* 147. *parte* 3. *Loc. p.* 94. 101. 104 *Hunn. tomo* 1. *Oper. p.* 572. *seqq.* in Widerleg. *Pistorii* von der Rechtfertig. *th.* 66 *seqq.* 201. *seqq. Hutter. in Loc. Theol. p.* 478. *Battum l.* 1. *de Justif. c.* 24. *Gerhard tom.* 3. *Loc. Theol.* 19. §. 10. *seqq.* §. 222. *seqq. D. M iln. Dec.* 3. *Anthrop. S. Disp.* 8. *th.* 48.

Qv. III. *Num formaliter coram DEo justificamur justitiâ DEI Essentiali?*

## THESES.

I. *Justitiam* Dei *essentialem dicimus hoc loco ἰδίωμα* divinum, qvod in *actu primo* unum ταυτὸ cum ipso Deo, & non solum Patri, sed etiam Filio & Spiritui S. competit, ob essentiæ unitatem & majestatis æqvalitatem. Hanc justitiam Dei communicari peccatoribus, ut hi coram Deo sint justi & filii Dei, non legitur in Canonicis scriptis; Et licet cum Scriptura loqvatur, qvi docet: Deum suâ essentiâ habitare in justificatis & sanctis; tamen nullam consentientem habet scripturam, qvi affirmat: Deum justitiam essentialem communicare hominibus, ut illâ justi sint & sancti, qvandò in se sunt injusti & peccatores.

II. Adversantur potius huic sententiæ 1. Dicta de filiis Dei adoptivis *Joh.* 1, 12. *Rom.* 8, 15. *Galat.* 4, 5. *Ephes.* 1, 5. qvæ jubent sic argumentari. *Illa justitia nos coram Deo justificat, qvæ nos constituit DEi Filios. At justitia Dei essentialis nos non constituit Dei filios.* E. *Major* ex citatis dictis probatur solidè. *Minor* sic adstruitur. *Qvæ justitia divinis personis convenit & nec Patrem nec Spiritum S. constituit Dei filios, multò minus homines constituet Dei filios. Atqve justitia Dei essentialis nec Patrem nec Spiritum S. constituit DEi filios*: Uti analogia Fidei docet. E. 2. Dicta de justificatione peccatorum per Christi Sanguinem, *Rom.* 3, 25. *cap.* 5, 9. 1. *Johan.* 1, 7. *Apoc.* 1, 5. Ex his fluit hoc argumentum: *Qvacunqve justitia hominem peccatorem justificat, indiget Christi sanguine. Atqvi justitia DEI Essentialis non indiget Christi Sanguine.* E. *Majorem* confirmant dicta citata. *Minor* per se patet, qvia justitia Dei essentialis Homini communicari potuisset, si vel maxime in peccatum prolapsus non fuisset; adeoqve sanguine Chri-

ri non indiguisset. 3. Dicta de justitiâ per Christum acquisitâ, quæ pariunt tale argumentum: *Illâ justitiâ coram Deo sumus justi, quæ consistit in Christi obedientiâ Rom.* 5, 19. *& passione Rom.* 4, 25. *Atqui justitia Dei essentialis non consistit in Christi obedientiâ & passione, quæ divinæ Christi naturæ non insunt ut justitia Dei essentialis.* E. 4. Discrimen justitiæ Legalis & Evangelicæ, quod offert talem Arietem. Ex nullâ justitiâ Dei Legali justificatur Caro vel homo peccator. *Rom.* 3, 20. *Galat.* 2, 16. Atqui justitia Dei essentialis est legalis, quia lex hujus justitiæ est Norma & Regula E. Vide *Wigandum de Osiandr. D. Battum de justificat. pag.* 97. *Hutter. in Form. Conc. pag.* 257. *Flacium in* Wiederleg. der Bekentnüs *Osiandri. Bellarm. l.* 2. *de justif. c.* 5. *Calvin. l.* 3. *Instit. cap.* 11. *sect.* 5, 6. *Pezel. parte.* 5. *object. pag.* 117. *seqq.*

## ANTITHESES.

I. *Osiandristæ* docent; Christum passione & morte pro nobis satisfeciſe, & legem pro nobis impleviſe ut DEUS ob Christi meritum fide apprehensum inhabitaret in nobis suâ Essentiâ & justitiâ essentiali, qvâ verè justificetur homo peccator, qvando dictâ justitiâ DEI essentiali movetur ad justè agendum. Ita ex scriptis *Osiandri* ejus opinionem describit *Pezel. parte* 5. *object. p.* 120. & *Wigandus in Osiandrismo pag.* 5. 6. 7. *seqq.* Sunt qvi *Osiandrum* excusant, & contendunt, benè illum sensisse, qvamvis incommodè sit loquutus, qvandò non negârit, hominem coram Deo consequi remissionem peccatorum, propter Christi justitiam fide apprehensam, voce autem *justificatio*, sit abusus, qvæ ipsi significârit Renovationem & sanctificationem, qvâ justificati justè agunt qvum Deus suâ essentiâ in illis habitat. *Matth. Vogelius* in seinem Bedenck. & *D. Lucas Osiander Cent.* 16. *Histor. Eccles. lib.* 3. *Cap.* 1. His graviter & nervosè respondit *D Chemnitius in judicio de Controv. inter Osiandrum & D. Mörlinum*, qvod recitavit *D. Schlusselburg. lib.* 6. *Catal pag.* 94. *seqq.*

II. *Swenckfeldianorum* primipilus ita scribit: *S. Trinitas, Pater, filius & Spiritus S. est ipsamet nostra essentialis justitia, quæ semetipsam communicat ex gratiâ omnibus Electis ad salutem.* Vide *Schlusselb. Catal.* 10. *pag.* 228. 538.

III. Weigeliani & Neo-Prophetæ ita differunt: *Imputativa justitia* will ihre Sünde nicht decken / aber *essentialis inhabitatio & renascentia* die wirt sie wesentlich bekleiden / zieren und schmucken. *Weigel. parte* 3. *Postil. pag.* 306. Vide *Dialog. de Christian. pag.* 16. *parte* 2. *Postil. p.* 287. *p.* 302. Die Heiligkeit und Gerechtigkeit / dehrer sich die Rechtgläubigen zurhümen

zu rhümen haben / ist die wesentlige Gerechtigkeit und Heiligkeit Gottes selbest. Antw. auf D. Webers Disputat. Vide Ausfuhr. Bericht von den N. Propheten. §. 818.

## HYPOTHESES.

Ad sanam mentem hi omnes redibunt: si I. æstimare discant ex Spiritus S. judicio *Justitiam* Christi *imputatam*, qvam dum Ratio non intelligit, judicat eam minus idoneam & sufficientem, ut consistere possit coram Dei Judicio & injustum commendare ut vere justum. Conformet ergo Ratio suum judicium Spiritus S. judicio, in arduo Negocio de justificatione Hominis peccatoris coram Deo, & errori via erit præclusa.

II. Distinguant *Justitiam Legis*, *â Justitia Evangelica: Illa* movet nos, ut juste agamus, hæret in nobis & congruit Justitiæ Dei essentiali. *Hæc* vero manifestatur sine lege, & est justitia, qva Justificantur peccatores. *Rom.* 3, 21. *seqq.*

III. Attendant diversam Justitiam in Christo, qvæ 1. *Essentialis* & reciprocatur cum divina ejus Natura. 2. *Habitualis*, qva humana ejus Natura justa & sancta est, divinæ legi exacte conformis. 3. *officialis*, qvam ut Redemptor generis humani acqvisivit, obediendo legi & sustinendo mortem crucis. Si igitur de eo legitur qvod sit nostra Justitia, *Jerem.* 23, 6. *cap.* 33, 16. 1. *Cor.* 1, 30. non prima & secunda est intelligenda, sed tertia Justitia. Uti enim nostra sit Christus Sapientia, sanctitas & Redemptio; ita sit etiam nostra Justitia: Non autem ejus divina Sapientia, Sanctitas, & vis redemptrix nostra sit; neqve habitualis ejus Sapientia Sanctitas & obedientia redimens hæret in nobis; sed ratione officii & meriti sui sit nostra sapientia &c. E.

IV. Ex Scripturis hauriant Rationem, ob qvam Justitia â Christo parta dicitur æterna. Fit hoc, non ob essentialem Dei Justitiam, sed 1. ob æternum Dei decretum, qvo Agnus occisus ab origine mundi *Apoc.* 13, 8 2. ob finem & efficaciam, siqvidem Christus æternam Redemptionem invenit *Hebr.* 9, 12. Et licet in altera vita cessabit peccatum & Justificationis actus, non tamen cessabit Justificationis effectus, sive beneficium, qvod est salus æterna. Vox עולם etiam sæpe in Bibliis notat æternitatem, qvæ expers finis, non autem expers initii.

V. Analogam fidei Expositionem servent in Dicto 2. *Petr.* 1, 4. Suadet autem Fidei Analogia, Hominem non participare de divina Naturâ 1. *Essentialiter*, qvia essentia creata nunqvam fit increata, & humana Christi Natura, utcunqve sit Deificata, tamen non essentialiter est

consors divinæ Naturæ. 2 *Personaliter*, qvia sola Christi humanitas in Persona filii DEI subsistit, adeoqve sola personalem communionem habet cum Deo. 3. *Accidentaliter*, qvia divina Natura ut Accidens inhærere neqvit. Idcirco *Petri* verba non nisi de πνευματικῇ & mystica communione possunt intelligi, qvæ justificationis est conseqvens, & fit per fidem ex parte hominis & communionem misericordiæ ex parte DEI *Osea.* 2, 19. 20. unde fit homo unus Spiritus cum Deo 1. *Cor.* 6, 16. & fugiens conversationem hujus mundi, sanctus est, qvoniam DEUS sanctus 1. *Petr.* 1. *v.* 15. 16.

VI. Dignoscant justificationis causam *meritoriam* & *formalem*: *Illa* est obedientia Christi Activa ac Passiva, qvia impletione legis & passione sua Christus acqvisivit justitiam, qva coram DEI judicio sumus justi: *Hæc* est Justitia Christi sanctissima morte parta & per fidem nobis imputata. Illa qvoad actus meritorios transiit; hæc manet, & fuit ante Christum incarnatum, qvia effectus præcurrit causam: Uti ergo debitor liberatur ex carcere, qvando λύτρον vel promissum est, vel solutum ante liberationem; ita & Justificatio facta est peccatorum in V. T. ob Christi meritum decretum & promissum; fit adhuc hodie, qvando jamdudum lex fuit impleta passio Christi præterita.

VII. Caveant sibi ab *Ignoratione Elenchi*, qvæ in hac qvæstione toties occurrit, qvoties evincitur; Nos *justificari* per Justitiam DEI, Christum esse nostram Justitiam secundum divinam Naturam: Dei essentiam in nobis habitare, Deum esse nostram Vitam, DEUM justificare impium &c. Hæc ξῶν ἀμφοῖν largimur, negamus autem seqvelas, qvas censuit Ratio, cum infert; nos justificari per Justitiam Dei essentialem; Christum esse nostram Justitiam, secundum solam divinam Naturam, DEI essentiam essentialiter in nobis habitare, Deum esse vitam nostram per suæ Essentiæ essentialem communicationem, Deum justificare impium propter Justitiam suam essentialem.

VIII. Metaphoricam phrasin, qva Homines dicuntur induere vestem Justitiæ, recte interpretentur: unionem qvidem hæc phrasis notat, non autem essentialem: Confer dicta in qvibus itidem legitur & essentialem unionem non significat *Esa.* 22, 21. *Ephes.* 6, 11. 14. *Coloss.* 3, 12. 14.

IX. Evitet fallaciam Notationis, qva ludunt illi, qvi vocem ἰησοῦς derivant â voce יהוה cum Angelus aperte indicet qvod derivanda sit â voce ישע unde יהושוע *Matth.* 1, 23. Vide *Flac. contra Osiand. de proprietate Nom. Jhesu.*

Qv. IV.

QV. IV. *Annon formaliter coram DEO justi sumus Justitia per Christi meritum acquisita, & nobis in Christum credentibus à DEO imputata?*

## THESES.

I. SCripturæ S. authoritati qvotqvot assurgunt, non eunt inficias, peccatoribus pœnitentibus â Deo remitti peccata, ut homines peccatores Justificentur, & ex statu iræ perveniant in statum gratiæ. Qvæstio autem semper fuit in Ecclesia, qvidnam Deus respiciat & attendat in suo Judicio, qvo peccatores damnat, qvando eos â reatu absolvit, in gratiam recipit & æterna gloria donat? Nostra *A. Confessio art.* 4. ad hanc qvæstionem ita respondet: *Docent nostræ Ecclesiæ, qvod homines non possint justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi & peccata remitti propter Christum, qvi sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro Justitia, coram ipso.* Prima pars hujus Confessionis patet ex cap. 1. ultima exhibet *Justitiam Imputativam*, qvæ non est in opinione vel imaginatione, qva fallitur Intellectus, sed in misericordi Dei Voluntate, qva secundum divitias suæ misericordiæ vult, ob Christi meritum, fide apprehensum, absolvere â reatu æternæ mortis peccatorem, eumqve æstimare justum in Justitia Christi, qvam peccator sibi applicat, ut Justificetur coram Deo, & æternum salvetur. Consistit ergo *Justificatio* nostra *formaliter* in Relatione, cuius fundamentum est Christi Justitia, acqvisita eius obedientia activa & passiva, terminus est homo peccator in Christum credens: Si iam fundamentum referatur ad terminum, h. e. Christi Justitia â Deo imputatur credenti homini peccatori, existit iustificatio Hominis peccatoris coram Deo. *Subjectum* in hâc Relatione est substantia Hominis peccatis corrupta & damnationi æternæ obnoxia, *Fundamentum* est Christi Justitia, qvam nobis promeruit. *Termini* sive *Relatum & correlatum*, sunt; Deus absolvens sive iustificans, & homo reus Justificandus, ipsa Relatio est Justitiæ Christi imputatio, qvæ dum fit, peccatum remittitur & peccator in gratiam Dei restituitur.

II. Hanc Justificationis nostræ formam, nempe Christi Justitiam qvam promeruit nobis, imputatam credentibus, revelat Spiritus S. qvi docet in scripto Verbo (1) Deum in Justificandis peccatoribus attendere redemptionem in Christo & ipsum Christum, ut ἱλαστήριον in sanguine *Rom.* 3, 24. 25. Illa igitur Justitia qvam Deus in Justificatione peccatoris respicit, est causa formalis nostræ Justificationis. At Justitia Christi qvam

promeruit ut Redemptor & propitiatorium in sanguine, est illa, qvam Deus respicit &c. E. (2) Deum reputare τὸ πιστεύειν & fidem, qva credimus illi, qvi justificat impium & suscitavit Jesum â mortuis, ad Justitiam, qva coram suo judicio homo peccator consequatur remissionem peccatorum *Rom.* 4, 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 23. 24. 24. Extruimus ex hâc doctrina hunc syllogismum; *Quacunque Justitia justificavit Abrahamum & omnes, qui sunt filii Abraham secundum fidem, illa formaliter hominem peccatorem coram Deo justificat. Atqui Justitia Fidei, qva non ex lege v. 13. imputatur non secundum debitum, sed secundum gratiam; non ei, qvi operatur secundum præcepta legis, sed ei, qvi credit secundum propositum gratia Dei v. 4. 5. & omnibus, qvi credunt in eum, qvi pro peccatis nostris traditum suscitavit propter Justificationem nostram v. 23. 24. 25. Justificavit Abrahamum &c.* E. & per consequens justificamur formaliter ea Justitia, qvæ nobis imputatur, & cujus fundamentum non est in nobis, sed extra nos. (3) Christum esse nostram Justitiam coram Deo & fidem in Christum *Rom.* 10, 3. 4. 1. *Cor.* 1, 30. *Jerem.* 23, 6. *Rom.* 9, 30. *Phil.* 3, 9. Argumentum hic latet tale: *Quacunque Justitia sit nostra coram Dei judicio, illa formaliter nos justificat; At Christus fide apprehensus in justitia qva legis non est justitia, sit nostra justitia coram Deo* E. *Assumptionem* ut defendas, tenebis (*a*) Non posse probari ex sacris literis, Christum esse nostrã Justitiam, qvia causa est Efficiens, uti Deus est nostra salus & fortitudo: Nam si ut causa efficiens esset nostra Justitia, hæc Justitia esset ex lege, id qvod dicta citata rectius trutinata negant. (*b*) Absqve ulla absurditate dici potest: Christum esse nostram Justitiam, tum, ut causam efficientem, tum, ut causam formalem. Veluti enim solutio debiti alieni est causa meritoria respectu solventis, & tamen causa formalis, ob qvam liberatur debitor; ita Christi meritum nos justificat, ut causa efficiens & meritoria, qvam dum Deus unice attendat, cum Justitiam Christi nobis imputat, Christus fide apprehensus est causa formalis nostræ Justificationis (*c*) Si saltem ut causa efficiens & meritoria, Christus esset nostra Justitia, omnibus Hominibus, qvibus promeruit justitiam, esset Justitia; Hoc vero Scripturæ adversatur. E. concedendum qvod credentibus sit Justitia, qvando illis imputatur per fidem: Unde nec fides sine Christo, nec Christus sine fide nostra potest esse Justitia, 4. Non dicit Apostolus: Christus efficit justitiam; sed potius; Christus factus est Nobis Justitia, h. e. nos sumus Justitia in Christo 2. *Cor.* 5, 20. qvæ est Justitia fidei, qvam non apprehendunt, qvi Christum respuunt, *Rom.* 9, 31. 32. qvi vero eam habent, in Christo inveniuntur *Philip.* 3. *v.* 9. Qvod nostrum est, qvando per fidem Christus est noster, illud non

nisi

nisi in Christo imputato & donato habemus. At Justitia valens coram Deo nostra est, qvando Christus est noster per fidem. E. Major patet ex consideratione Fidei, qvæ in citatis locis non describitur ut opus Legis, sed ut instrumentum, qvod apprehendit Justitiam, qvæ opposita est Justitiæ legis, adeoqve non nisi extra nos suum habet fundamentum, (4) Justificationem nostram coram Deo esse *Actionem forensem*, in qva Justificat Judex *Job.* 5, 27. reum *Rom.* 3, 4. accusatum â Lege *Joh.* 5, 45. *Rom.* 3, 20. convictum testimonio propriæ conscientiæ *Rom.* 2, 15. condonando peccata *Ps.* 32, 1. 2. 3. non imputando delicta 2. *Cor* 5, 19. non condemnando *Rom.* 8, 33. 34. ob scientiam salutis, qvæ est in remissione peccatorum *Luc.* 1, 17. & propter Christum, in verbo Evangelii annunciatum. *Actor.* 10, 43. *cap.* 13, 38. ut homo peccator descendat in domum suam justificatus præ alio, qvi confisus fuit bonis operibus *Luc.* 18, 13. 14. sublato Chirographo *Coloss.* 2, 14. & facta jam reconciliatione *Rom.* 5, 10. ut & Redemptione 1. *Tim.* 2, 6 Ex his fluit talis ἀποδειξις. *Qvicunqve justificatur, ut Reus, qvi â Judice absolvitur, qvia alius pro ipso satisfecit, eumqve reconciliavit & redemit; ille justificatur per Justitiam imputatam ut causam formalem. At homo peccator coram Dei Judicio justificatur ut Reus &c.* E. *Minorem* non infringit Exemplum Publicani, de qvo dicitur, qvod sese humiliaverit & sic exaltatus fuerit; qvalis enim fuit hæc humiliatio, *Lucas* edisserit *v.* 8. ubi oppositos Publicano describit, ut πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς, ὅτι εἰσὶ δίκαιοι. Contrariorum igitur si contraria est ratio, publicanus humiliavit seipsum qvatenus in seipsum & propriam suam Justitiam nullam posuit fiduciam (5) Credentes consequi υἱοθεσίαν propter Christi Redemptionem *Ephes.* 1. *v.* 6. 7. *Galat.* 4. *v.* 5. uti autem ob Christi Redemptionem nobis imputatam adoptamur; ita ob eandem justificamur, cum nemo sit DEI Filius nisi justificatus, & *causa Formalis* Justificationis est etiam indubie *causa Formalis* Adoptionis & vice versa. Vox χαρίζω *Ephes.* 1. non notat Justitiæ infusionem, sed acceptationem in gratiam, qva in significatione legitur *Luc.* 1, 30. Confer. *D. Chemnit. in Examine pag.* 130. *seqq. parte* 2. *Loc. p.* 473. *Hutter. in Loc. p.* 473. *Mentz. disp.* 5. *Anti Pistor. th.* 76. *Meisn. Dec.* 3. *Anthropol. disp.* 7. *thes.* 64. *seqq. Battum de Justificat. pag.* 134. *tom.* 3. *disputat. Giess. pag.* 103. *Gerhard. tom.* 3. *L.* 19. §. 200. *seqq.*

## ANTITHESES.

I. *Pontificii* Anathemate feriunt eum, qvi docet; *Hominem justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum Remissione, Concil. Trid. sess.* 6. *can.* 10. & 11. Conferatur *Bellarmin. lib.* 2. *de justif. cap.* 7. *Andrad. in Def. Fid. Trid. p.* 477. *Sand. l.* 5. *dt justif. cap.* 1. II. *Osi-*

II. *Osiandristæ* hic qvoqve errant, de qvibus vide *Wigand. de Osiandr. pag.* 10. 11. *seqq*

III. *Weigeliani*, *Suenckfeldiani*, & noviProphetæ itidem ab hâc thesi abeunt. Vide loca citata præc. qv. memb. 2.

IV. *Neo-Photiniani* sic tantur. Qvod Christi Justitia nobis imputetur, i.e. ejus sanctitas & innocentia nostra esse censeatur, Paulus nihil loquitur, vel loqvi cuiqvam meritò videri potest. *Socin. in lib. qvod Evang. pag.* 20. Error est, Deum imputare credentibus innocentiam & Justitiam Christi. *Smaltz. Cont. Frantz. pag.* 104.

## HYPOTHESES.

Hi omnes ignorant Justitiam DEI *Rom.* 10. *v.* 3. & eam repudiant qvia suæ Rationi stulta apparet. Impingunt autem in lapidem offensionis & petram scandali *Rom.* 9, 33. perɹuasi, qvod I. *Imputativa justitia* sit res Imaginaria & minimæ Entitatis; At S. S. monstrat imputationem, qvæ solidum habet fundamentum in mente humanâ 1. *Reg.* 1. *v.* 21. *Ep. ad Philem. v* 18. & in mente divinâ *Levit.* 16, 21. *Num.* 18, 27. *Ps.* 144, 3. *Esa.* 53, 12. *Marc.* 15, 28. *Rom.* 2, 16. *cap.* 9, 8. Talis etiam est *imputatio*, qvâ Deus pro immensâ suâ misericordiâ nos reputat, vel æstimat justos, qvandò nobis applicamus Christi meritum, idqve non ex errore, sed consilio sapientissimo, non iniqvitate, qvia Justitiam filii sui, ad nos transfert, sicut nostra peccata conjecit in ipsum *Esa.* 53. *v.* 7, 9, 15. 1. *Pet.* 2, 24. *Joh.* 1. 29. 2. *Cor.* 5, 19. Si qva esset imputatio Justitiæ, in mente humanâ, qvæ falli potest, de illâ, qvod sit imaginaria, dici posset; sed in mente divinâ nullum invenit locum imaginaria, falsa & erronea imputatio.

II. Injusta sit imputatio, qvâ peccator æstimatur Justus: Verum distinguenda imputatio legalis ab Evangelicâ, uti docet D. Paulus *Rom.* 4, 3, 4. *Illa* est injusta, nisi fundamentum habeat in illo, cui fit imputatio: *Hæc* autem Justitiam temperatam misericordiâ præsupponit; qvando ex gratiâ injusto imputat alterius Justitiam, uti Judex ex æqvitate agens cum debitore, liberum eum â debito pronunciat, qvia alius pro ipso satisfecit.

III. *Lutherani* dissideant sensu, qvandò dissident phrasi, in Explicandâ formâ Justificationis. Notetur autem 1. *Formam* hîc non sumi *Physicè*, qvatenus solis competit substantiis; sed *metaphysicè* pro *ratione formali*, seu λογῳ, qvi det esse rei. 2. Nostrates eandem rem distinctis exprimere vocabulis, cum Justificationis *formalem causam* appellant vel peccatorum remissionem, vel Justitiæ imputationem, vel fidem in Christum, &c.

Nam

Nam omnes tenuunt unanimiter, Justificationem nostram coram DEI Judicio in suo formali absolvi per fidem, ὀργανικῶς, per Justitiæ Christi imputationem, Θετικῶς, & per pecca orum remissionem, στερητικῶς, qvæ tria semper sunt conjuncta in nostra Justificatione, & licet unus actus interdum nominetur, cœteri tamen semper â nostris subintelliguntur. 3. Formas Actionum designari præpositione *propter*, uti formæ substantiarum designantur præpositione PER: *Homo vivit per animam. Reus damnatur propter culpam, absolvitur propter innocentiam*, vel *propter alterius satisfactionem.* 4. Causam meritoriam Justificationis non ineptè â nostris Theologis interdum vocari *causam Formalem:* Meritum enim Christi consideratur vel in se & respectu Christi, vel in suo fructu, qvi est Justitia nobis applicata. Priori consideratione est causa meritoria: posteriori, causa formalis nostræ Justificationis. 5. Duplicem esse applicationem justitiæ â Christo acqvisitæ: Unam qva Deus credentibus applicat dictam justitiam; alteram qvâ credentes sibi applicant eandem justitiam. Hæ applicationes ceu δόσις καὶ λῆψις in justificatione Hominis peccatoris concurrunt.

IV. Nulla sit justitia imputativa, qva Homo κατ' ἀλήθειαν coram Deo possit esse justus: Est autem multiplex ambiguitas in voce justitia, qvam evolvit *D. Meisn. parte 2. Phil. sob. Sect. 1. cap. 1. q. 27.* Non ingreditur qvæstionẽ nostram justitia 1. *Philosophica*, qvæ vel universalis, vel particularis docente Aristotele lib. 5. ad Nicom. 2. *Legalis*, qvæ vel vera, qvalis fuit in Christo & in Adamo ante lapsum; vel Pharisaica, qvalis in Pharisæis & omnibus aliis, qvi post lapsum ex operibus suis præsumunt aliqvam coram Deo Justitiam; vel Inchoata, qvalis in nostra Renovatione, vel deniqve consummata, qvalis futura in altera Vita. 3 Causæ vel certi alicujus Facti, de qva passim Psalmi canunt, cum pandunt Justitiam piorum, qvos persequti sunt Impii non læsi ulla injuria: qvia Controversia hic est de Justitia Personæ, & sic unice indaganda justitia Evangelica, cujus formalem Rationem non ex Rationis dictamine, nec ex Legis rigore, sed ex Evangelica æstimare debemus æqvitate, qvam Deus patefecit.

V. Nulla possit fieri denominatio â *Forma Externa*, cum adsit forma inhærens: Sic qvidem concludere conatur Ratio, Exemplis particularibus astricta: Rectius autem qvando pensitat Entia, limitationem in dicto Axiomate agnoscit, qvia Entia vel absoluta, vel respectiva & σχετικὰ; in his non semper fieri potest denominatio â *forma Interna*, uti limes non denominatur â forma Interna lapidis, Consul non denomi-

natur ab Anima rationali &c. Sic ipsi Pontificii Justitiam originalem definiunt donum supernaturale & Externum, â qvo tamen denominant homines protoplastos justos, non obstante intrinseco morbo, qvem in statu integritatis affingunt Naturæ contrariis propensionibus addictæ. Confer *Meisn. parte 2. Phil. Sob. cap. 1. sect. 2. q. 13.*

VI. Tales in omnibus sit Justitia â Christo reparata qvalis fuit ab Adamo amissa: Præterqvam vero, qvod hæc fuerit concreata, illa corruptæ Naturæ restituta, ob subjecti disparitatem eo modo non potest inesse in Natura corrupta, qvo inhæsit in Natura integra: obstat enim in illa corruptio & peccatum, qvo non exstirpato, Justitia coram Deo nulla nos justificare potest præter Imputatam, qvam seqvitur Justitia inhærens, inchoative in hâc vita, & consummative, in altera. Concedimus ergo, etiam inhærentem Justitiam & Renovationem esse beneficium â Christo acqvisitum, qvod non excludimus â justificato, sed saltem â Justificando: qvia beneficium justificationis seqvitur beneficium Renovationis sive Sanctificationis, uti effectus seqvitur causam.

VII. Absq; blasphemia dici neqveat Christo esse imputata nostra peccata, sicut absq; blasphemia dici non potest, qvod Christus sit peccator vel filius Diaboli. Sed distinguendum Christi officium ab ejus persona. in hac nulla peccata inhærent, & nulla ei imputata sunt, si in se consideratur. Illud autem dum peragit, nostram sustinet personam, & qvia nostræ pœnæ ipsi infliguntur, has Justitia Dei â Christo nunqvam sumeret, nisi culpam nostram in se derivasset, eamqve sibi imputari, voluisset. Qvia enim Innocentia Christi indubiis testimoniis nititur, & tamen Christus pœnas atrociſſimas peccati sustinuit, aut injustus erit Deus, qvi tradidit filium suum in mortem, aut nostra peccata tam vere portavit Christus, qvam vere propter illa passus & mortuus est. Hinc in officio suo qvo nostra peccata pertulit in corpore suo *1. Petr. 2, 24.* factus est ἁμαρτία *2. Cor. 5, 21.* κατάρα *Galat. 3, 13.* Non autem factus est filius Diaboli, qvia peccatum nullum habuit, nullumqve opus Diaboli perfecit, ut de filiis Diaboli legitur *Joh. 8, 44.*

VIII. In Sponsa Christi nulla sit vel pulchritudo, vel mundicies, nisi justificetur Justitia habituali & inhærente. S. Scripturæ si credimus: Sponsa Christi duplicem habet pulchritudinem & mundiciem: Unam in Via, alteram in Patria: De hac sermonem habet Apocalypsis *Joh. cap. 19, 7. 8. cap. 21, 2.* ut & Paulus *Ephes. 5, 27.* & Psaltes Regius *Ps. 45, 10. 14. seqq.* De illa canit Salomo *Cantic. 2, 13. cap. 3, 1. seqq.* Hæc qvod consistat in perfecta Justitia & sanctitate, qvæ inhæret Sponsæ, nemo negat. Illa qvod

qvod non sit inhærens, sed imputata, evincunt argumenta supra posita, è qvibus dicta Allegorica sunt explicanda, ad ductum *Esa* 61, 10. *Hebr.* 10, 21. 22. Notetur etiam gradatio Apostolica *Rom.* 8, 30. qvæ jubet distinguere inter pulchritudinem Justificationis, & pulchritudinem glorificationis.

IX. Vox *Justificare* non significet *Justificationem forensem*: Cum tamen *significatio forensis* hinc inde in Bibliis comprobetur: *Exod.* 23, 7. *Deut.* 25, 1. 2. Sam. 15, 4. *Ps.* 82, 3. *Prov.* 17, 15. *Esa.* 5, 23. *Matth.* 11, 19. *cap.* 12, 37. *Luc.* 7, 29. &c. Sufficit nobis, qvod in dictis de Justificatione hominis peccatoris coram Deo, non nisi forensis significatio ostendatur. Vide *Chemnit. parte* 2. *Loc. th. p.* 247. *seqq. Hutt. in Loc. pag.* 436. *Hunn. tom.* 1. *op. col.* 551. *D. Meisner. parte* 2. *Phil. sob. cap.* 1. *Sect.* 1. *q.* 28.

X. Non perfecte remittantur peccata, qvando non imputantur, teguntur, absconduntur, absqve infusione justitiæ habitualis. *Respond.* Scriptura ἀνθρωποπαθῶς loqvitur cum affirmat; Deum non recordari delictorum *Ezech.* 18, 22. projicere peccata in profundum maris *Mich.* 7, 19. non observare iniqvitates *Ps.* 130, 3. tegere Iniqvitates *Ps.* 32, 2. ea â nobis elongare *Ps.* 103, 12. abscondere faciem â peccatis *Ps.* 51. *v.* 2. Hæc qvod de perfecta condonatione culpæ, & Reatus remissione, sint intelligenda, patet ex phrasibus contrariis, qvæ docent: Deum peccata in conspectum & judicium adducere *Thren.* 1, 22. statuere qvibusdam peccata *Actor.* 7. *v. ult.* consignare peccata *Job.* 14, 17. ponere Iniqvitates in conspectu suo *Ps.* 90, 8. In dictis itaqve primo loco positis sedulo inqvirenda causa, qvæ movet Deum, ut tegat peccata; Hæc si esset Justitia habitualis, illa ut imperfecta & impura non tegeret iniqvitatem coram Dei oculis, â qvibus nihil manet absconditum; Concedenda ergo Justitia Christi imputata, aut nullo nitentur solido fundamento illa Dicta, qvibus asseritur, Deum non recordari peccatorum, delere peccata, abluere â peccatis &c. qvæ ϑεωπρέπως si intelligenda, velamen concedendum qvo interjecto, Deus possit avertere suam faciem â peccatis, stylus asserendus, qvi ex Dei memoria, deleat peccatum, & liqvor inveniendus, qvo coram DEO purgetur Conscientia ab operibus mortuis &c. Nisi hæc apprehendas in Christi Justitia nobis imputata, frustra ea venaberis in justitia tibi inhærente. Nec debito afficis honore Christi meritum, si illi deneges, qvod justitiæ habituali largiris, vel causam proximam justificationis tuæ statuas hanc, non illud, qvasi Christus suo merito hoc salrem obtinuisset, ut nos qvalitatibus nobis inhærentibus justi simus coram Deo.

XI. In Serpente Æneo, ceu Typo major fuerit efficacia, atqve in Christo crucifixo, ceu Anti-Typo, si hic non daret inhærentem justitiam uti ille dedit inhærentem sanitatem. Sed errant 1. non videntes, qvod Serpens æneus in deserto exaltatus, in eo differat â Christo exaltato in Cruce, qvod hic promeruerit sanitatem Spiritualem, ille autem promeruit sanitatem corporalem: Hactenus ergo plus est in Antitypo, atqve fuit in Typo. 2. confundentes sanitatem & sanitatis effectus. Sicuti intuitu Serpentis ænei adepti sunt primo sanitatem, deinde sanitatis effectus, sc. manducationem, ambulationem, labores &c. ita fide qvando intuemur Christum crucifixum, primo accipimus sanitatem Animæ, hoc est justitiam Christi, qva Deo sumus grati, qvam deinde seqvuntur Effectus, sc. pii motus & virtutum habitus, qvibus in novitate Vitæ ambulamus. Vide *D. Chemnit. in Exam. p.* 147. *D. Hunn.* in Widerleg. der Thes. Pistorii von der Rechtfertig. *thes.* 130. *seqq.* 178. *seqq. D. Battum l.* 1. *de Justif. cap.* 25. *Meisner. Decad.* 3. *Anthrop. S. disp.* 8. *th.* 61. *tomo* 3. *disp. Giess.* 4. *th.* 66. *seqq. Gerh. tom.* 3. *L.* 19. §. 234. *seqq.*

Qv. V. *Num duplex est Justificatio, alia V. alia N. Testamenti, alia prima, alia secunda?*

## THESES.

IN V. Testamento justificationis formam non fuisse aliam, ab ea, qvæ est in N. T. licet in illo justitia Christi exhibendi, in hoc justitia Christi exhibiti sit applicata, apparet ex iis, qvæ scripta extant Controv. 4. *Primam* justificationem esse distinguendam â *secunda*, ita, ut *illa* fiat justus impius, *hac* justus magis justus per bona opera, non legimus in sacris, qvæ qvod nullam justitiam consistentem in Dei judicio, Bonis operibus tribuant, seq. qvæstionis indicabit ventilatio. Vocationis, Electionis, Justificationis & Salvationis nostræ circum non ingrediuntur nostra opera, qvæcunqve illa sint; qvamdiu sunt Legis opera, hoc est, bona opera, tamdiu juxta doctrinam S. Spiritus exulant è negocio nostræ Vocationis 2. *Tim.* 1, 9. Electionis. *Rom* 9, 12. *Ephes.* 1, 6. Justificationis *Rom.* 3. *v.* 28. *Actor.* 13, 38. & Salvationis *Rom.* 8, 24. *Ephes.* 2, 8. *Tit.* 3, 5.

## ANTITHESES.

Hanc doctrinam Orthodoxam deserunt *Pontificii*, qvi distingvunt inter justificationem *primam*, qva homo non Renatus primum justitia inhærente perfunditur, & secundam, qva infusa charitas suas exercet operationes, ut per bona opera possit homo magis justificari coram DEO, atqve fuit justificatus per infusos habitus: *Illam* dicunt habitualem; *hanc* Actualem Iustitiam; *illa* gratis nos justificari propter Christum; *Hac* vero pro-

propter nostra opera, qvibus auctior & major acqviritur Justitia, atqve ea est, qva justificamur propter Christum. Vide *Andrad. in Def. Concil. Trid. de Acceptæ Justificationis Incremento, Stapletonum in Antidotis Apostol. ad Rom. cap. 3. Costerum de Justificat. cap. 3. Bellarm. l. 4. de Justif. cap. 18.*

## HYPOTHESES.

Straminea sunt fundamenta, qvibus innititur hoc Dogma, scilicet. *Caput. 2. Jacobi* non intellectum, de qvo Vide supra c. 3. II. Renovationis & Justificationis identitas de qva itidem suo loco III. Justitia Deo grata, qvæ proficiscitur ex bonis operibus, de qva seq. qvæst. dispiciemus. IV. Dicti *Apocal. 22.* depravatio de qva itidem supra V. Blasphema opinio de merito Christi, acqvirente id, qvod minus est, videlicet, infusionem Habituum, qvando Renati suis operibus acqvirunt id, qvod incomparabiliter majus est, sc. Justitiæ augmentum & ipsam Vitam æternam. VI. Justitiæ inhærentis & Bonorum operum perfectio, qvam confictam esse, sequens Controversia attestabitur. Vide Chemnit. in Exam. Concil. Trid. pag. 152. Hutter. in Loc. Theol. p. 439. Gerhard. tom. 4 Loc. 20. §. 82.

Q. VI. *Ergone docendum, qvod sola fides in Christum Hominem peccatorem coram DEO justificet?*

## THESES.

I. EXclusiva particula Sola determinat, in hac Propositione; *Sola Fides justificat*; & *Subjectum* & *Prædicatum*: *Illud*, qvatenus fides est unica causa Instrumentalis ex parte nostri, qva justitiam & Evangelicas promissiones apprehendimus; uti enim Justificationis nostræ causa Impulsiva, est Sola DEI Gratia & misericordia, Causa meritoria, Sola Christi *Obedientia, Activa & Passiva*, causa formalis, Sola Christi justitia per fidem imputata Instrumentalia δολικὰ sunt Solo in verbi & Sacramentorum ministerio; ita Instrumentum λήπτικὸν seu causa Instrumentalis est Sola Fides: prout evictum est supra c. 3. *Hoc* determinat, qvatenus ab Actu & Negocio Justificationis excludit omnia nostra opera, qvæ præcepit lex divina vel invenit Ratio humana.

II. Et hæc postrema determinatio hîc venit in qvæstionem, cui nostræ Ecclesiæ γνησίως Lutheranæ semper responderunt affirmando, freti initio *S. Scripturæ dictis*, qvæ docent, fidem justificare Hominem peccatorem qvatenus Legis operibus oppositas, excludit gloriationem qvam lex factorum non excludit *Rom. 3, 27.* non admittit hæreditatem & certitudinem promissionis Evangelicæ ex lege *Rom. 4, v. 14. 15. 16.* nullam con-

concedit benedictionem, iis, qvicunqve ex operibus legis sunt *Galat.*3. *v.* 7. 8. 9. 10. & reprobat justitiam ex Lege, qva qvis irreprehensibilis fuit, ut stercus & detrimentum *Philip.* 3, 6. 7. 8. 9. Hinc argumentamur: *Qvacunqve Fides justificat cum operibus, illa operibus Legis* 1. *subordinata* 2. *operibus concedit aliqvam gloriationem.* 3. *hæreditatis & promissionis confirmationem.* 4. *benedictionem*, 5. *æstimationem. At Fides ab Apostolo descripta, ut justificans coram Deo, operibus Legis non est subordinata, iis nullam concedit gloriationem* &c. E. & per consequens Sola Fides justificat. Ad *Majorem* Excipiunt Adversarii, & restringunt dicta Apostolica vel ad opera legis Ceremonialis vel ad opera Non Renatorum, facta antè gratiam; Vanitatẽ hujus Exceptionis deteximus supra c. 3. cui adde has Notas. (1) Circumcisionis dum fit mentio, non statim omnia dicta restringuntur ad legem Ceremonialem; qvia Pseudo-Apostoli non solum urgebant Necessitatem Circumcisionis, cui maxime confidebant Judæi, sed etiam præcipiebant servare Legem Moysis *Actor.* 15, 5. qvæ fuit jugum, qvod Patres non potuerunt portare *v.* 10. & ad qvam totam servandam omnes circumcisi obstringebantur. *Galat.* 5, 3. (2) Qvi opera Renatorum dicunt ingredi Justificationis actum, contradicunt sibi ipsi: Cum enim nominant opera Renatorum, nominant opera Justificatorũ; qvum ergo dicunt: opera Renatorum justificant; idem dicunt cum iis, qvi affirmant: justificatus est adhuc justificandus. Commentum illud de justificatione prima & secunda S. Scriptura ignorat. (3) Gloriatio duplex est; Vel Bonæ Conscientiæ, vel propriæ justitiæ; de hac, non de illa loqvitur nostrum argumentum; & propriæ justitiæ gloriatio Deo prorsus displicet *Jerem.* 9, 24. 2. *Cor.* 1, 17. *Luc.* 18, 11. (4) *Rom.* 3, 27. Vox *Tua* in textu græco non legitur. (5) Per *legem Fidei* non intelligitur ipsa *Fides*, sed *doctrina de fide*, & per *legem factorum doctrina de operibus*; Si ergo secundum hanc justificatur homo, ex qvibuscunqve operibus, qvæ si Bona sunt, non possunt non esse ἔνιαμα adeoqve Legis opera, non excluditur gloriatio. (6) Vana est Distinctio inter *Justitiam* Legis, & *justitiam ex lege*, qvia per utramqve Scriptura intelligit opera justa & bona, qvæ Lex præscribit facienda. (7) Apostolus *Philip.* 3, 8. 9. ignominiose loqvitur de operibus Legis, non ἀπλῶς sed συγκριτικῶς, qvatenus illa existunt in se homine peccatis infecto, & comparantur cum perfectissima & sanctissima justitia Christi.

III. Deinde pro sententia nostra adducimus *Exclusivas phrases*, qvibus S. Scriptura utitur in describendo Justificationis actu, qvem tribuit Fidei:

Fidei: Tales sunt δικαιῶται ἄνθρωποι ἐξ ἔργων νόμου, ἐαν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. Δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Χριστοῦ καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου. *Galat.* 2, 16. λογιζόμεθα πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου *Rom.* 2, 28. τῷ μὴ ἐργαζομένῳ πιστεύοντι δὲ &c. λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην *Rom.* 4, 5. Ἰσραὴλ εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου *Rom.* 9, 31. 32. His dictis conjungenda, qvæ gratiam Dei, salvantem nos, operibus opponunt, uti *Rom.* 3, 24. *Rom.* 11, 6. *Ephes.* 2, 8. *Tit.* 3, 5. ut etiam ea, qvæ â nostra Redemptione per Christum factâ omnia excludunt opera *Coloss.* 2, 19. 20. 1. *Tim.* 2, 6. 7. *Rom.* 5, 8. 1. *Joh.* 4, 10. &c. Ex his dictis fluit duplex Argumentum: Primum hoc est: *Aut sola Fides justificat; Aut sola opera justificant: Aut opera & Fides.* *Hoc* diserte negant phrases allatæ, qvibus affirmatur justificatio de fide & negatur de operibus: Contradictorias itaqve qvi non vult assumere simul veras, opera & fidem in Justificationis actu nunqvam conjunget. *Illud* nec ipsi Adversarii affirmant. E. concedendum *istud.* Alterum est tale: *Qvicqvid ingreditur Justificationis Actum, illud copulandum vel divinæ misericordiæ, vel Christi merito, vel Fidei; At Bona opera Scriptura nec Dei gratiæ &c. copulat, sed potius ea ab omnibus excludit.* E. *Majoris* propositio tamdiu est adamantina, qvamdiu ex Scripturis qvartum monstretur, cui Bona opera in justificationis actu conjungantur. Allatrant Adversarii hæc argumenta variis *Exceptionibus*, qvarum morsum nemo metuit, qvi intelligit I. verum sensum particulæ *gratis*, qvi in Bibliis agnoscitur duplex. Vel enim opponitur hæc vox *meritis* & enunciatur de illis, qvi puniuntur absqve merito 1. *Sam.* 19, 5. *Ezech.* 6, 10. *cap.* 14, 23. *Jerem* 15, 13. *Ps.* 35, 19. Vel opponitur *solutioni pretii & mercedis*, ut *Genes.* 29, 15. *Exod.* 24, 2. *Num.* 11, 5. 2. *Sam.* 24, 24. *Matth.* 10, 8. 2. *Cor.* 11, 7. 2. *Thess.* 3, 8. Proinde hæc particula & meritum de *congruo*, & meritum de *condigno* excludit, ex justificationis actu. II. Veram oppositionem *Fidei Justificantis* & *operum*, qvæ non est ratione *præsentiæ*, sed *efficientiæ*, non in sua Natura, sed in sua ἐνεργείᾳ: Conjunctim qvidem existunt fides & opera, sed non conjunctim agunt. III. Particulas ἀμὴ ἐαν μὴ &c. æqvipollere particulæ *Sola*, patet ex his dictis. *Matth.* 5, 32. *cap.* 19, 9. 2. *Reg.* 5, 17. *Joh.* 6, 44. *cap.* 15, 4. *Galat.* 6, 14. *Apocal.* 21, 27. In his Exemplis removentur ea, qvæ dictas particulas antecedunt, & includuntur, qvæ sequuntur. Interdum etiam Scriptura in uno loco affirmat & negat, qvod in altero declarat per particulam exclusivam. Confer

ter *Deut.* 6, 13. *& Matth.* 4, 10. *Deut.* 4, 31. *& cap.* 32, 39. *Matth.* 24, 36. & *Marc.* 13, 32. IV. Lutheri consilium, qvo motus, in Versione sua germanica *Rom.* 3, 28. ad reddendum Textum græcum: Allein durch den Glauben. Hoc consilium officium Boni Interpretis suggessit; qvo tenetur interpres servare Idiotismum istius Linguæ, in qvam transfert textum. Uti autem *Latina Versio vulgata* non damnatur, qvando particula *Solus* additur, ad exprimendum verum sensum, utcunqve in textu Originali non legitur, *Deut.* 6, 13. *cap.* 10, 20. *cap.* 11. *v.* 32. *cap.* 22. *v.* 27. *cap.* 32, 39. 1. *Sam.* 10, 19. 2. *Reg.* 7, 7. 2. *Reg.* 19, 11. 2. *Reg.* 23, 9. 2. *Paralip.* 20, 12. *Hiob.* 17, 11. *Jerem.* 17, 4. *Dan.* 11, 4. *Zachar.* 8, 19. ita nec *B. Lutheri Versio* damnanda, qvæ textum græcum juxta Idiotismum germanicum vertit germanice. Plura pro defensione *B. Lutheri* affert *D. Mentz. disp.* 5. *Anti-Pistor. thesi* 271. *Meisn. parte* 2. *Phil. Job. Sect.* 2. *cap.* 2. *qv.* 11. *D. Gerh. tom.* 3. *L.* 19. §. 128.

IV. Pro thesi nostra porro militant *Fidei Encomia* qvibus omnes vel maxime principales justificationis Effectus referuntur ad fidem, ut pax cum Deo *Rom.* 5, 1, 2. purificatio cordis *Actor.* 15, 9. υἱοθεσία *Joh.* 1, 12. ubi ἐξουσία notat potestatem in re, non potestatem ad rem, uti explicatur *Galat.* 3, 26. 1. *Johan.* 5, 1. Spiritus S. *Galat.* 3, 2, & 14. Unio cum Christo mystica *Oseæ* 2. *v.* 20. *Ephes.* 3, 17. Spes & Charitas *Galat.* 5, 5, 6. Victoria Sathanæ *Ephes.* 6, 16. varia Exercitia pietatis *Hebr.* 11. *per tot.* efficax oratio *Jacob.* 1, 6. Victoria mundi 1. *Joh.* 5, 4. Confessio oris *Ps.* 116, 10. 2. *Cor.* 4, 13. Patientia *Philip.* 1, 29. salus & vita æterna *Johan.* 3. *v.* 16, 18. *cap.* 6. *v.* 29, 35, 40. *cap.* 11, 25, 26. *cap.* 12, 46. 1. *Pet.* 1, 1. *Iohan.* 5, 13. &c. Utcunqve igitur etiam aliis virtutibus Effectus justificationis unus alterve tribuitur, qvando describuntur justificati; tamen nulli præter Fidem omnes & singuli Effectus justificationis vendicantur, ut infallibilis sit hæc Demonstratio: Cui inter omnes virtutes soli, omnes justificationis Effectus adscribuntur, illa sola justificat. Atqvi Soli Fidei omnes justificationis effecta tribuuntur, qvi conjunctim ita nulli alii vendicati leguntur. E.

V. Ulterius thesin nostram confirmant *Dicta qvæ de Bonis operibus nos erudiunt*, ut justificationis Effectis. *Ezech.* 36, 25. *seqq. Luc.* 7, 42. 43. *Rom.* 6. *v.* 22. *cap.* 8, 10. 11. *Galat.* 5, 24. *Coloss.* 1, 22. 1. *Ioh.* 5, 1. 2. 3. &c. Nullus justificationis effectus accenseri potest justificationis causis. Atqvi Bona opera sunt justificationis effectus, qvi seqvuntur justificatum & sola Fides præcedit justificandum E. Bona opera non justificant, sed sola Fides.

VI. Tandem & adhuc adducimus *Exempla justificatorum* qvorum justifica-

stificatio dum describitur, sola fides ex parte illorum deposcitur, vel indicatur. Sic legitur de Abele, qvod Deus respexerit ad Abel ceu personam credentem, qvæ per fidem obtulit majorem Hostiam, atqve Cain *Genes.* 4, 4. *Hebr.* 11. 4. Noa justitiæ qvæ per fidem est, hæres institutus *Hebr.* 11, 7. Abraham credidit Deo, & imputatum est illi ad justitiam *Genes.* 15, 6. *Rom.* 4, 3. 4. Paralytico credenti remittuntur peccata *Matth.* 9, 2. ut & peccatrici *Luc.* 7. 50. Eunucho credenti datur Baptismus ut lavacrum regenerationis & renovationis, *Actor.* 8, 37. Custodi carceris Philippensi credenti in Dominum Ihesum promittitur vita æterna *Actor.* 16, 31. Hæc Exempla sic concludunt, *Cui soli in Descriptione modi, qvo Homines vere coram Deo sunt justificati justificatio assignatur; Illud solum justificat. Atqve Fidei soli &c.* E. *Majorem* non tangunt Instantiæ, qvibus afferuntur dicta de spe, dilectione & aliis virtutibus, qvibus itidem promittitur multiplex compensatio. Nam non qværitur, de Virtutum præmiis, sed de virtutum effectu in justificatione; Afferenda ergo erunt testimonia qvæ modum justificationis describunt, & docent, homines esse justificatos sola spe dilectione &c. Vide *Chemnit. in Exam. pag.* 165. *D. Hunn. tom.* 1. *op. col.* 590. 591. *Schroder. in Enchirid. Theol. p.* 891. *Hutter. in Loc. Theol. pag.* 453. *D. Battum lib.* 2. *de justif. cap.* 27, 29. *seqq. D. Mentz. Disp.* 51. *Anti-Pistor. thes.* 262. *D. Gerh. tom.* 3. *L.* 19. §. 150. *seqq.*

## ANTITHESES.

I. *Jesuwitæ* simpliciter negant, hominem justificari coram Deo, sola fide, & *Concil. Trident. sess.* 6. *can.* 14. anathema dicit illis, qvi docent, *sola fide absolutionem & justificationem perfici.* Hoc dogma tuetur *Gothardus lib. contra D. Heerbrand. p.* 93. 94. 199. 110. *Bellarm. l.* 1. *de Justif. c.* 13. 14. *jqq. Becanus Tomo* 1. *Opusc. Theol. Opus.* 4. *c.* 5. *Coster. in Enchir. p.* 300. *seqq.*

II. *Ex Photinianis Smaltz. contra Frantz. pag.* 105. ita scribit: *Studium Bonorum operum & ambulatio coram Deo, causa fuerunt, licet non primaria, justificationis, tam Noæ, qvam Abrahami & omnium aliorum, qvi fide justificati dicuntur.*

III. *De Swenckfeldianorum* opinione vide *Schlusselb. lib.* 10. *Catal. p.* 231.

## HYPOTHESES.

Demergitur horum Intellectus in hæresin Intempestivo Bonorum operum Amore, qvem ut foveant, & thesin Orthodoxam negligunt & S. Scripturæ testimoniis sensum adulterinum affingunt: Nam I. particulam *Solam* opponunt *causæ justificationis meritoriæ*, vel Sacramentis &c. de qvibus, qvod non excludantur cum docetur de Fide, qvod so-

la justificet, supra diximus. Uti ergo puerilis est ἀσυλλογισία, si qvis infert: Solus ventriculus concoqvit Cibum, sc. ut Instrumentum Animæ E. non concoctionem perficit Anima vegetativa: ita similis ἀσυλλογισία concurrit in hâc illatione: Sola Fides ut instrumentum λητικὸν justificat E. non Dei gratia, Christi meritum, Baptismus &c. Genera causarum non excluduntur omnia, cum effectus ad unum causæ genus restringitur.

II. Confundunt *Justificationis Actum* cum *Justificatorum operationibus*. *Has* dum in S. literis vel præceptas, vel descriptas, vel commendatas legunt, inferunt, qvod illæ una cum Fide Christum apprehendente ad ipsum Justificationis actum pertineant; haud minus absurdi ac si statuerent, omnes manducationis effectus, qvales sunt, concoctio, digestio, chylificatio &c. ingredi ipsum manducationis actum, qvi solo ore perficitur.

III. *Causis removentibus obstacula*, qvæ fidei justificanti adversantur, ipsam vendicant Justificationem. Deposcit qvidem S. Scriptura ante Justificationem, peccatorum agnitionem, contritionem, timorem DEI, fidem generalem sive assensum, &c. Verum his qvod *dispositive* homo peccator justificetur coram Deo, vel *de congruo* justificantem gratiam mereatur, nulla indicat Canonica Scriptura. Qvia vero fidem justificantem repellit, peccati Ignorantia, studium peccandi, amor peccati, securitas, divinæ Veritatis negatio & Dei odium, prædicta reqviruntur, ut fidei obstacula removeantur. Remotis autem his obstaculis nondum inchoata est justificatio, qvia alias ex sola lege posset homo justificari: ex qvæ præparationes proveniunt supra nominatæ, qvod Apostolus aliqvoties fuit inficiatus. In Juda etiam & aliis hujusmodi præparationes maxima ex parte adfuerunt, qvi tamen nec dispositive nec perfectè unqvam sunt justificati.

IV. Dicta de Agnitione & Confessione Peccatorum non recte dijudicant: Qvædam ex his describunt qvotidianam pœnitentiam Renatorum & credentium, ut *Ps.* 32, 5. 6. 1. Joh. 1, 9. 10. & fidem Justificantem in subjecto, de qvo loqvuntur, includunt. Qvædam continent præcepta de integra pœnitentia ut *Proverb.* 28, 13. *Jerem.* 3, 12. 13. & non ostendunt causam, ob qvam homo justificatur, sed describunt qvalitatem subjecti, qvod justificatur, qvo rursus Fides justificans subintelligitur. Soli ergo Confessioni & Agnitioni peccatorum, cum exclusione aliorum Legalium operum nullibi promissa est justificatio coram Deo.

V. Dicta de *Timore Dei* non dextre discernunt: Qvædam dicta exhi-

exhibent timorem Dei, ut fructum fidei justificantis in Dei Filiis: Sic *Sirach. cap.* 1, 16. asserit; qvod Timor Dei, de qvo sermonem habet, cum fidelibus in vulva sit concreatus & cum justis atqve fidelibus agnoscatur, Paulus *Philip.* 2, 12. justificatos monet, ut cum timore & tremore operentur salutem, h. e. sine securitate salutem suam qværant. Dicitur hic Timor omnis Sapientiæ initium *Ps.* 111, 10. *Prov.* 1, 7. *cap.* 9, 10. dicitur etiam fons vitæ, qvi declinat â morte *Prov.* 14, 27. Hæc & similia Elogia non congruunt Timori servili, qvalis est in Non-Renatis; sed Timori filiali, qvalis est in Renatis & justificatis, de qvibus tamen nunqvam affirmat S. Scriptura, qvod Timore Dei coram Dei judicio justificati sint, qvomodo autem justificati timore Domini operentur, & declinent viam mortis æternæ, sæpius docet S. Scriptura & nostra Ecclesia. Interdum scriptura de illo Timore Dei loqvitur, qvi opponitur contemptui, & vel Dei Beneficiis, vel minis vel pœnis excitatur, qvando Homines veliram Dei metuunt, verbumqve prædicatum non respuunt *Exod.* 9, *v.* 20. *Ps.* 90, 11. *Jerem.* 5, 22. vel beneficiis invitantur ad veram pœnitentiam *Jerem.* 5, 24. Hic Timor qvod â peccatis ad pietatis studium, ab Impœnitentia ad pœnitentiam nos provehat, libenter largimur, qvod autem peccatorem coram Deo justificet, hactenus non legimus in Bibliis.

VI. *Dicta de Spe* non tam declarant, qvam intricant: In sacris literis spes & fides sæpè sunt Synonyma. 2. *Reg.* 18, 5. Confer *v.* 22, 30. 2. *Paral.* 15, 8. *Ps.* 7, 4. *Ps.* 9, 11. &c. In his nulla est oppositio inter *spem & Fidem*, unde etiam spes de impetranda Venia nihil aliud est, qvam Fides inchoata. Spes deinde dicitur Expectatio rerum futurarum, qva salvi sumus, qvatenus salutem nondum possidemus, sed expectamus *Rom.* 8, 24. 25. & ex fide spem justitiæ expectamus *Galat.* 5, 5. Hæc spes non confundit, qvando charitas Dei diffusa est in cordibus nostris *Rom.* 5, 5. abundat in credentibus per virtutem Spiritus S. *Rom.* 15, 13. est Spes reposita in cœlis *Coloss.* 1, 5. qvam expectamus *Tit.* 2, 13. est galea salutis in iis, qvi induti sunt lorica fidei & charitatis. 1. *Thessal.* 5, 8. est firma Anchora Animæ in Dei hæredibus *Hebr.* 6, 18. 19. Justificati igitur qvi sunt, hâc spe fruuntur, qva non adipiscuntur justitiam, valentem coram Deo, sed in adepta per fidem in Christum, præstolantur possessionem ejus salutis, qvam fides apprehendit in promissionibus. Porro spes sæpè vocatur ipse Deus *Ps.* 14, 6. *Ps.* 65, 6. *Ps.* 142, 6. & Christus 1. *Timoth.* 1, 1. qvia & Deus & Christus est Spei nostræ fundamentum, atqve principium, in qvod ultimate nostra spes resolvitur. Denique, sperantibus a-

liqvando promittitur liberatio ex pœnis temporalibus ut *Pſ. 37. v. ult. Pſ. 91, 14. Prov. 28, 25. cap. 29, 25.* ſed etiam hæ promiſſiones reſpiciunt homines jam juſtificatos & Deo reconciliatos. Manet igitur immotum hoc Axioma: Spes in ipſo Juſtificationis actu non una cum fide operatur, ut dici poſſit; Homo peccator coram Deo Juſtificatur Spe & Fide.

VII. *Dicta de Dilectione Dei & proximi* ad ſuam præconceptam opinionem trahunt concludentes, 1. *Charitatem una cum fide juſtificare*, qvia ex dilectione cognoſcuntur Chriſti Diſcipuli *Joh. 13, 35.* qvia ſcimus ex charitate Dei, qvod ſimus in ipſo *1. Joh. 2, 5.* qvod ſimus juſti, translati de morte in vitam, & ſimus ex veritate *1. Joh 3, 10. 14. 18. 19.* At ſimili illatione poſſit qvis probare, manducationem ſanitatis, ambulationem vitæ, fructum arboris fertilis eſſe cauſam, qvia hæc agnoſcuntur & â poſteriori demonſtrantur ex illis. 2. *Mulierem peccatricem* eſſe juſtificatam ex Dilectione juxta verba Chriſti *Luc. 7, 47.* qvibus Salvator itidem ex effectu probat cauſam, uti evidenter probat præmiſſa parabola *v. 41. ſeqq.* uti enim Debitor plus dilexit fœneratorem, cui 500. erant donati denarii; ita infert Chriſtus, hæc peccatrix plus dilexit me præ aliis, qvia remiſſa ei peccata multa, & cui minus remittitur, ille minus diligit. Particula ὅτι non juvat cauſam Adverſariorum, niſi univerſaliter probent verum hoc Axioma: *Particula ὅτι ſemper* eſt ἀποδοτικὴ *& oſtendit cauſam*: Inſtantias varias, qvibus infringitur univerſalitas hujus Axiomatis, ſuggerunt multa exempla *Joh. 12, 39. Rom. 11, 32.* &c. 3. *Dilectionem eſſe præſtantiorem & excellentiorem* Virtutem ipſa Fide, adeoqve non minus peccatorem juſtificari coram Deo dilectione quam Fide. *Reſpond.* Fidem non ut præſtantiorem virtutem, ſed ratione *objecti*, qvod applicat juſtificare. Hoc objectum cum non ita applicat Dilectio, ut Fides, non æqve ut Fides juſtificat. Sit idcirco Dilectio fide major, ſi conferantur in *latitudine, duratione* &c. qvæſtio tamen non eſt; An maxima & præſtantiſſima Virtus juſtificet; ſed: an aliæ virtutes in Juſtificatione hominis peccatoris ſic agant, ut agit fides? utramqve qvæſtionem nos diſerte negamus. 4. *Charitatem operire & tegere peccata* coram Deo, ejusqve judicio; qvod Scriptura non affirmat: Coram hominibus autem qvod dilectio proximi tegat peccata, qvando ea condonat, ſuffert, reticet, non exprobrat &c. Salomo *Prov. 10, 12.* & Petrus *1. Petr. 4, 8.* profeſſi ſunt. 5. *Charitatem eſſe vinculum perfectionis*, in Actu Juſtificationis, id qvod Apoſtolus *Coloſſ. 3, 14.* non tradit; Loqvitur enim de vinculo perfectionis in ſocietate Eccleſiaſtica & politica, qva homines, non tam cum Deo, qvam cum ſeipſis copu-

lan-

tantur. 6. *Dilectionem, qvæ legis est Impletio, posse jam existere in Renovata Voluntate Hominis*, qvod seq. *Controv.* monstrabit confictum & ἀνύπαρκτον.

VIII. Ex *Fidei & Aliarum Virtutum Unione*, qva sibi mutuo adsunt, inferunt, qvod aliæ virtutes una cum Fide justificent. Sicuti autem e lumbis est hæc conseq. Auris non audit & Oculus non videt, absente corde, Epate, Stomacho; E. Cor, Epar & Stomachus æqve vident ut oculi, audiunt, ut aures: ita inepta prorsus est argumentatio: Fides justificans non potest separari ab aliis Virtutibus. E. hæ una id agunt qvod agit fides, vel qvod his præsentibus sola operatur Fides, sola etiam potest operari his absentibus. Perpetuus hic est παραλογισμος παρὰ το επόμενον, qvem bene multæ explodunt *Instantiæ*. Cum multa sint, qvæ non simul agant, licet simul existant. Nunqvam sine capite homo vel scribit vel ambulat, & tamen coexistente capite reliqvis membris, ipsum caput nec scribit nec ambulat; qvia Anima scriptionem per manus, ambulationem per pedes exeqvitur: Interim manus scribentes & pedes ambulantes non possunt existere absqve Capite: Ita etiam fides Justificans non potest existere absqve bonis motibus & aliis virtutibus, qvæ tamen una cum fide ad ipsam Christi applicationem, adeoqve Justificationem non concurrunt. Hinc dicta, qvæ in Justificatis tres coexistentes monstrant virtutes, 1. *Cor.* 13, 13. *Coloss.* 1, 4. 1. *Thessal.* 1, 3. *cap.* 5, 8. *Tit.* 2, 2. nobis non obstant, qvia 1. agunt de justificatis, non explicant modum Justificationis. 2. probant Fidei & aliarum virtutum συνύπαρξιν non autem συνεργείαν, & cooperationem in Justificatione.

IX. *Negligunt fundamentum in promissionibus*, qvibus pœnitentiæ ejusqve fructibus ut & novæ obedientiæ promittuntur eximia præmia. Harum promissionum fundamentum non monstrat Spiritus S. in operum bonorum perfectione & dignitate, qvæ nulla est in hâc vita; sed in personis Deo per fidem in Christum reconciliatis. Hæc semper præsupponitur in Dictis *Esa.* 1, 17. *Ezech.* 18, 21. *Jerem.* 18, 7. *cap.* 5, 1. *Joel.* 2. *v.* 12. *Jon.* 3, 10. 2. *Paral.* 7, 14. *Matth.* 3, 7. *Luc.* 13, 6. &c. In his non solum attendenda sunt opera, sed etiam Personæ, qvorum recensentur opera; Nam harum Justificationem semper præreqvirit Spiritus S. in operibus qvæ placent Deo 1. *Petr.* 2, 5. & qvia vera Justificatio ex operibus innotescit hominibus, illa sæpius deposcuntur, qvando ad veram pœnitentiam Homines invitantur. Hinc B. Lutherus distinxit inter Justificationem operum & Personæ, novæ obedientiæ & Fidei, qvia hâc Justificatione prævia, seqvitur demum illa & nititur priori ut fundamento.

X. *Commiscent* 1. *justitiam legalem*, qvâ de sermo est *Levit.* 18, 5. *Deut.* 9, 25. *cap.* 6, 25. *cap.* 24, 13. *c.* 28, 1. *cap.* 30, 19. *Ezech.* 20, 11. *Matth.* 19, 17. *Luc.* 10, 28. *Rom.* 2, 13. *Gal.* 3, 13. *Rom.* 13, 8. *&c.* (qvæ dicta omnia præsupponunt legem, non infirmatam per carnem) & justitiam Evangelicam, de qvâ nos qværimus. 2. Justitiam personæ cum Justitiâ causæ de qvâ *Ps.* 107, 31. *Gen.* 22, 16. *Ps.* 7, 9. *Ps.* 18, 25. *Daniel.* 6, 22. *Esa.* 38, 3. &c. Unius autem facti rectitudo â Deo compentata, non evincit, personam ipsam esse justificatam coràm Deo ex hoc facto: qvia hoc factum â personâ proficisci non potuisset, nisi adstitisset gratiosa Spiritus S. Assistentia, qvalis non est nisi in justificatis & Renatis.

XI. *Particulas Exclusivas* in hâc Controversiâ *oderunt*. qvas nos retinendas censemus 1. ob S. Scripturæ hypotyposin, nobis præscriptam. 2. ob designandam & Justificationis Causam meritoriam, â qvâ excludenda opera, & causam Instrumentalem ex parte nostri, qvæ SOLA FIDES, & causam formalem, qvam non ingreditur justitia Legis sive habitualis. 3. ob Adversariorum manifestationem, qvâ possunt protrahi ex latibulis. De dictis *Galat.* 5. & *Jacob.* 2. vide suprâ in præced. Cap. Confer *D. Chemnit. in Exam. p.* 164. *&* 211. *parte* 2. *Loc. p.* 94. *Battum de justif. cap.* 36. *seqq. Hutter. in Form. Concord. de Justificat. Hunn. tom.* 1. *op. col.* 606. *seqq. Gerhard. tom.* 3. *L.* 19. §. 165. *seqq.*

## Qv. VII. *Num Fides justificat ut Virtus, Habitus, Dispositio meritum vel opus Bonum?*

## THESES.

Fidem justificare coram Deo, non ut *qvalitatem, Dispositionem & meritum*, sed ut *Correlatum* promissionis Evangelicæ, in qvâ offertur Christus cum suo meritô, 4 docent Argumenta, qvæ perspicuis testimoniis S. Scripturæ innituntur. *Primum* hoc est: Qvatenus Fides justificat Hominem peccatorem, eatenus Legis operibus est opposita. Repete Dicta ex qv. præced. Atqvi Fides qvatenus est qvalitas, dispositio & habitus non est operibus Legis opposita; sed Virtus in Lege præcepta. E. *Minorem* confirmat forma Bonorum habituum & omnium virtutum, qvæ est ἐυνομία ut forma Peccati & vitiorum est ἀνομία. Distinctio inter Legem veterem & novam alibi est confutata. *Alterum* argumentum est tale: Qvicqvid est meritum, illud ab actu justificationis excludit gratia Dei justificans Rom. 11, 6. Atqve fidem justificantem non excludit gratia DEI justificans. *Rom.* 3. *v.* 24, 25. E. *Tertium* argumentum sic cohæret: Qvicqvid justificat dispositivè, justificat quntaxat inchoative. Atqvi Fides

des non justificat duntaxat inchoativè, qvia non solum fide ad Deum accedimus *Hebr.* 11, 6. Sed etiam justificati fide, pacem cum DEo habemus *Rom.* 5, 1. fide stamus *v.* 2. *&* per fidem virtute DEI ad salutem custodimur. 1. *Pet.* 1, 5. E: *Qvartum* denique Argumentum formâ seqventi potest proponi: Qvicqvid est justificans ob speciale objectum, qvod respicit, illud justificat ut correlatum. At Fides est justificans ob Speciale Objectum, qvod respicit: Ut probavimus præced. cap.

## ANTITHESES.

*Scholastici* his argumentis rejectis Ethicam suam seqvuti sunt, & docuerunt, habitum justitiæ non acqviri, nisi præviis Dispositionibus; qvibus annumerârunt fidem. Vide *Joh. Capreol. in 2. sent. distinct* 40 *qv. unica.* Hinc *Bellarm.* fidem vocat *primam Dispositionem*, qvæ justificat ut initium & radix prima justificationis *lib* 1. *de justif. c.* 12. Neqve solum dispositiones prærequirunt *Scholastici*, anteqvàm Homo coram DEO justificetur, sed etiàm de his dispositionibus gloriantur, qvod *de Congruo* mereantur remissionem peccatorum. *Lomb. l.* 2. *Sent. d.* 27. *lit. F.* Confer *Thomam*, *Albertum*, *Bonaventuram*, *Scotum*, *Durandum*, *Gabrielem*, & alios *in l.* 2. *sent. dist.* 28. Placet hoc *Bellarm.* qvi *lib.* 1. *de justif. cap.* 17. scribit *Fidem non justificare relativè & apprehendendo, sed meritoriè, impetrando, inchoando.* Post hæc *cap.* 11. addit: *Bonæ opera concurrere ad justificationem, ut Dispositiones vel ut merita de Congruo.*

## HYPOTHESES.

In hujusmodi speculationes Ratio humana conjecta I. per Hypotheses philosophicas, de *Justitiâ habituali*, & *fide*, qvæ tantum est *assensus.* Scripturam qvi de justificatione & fide justificante consulit, ab istis speculationibus facilè liberatur.

II. Origo virtutum, qvæ prosiliunt ex fide: Errat autem qvi arbitratur: Fidem sic esse initium justificationis, ut est fons charitatis spei & aliarum virtutum: illud S. Scriptura non tradit; hoc vero passim docet.

III. Fides in ægroto, credenti se ægrotum posse sanari â Medico: Hæc fides maximè distat â fide in Christum, qvia nec causa nec pars est sanitatis, & merus est assensus, non autem insimul Fiducia. Taceo, qvod Sanitas corporis recipiat magis & minus, non autem justificatio.

IV. Erronea opinio de voce *fieri* in dicto *Johann.* 1, 12, qvam sibi imaginatur *Bellarm.* ut notam, docentem, qvod credentes nondum sint Filii Dei, sed fiant demum tales, qvandò in eum sperant, eumqve diligunt. Aft vox *fieri* non respicit tempus Fidei, sed tempus primæ Nativitatis,

tatis, ex qvâ non *Filii gratiæ*, sed *Filii iræ* sumus. Si enim addantur dicta parallela *Galat.* 3, 26. 1. *Johan.* 5, 1. apparet, qvod vox γινέσθαι idem hîc sit, qvod vox *Esse*: & vox ἐξουσία notat *jus* & *privilegium*, qvod acqviritur per *regenerationem*, cum non detur per *nativitatem carnalem.*

V. Apprehensio intellectualis, qvæ nihil aliud est, qvam Notitia: Fides autem justificans dicitur apprehensio fiducialis, qvæ est in Voluntate. Vide *Meisner. Parte* 3. *Phil. Sobr. Sect.* 1. *cap.* 8. *q.* 9.

VI. Apprehensio Dilectionis, qvæ non est talis, qvalis est apprehensio Fidei justificantis. Hâc enim Christum recipimus, induimus, atqve ejus justitiam nobis applicamus *Galat.* 2, 20. *cap.* 3, 27. Illâ nos ipsos nostraqve omnia Christo tradimus, verbum ejus servando, vitam sequendo & crucem portando; Hâc Christi beneficia ad nos trahimus: illâ nostrâ opera ipsi consecramus. Hâc supplemus nostrum defectum: illâ effundimus nostrum affectum. Hâc solum Christum ejusqve meritum respicimus, illâ & Patrem & Spiritum S. Hæc præcedit; Illa sequitur. Confer *Mentzer. Disputat.* 5. *Anti-Pistor. thesi* 282.

VII. Confusio Instrumenti λητικῆ, cum Instrumentis δοτικοῖς: qvæ sunt verbum & Sacramenta: Utraqve qvidem dantur â Deo, & fides, & Verbum cum Sacramentis; sed diverso fine: *Illâ* qvidem ut apprehendamus Christi beneficia; *hæc* vero ut eadem nobis offerant, exhibeant atqve obsignent. *Illa* est qvasi manus nobis concessa, ac accipiendum; *Hæc* sunt qvasi manus ad nos expansæ: Non itaq; eo modo applicant Sacramenta Christi justitiam, qvo applicat Fides; nec nos ipsos ideò justificamus, qvia fide Christi justitiam apprehendimus, cum manus pauperis apprehendens Eleëmosynam Divitis, sibi non id donat qvod ab alio donatum accipit.

VIII. Illegitima oppositio Fidei & operum, qvam *Bellarm.* sic interpretatur, ac si fidei illa Justificatio assignetur, qvæ operibus denegatur, & qvia hæc ut merita non justificant, putant, illam justificare ut meritum, vel dispositionem. Verum Apostolus non opponit operibus Fidem, qvatenus in se considerantur, sed qvatenus est Fides Jesu Christi, hoc est, respicit proprium suum objectum; & sic argumenta *Bellarmini* nos non lædunt: Si enim velit sic argumentari: Illam Justificationem Paulus tribuit Fidei, qvam denegat operibus. Atqvi Justificationem, qva apprehenditur aliena justitia, denegat operibus. E. Minor falsa est: qvia opera non possunt apprehendere alienam Justitiam. Si vero sic insurgat: Qvæcunqve justificatio denegatur operibus, illa tribuitur Fidei: Atqve

justi-

Justificatio meritoria denegatur operibus. E. *Major* limitanda est hoc modo: Qv. Justificatio denegatur operibus, illa tribuitur Fidei, apprehendenti suum objectum. Sic conclusio non est contra nos, qvia non negamus, qvod fides in suo objecto sc. Christo meritoriam Justitiam apprehendat; licet in se fides non Justificet meritorie. Insuper *Minor* est nugatoria & falsa, qvia justificatio meritoria & justificatio ex operibus sunt Apostolo συνώνυμα: Nec justificationem meritoriam denegat operibus: Negaret enim Justificationem ex operibus esse ex operibus: sed justificationem simpliciter sic dicta negat esse ex operibus h. e. meritoriam. Sic ergo corrigenda argumentatio: Qvemcunqve actum denegat Apostolus operum meritis, illum tribuit fidei. Atqvi actum Justificationis denegat Apostolus operum meritis. E.

IX. Ignoratio ἐνεργείας qva Fides est Causa Instrumentalis: Hæc non est ea, de qva *cap.* 11 *ad Hebr.* sermo est, qvia hoc loco disserit Apostolus de variis fidei exercitiis, qvibus in Justificatis ut causa efficiens varia opera producit. Qvatenus autem fides recumbit in Christi meritum, eatenus est causa instrumentalis.

X. Depravatio phraseos, qva *Fides dicitur imputari ad Justitiam*: In hâc qvod notetur per *Fidem qvalitas, dispositio* vel *meritum*, vox *imputari* non permittit, qvæ ostendit objectum nobis non inhærens, qvale est objectum â fide justificante apprehensum: Gemmæ valor annulum commendat, qvem gestat homo; Sic perfectissima Christi Justitia Fidei in judicio Dei conciliat æstimationem, ut possit imputari ad Justitiam.

XI. Fallacia Consequentis, qva ex fidei impetratione concluditur modus impetrandi, qvi fit per meritum, dispositionem, &c. Hic modus non exprimitur 1. *Luc.* 7, 50. qvia uti manus apprehendendo Eleemosynam facit salvum â fame; ita fides apprehendens Christum facit salvam peccatricem â peccatis. Qvemadmodum Os ægroti hauriens pharmacum, facit sanum; ita os fidei hauriens Christi meritum facit justum hominem. 2. *Matth.* 15, 28. *Marci* 7, 29. qvibus in locis agitur de Fide impetrante Christi auxilium miraculosum, qvod mereri sane nemo valuit. 3. *Rom.* 4. *v.* 20. ubi Abraham describitur ut dans gloriam DEO, qvando confortatus est fide, adhærens repromissioni DEi; qvod autem per merita & dispositiones gloriam DEO dederit, Scriptura non asserit. 4. *Rom.* 10, 13. ubi Fides dicitur *impetrare salutem* per Invocationem, non, qvia meretur vel disponit, sed qvia promissioni divinæ inhæret.

XII. Suppositiua causa ob qvam Fides dicitur opus *Johan.* 6 *v.* 29.

Non ſane Salvator fidem commendat ut meritum, vel diſpoſitionem in Homine; qvia ipſi πνεύματα ſunt, operari cibum ab alio datum *Joh.* 6, 27. opus Dei & credere in ipſum *v.* 29. Qvæ voces inter ſe collatæ, evincunt; Chriſtum loqvi de Fide, tanqvam de Actu Animæ rationalis qvo verſatur circa objectum πρᾶγμα, qvi actus qvod relationem involvat, qvilibet videt. Sit autem Fides opus, apprehenſio & actus, modo ipſi juſtificatio tribuatur in relatione ad ſuum objectum, circa qvod verſatur: Non enim concedunt Apoſtolicæ oppoſitiones inter fidem & opera *Rom.* 3, 28. credere & operari *Rom.* 4, 5. gratiam & opera *Rom.* 11, 6. Fidem juſtificare, ut eſt opus, vel bonus motus hominis. Confer *Meiſner. Parte* 3. *Philoſ. Sobr. Sect.* 1. *cap.* 8. *q.* 6.

## Qv. VIII. *Annon docendi & monendi Homines, ut dubitent, ſe eſſe juſtificatos?*

## THESES.

I. IN vere juſtificatis ſupereſſe luctam, qvâ fides conflictatur cum dubitatione, ad qvam proh dolor! nimium prona mens humana poſt lapſum, ſæpius inculcandum, ne ſecuritati & carnali confidentiæ homines aſſuefiant: Qvod autem debeant juſtificati dubitare de Remiſſione peccatorum, qvando Chriſti juſtitiam ſibi applicarunt, neqvaqvam docent S. literæ, ſed potius monent fideles, ut dubitationi reſiſtant, & in fidei πληροφορίᾳ, qva credunt, ſibi eſſe peccata remiſſa, proficiant.

II. Obvia hæc Doctrina (1) in *Admonitionibus*, qvibus monentur juſtificati, ut exultent & glorientur in Domino *Pſ.* 32, 11. *cap.* 33, 1. vadant in pace *Luc.* 7, 50. habeant pacem in Chriſto. *Joh.* 16, 33. cognoſcant ſemetipſos, qvia Chriſtus Jeſus eſt in ipſis. 2. *Cor.* 13, 5. ſint radicati, ſuperædificati in Chriſto & confirmati in fide *Coloſſ.* 2, 7. pax Chriſti exultet in cordibus ipſorum *Coloſſ.* 3, 15. fiduciam & gloriam ſpei usqve ad finem retineant firmam *Hebr.* 3, 6. perfecte ſperent in eam gratiam, qvæ offertur in revelatione Jeſu Chriſti 1. *Petr.* 1, 13. ſatagant certam facere vocationem & Electionem ſuam 2. *Petr.* 1. 10. & ſciant, qvoniam vitam habent æternam, qvi credunt in nomen Filii Dei 1. *Joh.* 5, 13. In his dubitatio de Remiſſione peccatorum toties prohibetur, qvoties ea præcipiuntur, qvæ certitudinem de Remiſſione peccatorum præſupponunt qva ſine nulla ſpiritualis lætitia, nulla pax Conſcientiæ &c. (2) in *Deſcriptionibus Juſtificatorum*, qvibus deſcribuntur ut pacem habentes cum Deo. *Rom.* 5, 1. ſtantes in Fide. *v.* 2. habentes παῤῥησίαν & πεποίθησιν *Epheſ.* 3. *v.* 12. certi, qvod non poſſint accuſari, condemnari, ſuperari & ulla ratione

one divelli â charitate Dei, qvæ est in Christo Jesu *Rom.* 8, 33. *seqq.* non hæsitantes in diffidentia, sed confortati in Fide *Rom.* 4, 20. non timentes ulla adversa *Ps.* 23, 4. *Ps.* 27, 1. *seqq.* scientes, qvod sibi sint remissa peccata *Ps.* 32. *v.* 2. sint translati de morte in Vitam 1. *Joh.* 3, 14. qvod maneant in Deo *cap.* 4, 13. & qvod ex Deo sint *cap.* 5, 19. Argumentum ex his nectitur tale: Omnis Doctrina & Admonitio in Ecclesia toleranda, ædificat indolem vere Justificatorum. At Dogma de Dubitatione non ædificat indolem vere Justificatorum, qvia jubet, ut homines pacem sibi non promittant, fiduciam certam non habeant &c. E. Non labefactant hoc Argumentum. 1. Figmenta, de speciali revelatione, qvæ in citatis Dictis demonstrari neqvit. 2. Dicta, qvibus verbum πίπισμαι aliqvando Certitudinem conjecturalem significat, qvalis admitti potest, si qvæstio sit de proximo nostro: An iste sit Justificatus? De propria autem justificatione qvando hæc vox legitur, infallibilis fidei certitudo innuitur, ut *Ephes.* 3. *v.* 12. *Luc.* 18. *v.* 9. 2. *Tim.* 1, 12. & in aliis Dictis *Rom.* 14, 14. 2. *Cor.* 10, 2. *Philip.* 2, 25. Confer D. *Meisn. parte* 2. *Phil. Sob. Sect.* 1. *cap.* 2. *q.* 17.

III. (3) In *Promissionibus Evangelicis*, qvæ datæ, ut firmæ sint credenti *Rom.* 4, 16. & sunt in se infallibiles, adeoqve dignæ, ut firmâ fide illis adhæreamus 1. *Timoth.* 1, 15. 2. *Timoth.* 2, 13. Qvia igitur Dubitatio pugnat cum scopo & fine, ad qvem tendunt promissiones Evangelicæ, exploditur omni jure in Cœtibus piorum. (4) in *Mandatis divinis*, qvibus præcipitur, ut oremus sine dubitatione *Matth.* 21, 22. *Marci* 11, 24. 1. *Timoth.* 2, 8. *Jacobi* 1, 6. Qvicqvid ergo petendum â Deo, sine dubitatione petendum. Atqvi Remissio peccatorum â DEO petenda, uti docet Oratio Dominica. E. (5) in *Dubitationis Deformitate*, qvæ sic docet argumentari: Qvicqvid in primo Decalogi præcepto prohibetur, oritur ex corruptâ Naturâ, Deum facit mendacem, Christo displicet & mater est Desperationis, illud nulli pio commendandum. Atqvi Dubitatio in primo Decalogi præcepto prohibetur *Deut.* 10, 20. *oritur* ex corruptâ Naturâ *Luc.* 24, 25. Deum facit mendacem 1. *Johan.* 5, 10. Christo displicet *Marci.* 16, 14. *Matth.* 6, 31. & mater est Desperationis *Jacobi* 1, 6. E. *Minor* consistit, utcunqve in specie non designetur dubitatio de Remissione Peccatorum; Nam genus includit speciem, & licet varia sint Dubitationis objecta; hæc tamen non variant ipsam dubitationis intrinsecam naturam. Confer *D. Chemnit. in Exam. p.* 168. *parte.* 2. *Loc. p.* 273. *Hutter. in Loc. pag.* 459. *Hunn. tomo* 1. *oper. col.* 577. *Meisner. Decade* 3. *Anthropolog. S. Disputat.* 9. *qv.* 2.

## ANTITHESES.

*Pontificii* nulli parcunt labori, ut tuadeant, se non patrocinari ulli Dubitationi, qvam formidinem salutant, eamqve certitudini fidei Catholicæ & præsumptioni opponunt *Bellarm. lib. 3. de justificat. cap. 11.* Verum enim verò, qvæcunqve Verborum involucra adhibeant, pudendum dogma contegere neqveunt, qvo tradunt non esse asserendum, oportere eos, qvi verè justificati sunt, absqve ullâ dubitatione apud semetipsos statuere, se esse Justificatos. *Concil. Trid. sess. 6. cap. 9.* Tutum & humillimum esse, de Dei gratiâ & præsentiâ dubitare. *Petrus à Soto in Confess.* Christum noluisse, ut fidei certitudo citrâ omnem dubitationem nobis insit *Coster. in Enchir. pag. 209.* Deum voluisse, sicut extremi Judicii diem; ita Justificationem qvoqve nostram gratiæqve suæ consequtionem nobis non esse certissimam. *Hosius lib. 3. Cont. Brent. de Auth. S. Script. pag. 168.* Vide etiam *Georg. Gotthardum in lib. cont. D. Heerbrand.*

## HYPOTHESES.

Dubitationem prædicti Authores Humilitatem & Timorem salutant, fascinati speculationibus, qvibus Ratio concipit Dubitationem, ex I. *Eloqviis Sanctorum*, qvibus *justitiam inhærentem*, judicant *imperfectam*, & coram DEO non consistentem, qvi (1.) nemo potest dicere זכיתי לבי טהרתי מחטאתי *Proverb. 20, 9.* (2) nemo potest cum Deo in judicio contendere, qvando Deus juxtâ justitiam suam examinat peccata. *Joh. 9, 2.* (3) nemo coram Deo est innocens propriis in operibus v. 20. (4) Nemo in eo coram Deo sit justificatus, qvandô enormia peccata contra Conscientiam evitavit *1. Cor. 4, 4.* In hujusmodi eloqviis non sanè continetur ea dubitatio, qvâ dubitant homines de Remissione peccatorum, qvam consequimur fide in Christum Mediatorem: Idcircô ex illis Pontificii præter Ignorationes Elenchi pro suâ thesi nihil asseruntur. Qvod si suam Hypothesin de justitiâ Habituali & inhærente tueantur, omnibus modis annuimus, de hâc non duntaxât dubitandum, sed planè desperandum esse, qvia illa coram DEI Judicio non valet.

II. *Verbis Siracidis cap. 5, 5.* qvæ docent qvidèm non licitum esse, ut qvis peccet spe Veniæ, transferendo gratiam DEI in luxuriam qvod improbat Judas *v. 4.*: Verum qvod dubitare debeamus de peccato remisso, textus Originalis non docet, cum inqvit: περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ προσθεὶς ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις Adde etiam vers. 6. & ostendes pulchram ἐξήγησιν versus 5.

III. *Querelâ Davidis Ps. 19, 13.* ex qvâ seqveretur Dubitatio, si peccatorum

catorum Remissio penderet ab Exactâ enumeratione & exqvisitâ agnitione omnium & singulorum peccatorum.

IV. *Particulâ* אוּלַי & forsan, de qvâ notandum, qvod 1. non semper sit Nota dubitantis, sed sæpè asserentis, uti patet ex *Num.* 20, 18. *Joh.* 5, 46. *Rom.* 11, 21. *Proverb.* 24, 18. 2. in Dicto *Dan.* 4, 24. non legatur, sed particula אוּלַי qvæ apud Chaldæos tribuitur benè sperantibus & exoptantibus, *Dan.* 3. *v.* 15, 17, 18. *Job.* 13, 15. 3. aliqvandô respiciat relaxationem pœnarum temporalium, qvâ de dubitant aliqvando Ecclesiæ Doctores, qvandò vel adhuc ignorant pœnitentiam suorum Auditorum, vel etiam Dei Voluntatem de castigandis piis, non satis habent perspectam: Vide dicta *Joël* 2, 14. *Jon.* 3, 9. *Actor.* 8, 22. Confer D. *Meisn. Parte* 2 *Phil. Sob. Sect.* 1. *cap.* 4. *q.* 11. *Glass. lib.* 3. *Philol. S. tract.* 5. *Can.* 25.

V. *Admonitionibus*, qvibus monentur pii, ut timeant & metuant: In his nulla præcipitur dubitatio de Remissione peccatorum, & adeptâ justitiâ coram DEo; sed urgetur studium pietatis, qvo 1. revereri tenemur Deum, ne illum denuo peccatis offendamus. 2. debemus fugere carnem securitatem, vigilantes, ne Diabolus, mundus & Caro nos præcipites det in gravia scelera, qvibus fides justificans excutitur. *Philipp.* 2, 2. 1. *Pet.* 1, 17. 3. Cavenda superbia & præsumptio, ne vel Dei verbum repellamus, vel extra metas Vocationis nostræ ruamus. *Proverb.* 28, 14. 2. *Cor.* 10, 18. Hæc optimè conveniunt cum certitudine de nostrâ justificatione, qvia studium pietatis, qvo viget Timor DEI filialis, non invehit dubitationem de justificatione; sed repellit peccata, qvibus gratia DEI justificans amittitur.

VI. *Depradicatâ Humilitate* & *Modestiâ* in *Justificatis*: qvum Humilitas Christianorum & Dubitatio de Peccatorum Remissione toto distent cœlo: *Illâ* oritur ex motu Spiritus S. qvo adducitur Homo, ut suam agnoscat miseriam, atqve Dei revereatur majestatem & misericordiam: *Hæc* autem oritur ex depravatâ ratione Humanâ, qvæ Dei promissionibus non vult adhærere: *Illa* consistit cum Certitudine de peccatorum Remissione, qvandô agnoscimus nos indignos eâ gratiâ, qvâ sumus Justificati, uti hæres adoptatus, certus est de hæreditate accipiendâ, licet Divitis humili mente agnoscat beneficium, qvo est adoptatus: *Hæc* omnem certitudinem excludit, *Illa* Justitiam ex Lege non admittit, qvia parit gloriationem: *Hæc* justitiam ex lege ceu fundamentum respicit, qvia omnis qværens ex Lege Justitiam, non potest non semper esse dubius de Justificatione suâ. *Illa* non adversatur certitudini de Justitiâ Evangelicâ: *Hæc* huic Justitiæ ê Diametro adversatur.

VII. *Humanâ infirmitate & Trepidatione* multorum, qvi fuerunt Justificati: Hæc evincit, qvod certitudo de justificatione nostrâ non sit absqve luctâ inter Carnem & Spiritum: Hanc Luctam non ignoramus, nec negamus; qvod autem in hac luctâ homo renatus secundum interiorem Hominem debeat succumbere & menti ad dubitandum pronæ palmam porrigere, studiosè disluademus. Aliud ergô est: An homo dubitet & dubitare possit? Aliud: An dubitare debeat, & dubitationi ceu singulari virtuti adhæresçat? Hoc nos negamus; illud affirmamus.

VIII. *Qvotidiana petitione Sanctorum*, qva petunt Remissionem Peccatorum: Hæc non cogit, ut dubitare credamus eos, qvi petunt peccatorum remissionem; sed probat, post impetratam peccatorum Remissionem nos denuo peccare, & indigere nova Remissione ob adhærens peccatum originale, qvod nunqvam otiosum, sed subinde erumpit in motus legi divinæ contrarios. Vide *D. Chemnit. in Exam. pag.* 172. *in Loc. Theolog. parte* 2. *pag.* 278. *Battum l.* 2. *de justif. cap.* 12. *seqq. Hutter. in Loc. Theol. p.* 462. D. *Meisn. Dec.* 3. *Anthrop. S. disp.* 10. *Pezel. parte* 5. *obj. pag.* 75. *seqq. D. Heerbr. in Defens. contra Gothardum.*

Qv. IX. *Danturne certa κεφάλαια qvibus Certitudo fidei de Remissione peccatorum & impetrata justitia coram Deo innititur?*

## THESES.

I. REmovenda ab hac qvæstione 1. Certitudo de Electione & æternâ salute, de qva vide supra Controvers. 3. Nemo qvidem certus est de Electione & vita æterna, nisi sit certus de sua Justificatione; sed non statim certus est de Electione & Vita æterna, qvi certus est de sua Justificatione; qvia etiam multi non Electi ad tempus vere sunt justificati, & qvi Justificatus est, non nisi cum certa Hypothesi, certus est de sua salute, qvamdiu scilicet est & manet in statu vere Justificatorum. 2. Certitudo *Imaginaria*, qvalis est in Epicuræis, Impœnitentibus & Hæreticis, qvi suæ certitudinis nulla in Bibliis inveniunt fundamenta, & nullatenus monendi, ut de sua Justificatione sint certi, qvin potius ad ductum Spiritus S. incitandi, ut iram Dei, futurumqve Judicium metuentes ad veram sese componant Pœnitentiam. 3. Certitudo *Papistica*, qvæ nititur Pœnitentia papali, contritione meritoria, satisfactione expiatoria, Confessione plenaria, nec non justificatione ex operibus. Fundamenta hæc qvia in sacra Scriptura non extant, nulla certitudo ex illa speranda.

II. Si qvis autem eo modo egit pœnitentiam & Justificatus est, qvem Scriptura commendat, ille certitudinem de Remissione Peccatorum

rum haurire valet (1) ex *interno Spiritus S. Testimonio*, qvo συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν ὅτι ἐσμεν τέκνα θεοῦ. *Rom.* 8, 16. ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν 1. *Cor.* 2, 12. qvia Deus σφραγισάμενος ἡμᾶς dedit τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν 2. *Cor.* 1. *v.* 22. qvi est ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν *Ephes.* 1, 14. ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. *Ephes.* 4, 30. Hoc Testimonium est 1. *mediatum*, qvia mediante verbo Evangelii, qvod omnibus credentibus remissionem peccatorum promittit, Spiritus S. convincit Conscientiam, qvo possit firma fide statuere, ad se pertinere omnia Christi beneficia. 2. *certum & infallibile*, qvia est testimonium Dei 1. *Joh.* 5, 9. qvod qvi accipit, signavit, qvia Deus verax est, *Joh.* 3, 33. Expendatur Emphasis in voce σφραγὶς & ἀρραβὼν: Illa est eorum qvi confirmant promissa. Hæc Sponsi & Sponsæ, promittentium sibi Conjugialem amorem. 3. *opeseum*, qvia per filialem orationem, spem, patientiam & alios fructus Spiritus erumpit *Galat.* 5, 22. 4. *Distinctum* â præconcepta opinione, qvæ est in Hypocritis, hæreticis & aliis, qvi sibi imaginantur motus S. Spiritus; Nam Spiritus S. suum testimonium Evangelio adstringit & Christum glorificat *Joh.* 16, 14. Proinde motus moraliter boni, qvi non sunt motus fidei, credentis in Christum, ab interno Testimonio, qvo Spiritus S. tranqvillam facit Conscientiam de paterno Dei favore, accurate distinguendi: Et sicut illi studiosi non sibi imaginantur Eruditionem, qvi solida suæ scientiæ norunt fundamenta; utcunqve alii eandem Eruditionem sibi imaginentur, qvi nulla tenent fndamenta: Ita illi, qvi verbo Evangelii sese norunt confirmatos de sua peccatorum Remissione, non sibi imaginantur Certitudinem, utcunqve alii eam sibi promittant, qvi sic nec credunt, nec moveri se sentiunt, uti doctrina Evangelii exigit. (2) ex *Effectu Sacramentorum*, ad qvem Intentio Ministri & meritum decongruo nihil facit: Hic non impeditur, nisi ab illis, qvi peccatis regnantibus indulgent: Hic ergo relegatis, qvilibet, qvi Baptisatur accipit Interrogationem Bonæ Conscientiæ cum Deo 1. *Petr.* 3, 21. & qvi utitur Sacra synaxi, pignore certissimo obsignatur, pro se esse traditum Christi corpus & sanguinem Christi pro se esse effusum in Remissionem peccatorum. Causis ergo in actu positis & non impeditis, infallibiliter seqvitur Effectus. Jam Sacramenta ut fidei justificantis causæ in actu ponuntur & non impediuntur, qvando peccatis regnantibus renunciamus. E. (3) Ex *privata Absolutione*, cui ut innitamur, si cor nostrum de contritione

ne

ne & Fide est certum, evidentia promissionum jubet *Matth.* 18, 18. *Joh.* 20, 23. *Luc.* 10, 16. (4) *Divino Juramento*, qvod additum ut habeamus ἰσχυρὰν παράκλησιν διὰ δύο πραγμάτων ἀμεταθέτων, *Hebr.* 6, 18. Qvando igitur â peccatis desistimus, certissimi sumus ex Dei Juramento *Ezech.* 33, 18. Deum velle ut vivamus: qvando credimus in Patrem, qvi misit nobis filium Redemptorem, certi sumus ex Christi juramento *Joh.* 5, 24. qvod simus translati de morte in vitam; Si verbis Christi adhærescimus: mortem non videbimus in æternum, uti Christus juravit *Joh.* 8, 51. (5) Ex *promissionibus*, qvibus Bona spiritualia sine ulla conditione promittuntur ex fide vera orantibus *Joh.* 15, 7. *cap.* 16, 23 *Matth.* 18. 19. *Luc.* 11, 9. 13. Qvando igitur pœnitenti corde petimus Remissionem peccatorum non possumus non esse certi de Exauditione (6) Ex luctâ qva Spiritus resistit carni, ut detestemur peccata, delectemur Lege Dei, desideremus perfectionem in Bonis operibus, mundana desideria aversemur, Vitæq; æternæ cupiamus esse Hæredes. In his motibus, qvi plane nullam sentit repugnantem carnem, is est Hypocrita; qvi nullum sentit repugnantem Spiritum, is est sub Dei ira, qvi autem luctam sentit, is est in Dei gratia, qvia Spiritus S. carni resistit, inqve cordis Renovatione laborat.

## ANTITHESES.

*Pontificii*, immersi suis erroribus, qvos de Pœnitentiâ, Justificatione & Bonis operibus conceperunt, dubitationibus ceu fluctibus suam committunt Conscientiam: uti liqvet ex his Enunciationibus. 1. *Etiamsi ex Verbo Dei certi sumus, omnibus illis remitti peccata, qvi, ut oportet ad pœnitentiæ Sacramentum accedunt dicente Domino, qvorum remiseritis peccata Joh.* 20. *&c. hunc tamen aut illum Hominem, ut oportet ad Sacramentum accedere, ex Verbo Dei colligi non potest, sed ex humanis tantum conjecturis & signis, proinde ad Fidem Catholicam & divinam, qvæ Verbo DEI nititur, id pertinere nullo modo potest.* Bellarm. lib. 1. de pœnit. cap. 2. 2. *Ex Evangelio illa Fides concipi non potest, qva qvis certo credat, sibi remissa esse peccata, sperare qvidem possumus & debemus, Deum nobis propitium fore, sed certo id credere, qvomodo certo credimus articulos Fidei, mera est Stultitia.* Bellarm. d. l. cap. 6. 3. *Promissiones Evangelii non sunt gratuitæ sed habent annexam conditionem nostrorum operum.* Bellarm. l. 3. de justif. cap 11. 4. *Testimonium Spiritus S. non fit per Verbum aliqvod expressum, sed per Experimentum cujusdam suavitatis & pacis internæ, qvæ non gignit Certitudinem, nisi conjecturalem* Bell. l. 3. de Justif. Cap. 9. Confer *Becanum parte* 2. *Theol. schol. tome* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *q.* 7. & 11. *Coster. in Enchirid. cap.* 4. *de Fide*;

HYPO-

## HYPOTHESES.

His ex Fluctibus qvi vult mentem & Conscientiam liberare suam ne in Desperationis abyssum demergatur, adhærebit studiosè I. Orthodoxæ Doctrinæ de *Pœnitentiâ*, *justificatione* & *Renovatione*, qvia Theses Pontificiorum de prædictis Capitibus nulla gignunt κρίσιμα, qvibus certitudine fidei hamus certi de nostrâ justificatione.

II. Partibus genuinis pœnitentiæ, qvæ sunt *Contritio* & *Fides*, qvi alias partes addit, fingit sibi pœnitentiam, qvam Scriptura non proponit: Bona opera sequuntur pœnitentiam ut Fructus, non ipsam constituunt pœnitentiam. Qvi ergô sentit, Contritionem & fidem ex Lege & Evangelio excitatam, non dubitare debet de verâ suâ pœnitentiâ.

III. Generalibus Spiritus S. Axiomatibus de Contritione, Fide, & justificatione ê qvibus discimus, qvæ sit vera contritio, Fides & Justificatio; qvod talis sit in nobis, non qvidem κατὰ τὸ γράμμα, docet divina Revelatio, vel S. Scriptura, qvia in hac non legitur: *Tu Petre*, *Paule Jacobe* &c. habes veram Contritionem, Fidem atqve Justitiam, qva es Deo gratus atqve acceptus; Mundus non caperet illos libros; si de qvolibet individuo hæc essent scribenda: Interim actus Intellectus, qvo *thesin* transfert ad *Hypothesin*, non nititur *sensuum judicio*, ut in *Experientia*, nec principiis ἀποδεικτικοῖς, uti in scientia, sed *revelatione divina*, qvæ parit medium Terminum, in Syllogismo, qvo concludo meam Justificationem hoc modo: Qvi dolet de peccatis admissis & Christi Justitiam sibi applicat, ille est Justificatus coram Deo. Atqvi Ego doleo de peccatis admissis &c. E. Veritatem Minoris sustentant κρίσιμα superius enumerata, qvæ si sentias, nulla alia indiges probatione. Nec alia dari potest certitudo, cum qvilibet de se in Individuo subsumere debet: Semper enim in Judicio propriæ Conscientiæ acqviescendum, qvod tamen illis aliqvando innititur fundamentis, in qvibus fidei certitudo insistit; sic gratiosam Dei præsentiam sibi promittere potest qvilibet pius, licet non legatur hoc promissum: Deus erit præsens Nicolao, Joachimo &c. Nam qvando Conscientia perhibet testimonium de hujusmodi πεπληροφορίαις qvæ Deus in verbo suo requirit ab illis, qvibus gratiosè vult adesse, qvilibet certitudine fidei est certus de gratiosa Dei præsentia. Semper itaqve hic distinguendum inter *subsumptionem & propositionem*: *Illa* in conclusionibus, qvibus Individuum concludit de seipso provenit ab Intellectus judicio & Conscientiæ testimonio; *Hæc* autem vel nititur sensi-

vel principiis scientificis vel revelatione divina: *Illa* non est mensura vel norma Certitudinis, sed *hæc*, qvia continet Fundamentum, cui illa innititur. Si autem in tentatione non sentias fidem, adhibenda Fidei media, verbum & Sacramenta, qvorum effectus certitudine fidei tibi promittere potes, utcunqve primo statim momento eos non sentias. Qvod si statim *illa* certitudo esset conjecturalis, qvæ non est propositio ἐγγεγραφος, de nullo fidei articulo daretur certitudo fidei, qvi duntaxat per bonam conseqventiam elicitur ex sacris literis, qvalis est, terminos scl. si spectes, articulus de Trinitate personarum in Deo, Pædo Baptismo, peccato Originali &c. At hoc ἀθεόλογον agnoscunt ipsi Pontificii. E. etiam illud, ex qvo seqvitur, Antecedens esse ἀθεολογον.

IV. Textui Originali & vero sensui in verbis Salomonis *Eccles.* 9, 1. qvæ non probant; Hominem nunqvam fieri posse certum utrum amore vel odio DEi sit dignus: Nam 1. in Hebræo Textu non extant hæc verba: Omnia in futurum servantur incerta. 2. Non de solis justis & justificatis loqvitur Salomo; sed de omnibus Hominibus, uti patet ex v. 11. & distinctione, qva ipse dispescit Subjectum in pios & impios 3. non argumentatur Salomo ab omnibus Beneficiis, sed duntaxat â corporalibus, & Externis eventibus, ê qvibus nemo apodictice valet demonstrare, se esse in Dei vel favore, vel odio.

V. Veræ Intentioni Hiobi, qvi non intendit negare, posse justificatum certum esse de suâ justificatione; sed negare vult; se posse vestigare DEi consilia *cap.* 9, 11. & se fore immunem â vindictâ DEi, si proximum opprimat *cap.* 33, 13.

VI. Distinctioni inter præsumptionem & veram Fidem: Illa est in hæreticis, Diaboli Martyribus & aliis: Hæc in iis, qvi κρισήρια in se offendunt adducta in membro 1. Illa licet fallat; non tamen seqvitur, qvod hæc fallat: Uti enim non seqvitur: Studiosus qvi præsumit Eruditionem, qvam non habet, fallitur, E. & ille fallitur qvi solidè est doctus: ita non seqvitur: Qvidam Hæretici & Hypocritæ falluntur, qvi sibi certam promittunt Dei gratiam. E. etiam verè credentes falluntur.

VII. Examini accurato, qvod præmittendum anteqvam qvis fiat certus de suâ justificatione; Non enim illam suademus vel laudamus certitudinem, qvam qvivis apprehendit, absqve ullo scrutinio, qvo se suamqve fidem examinare debent studiosi pietatis. Si insignis levitas & temeritas est, qvando qvis sibi in arte qvadam vulgari peritiam tribuit cer-

certam, qvando non seipsum probavit an in eâ profecerit? longe major est temeritas illorum, qvi sibi justitiam coram Deo tribuunt, nullâ præmissâ Inqvisitione, in suam pœnitentiam, Fidem, & κρισιολογίαν illa, ex qvibus Certitudo sæpius dicta promenda. Proinde Certitudinem de Justificatione hoc processu & ordine acqvirendam, suademus. Audiat homo verbum Dei & discat Legem & Evangelium, qvando per verbum Efficax fuit S. Spiritus, ut agnoscat peccata, contritum sentiat animum ob iram Dei, qvam peccatis suis promeritus, & fiducia in Christum Mediatorem se erigat, examinet seipsum, annon Spiritus S. det testimonium suo Spiritui, utatur sacra Synaxi & privata absolutione, expendat Juramenta Dei & inqvirat luctam inter carnem & Spiritum. Ex his omnibus κεφαλαίοις Judicium suum formet Intellectus & Conscientia sit certa de peccatorum Remissione, qvæ ex Dictis S. Scripturæ promanat, docentibus, qvod vere justificati obsignentur S. Spiritu, qvod Sacramenta, & Evangelium cuilibet Individuo applicent, per fidem Christi beneficia, & qvod justificationem veram seqvantur Bona opera, qvæ si proveniunt è corde ἀνυπκρίτῳ, non carent luctâ inter carnem & Spiritum. Sic veritas propositionis innititur revelatione divina, sub qva cujuslibet Conscientia subsumit qvod verum in se deprehendit.

# CONTROVERSIA VII.

## De

## HOMINIS JUSTIFICATI RENOVATIONE CONTINUATA, REVOCATA, ET IN CRUCE EXPLORATA.

REnovationem Justificatorum geminam ostendit S. Scriptura: Una est stantium in fide, & describitur 2. *Cor.* 4, 16. *Ephes.* 4. *v.* 23. *Coloss.* 3, 10. Altera est cadentium & resurgentium, cujus meminit Apostolus *Hebr.* 6, 6. *Illa* parit Controversias de Bonis operibus; *hæc* exhibet συζητήσεις de Sanctorum Apostasia & Resipiscentia. Proinde disputatio futura evolvet qvæstiones 1. de Renovatione ipsa 2. ejusdem amissione & Restitutione 3. exploratione per Crucem.

# CAP. I.

## DE RENOVATIONE IPSA.

*Gloria DEO non verbis redditur sed operibus, qvia & ipse nos non verbis honoravit, sed rebus ac operibus: sic & nos per opera ipsum honoremus.* Sic rectissimie qvondam docuit *D. Chrysostomus Homil. 4. in 1. ad Timoth.* Ex propriis autem viribus opera hæcce præstare nos non possumus. Præparare nos debet Spiritus S. gratia sua, qvam vulgo *Renovationem* vocare solemus. De qva ipsa in hoc capite acturi sumus, & qvidem ut pateſcat Ejusdem partim causa efficiens, partim subjectum recipiens, partim causa formalis & qvidditas, partim finis & necessitas, partim deniqve etiam varietas & distinctio.

Qv. I. *Annon sunt vera Bona opera, qvæ præstant non-Renati ex solis liberi Arbitrii viribus?*

### THESES.

I. Opera Non-Renatorum qvæ legi Naturæ congrua, & exhibent Externam obedientiam, qvam Deus in lege præcipit qvoad substantiam actus, non sunt peccata, sed Virtutes in se moraliter bonæ, qvia 1. proveniunt ex recta Ratione & Igniculis, qvæ de Imagine Dei supersunt *Rom. 2, 14.* 2. non sunt ἄνομοι actus, sed ἔννομοι: qvatenus certis peccatis sunt oppositi. 3. aliqvando certis præmiis secundum DEI misericordiam compensantur. *Exod. 1, 21. Ezech. 29, 19. seqq.*

II. Opera Non-Renatorum non possunt Deo ut gratam & acceptam commendare personam, in qva existunt; qvia 1. justitia personæ coram Deo, non est ex operibus legis, sed ex fide in Christum, uti præced. Controv. dedimus probatum. 2. opera gentilium & non-Renatorum sunt imperfecta, & maximè distant ab eâ perfectione, qvam in Decalogo Dominus reqvirit. 3. dicta opera fiunt ex corde nondum purificato in veteſtate carnis, non in novitate Spiritus. 4. non tendunt hæc opera ad gloriam veri Dei; sed vel ad commoda præsentis vitæ, vel ad propriam gloriam.

### ANTITHESES.

I. Pontificii omnium odio nos dignos proclamant, qvia Bona opera Non-Renatorum accusamus certo respectu ut peccata. *Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. Bellarm. l. 5. de de lib. Arbit. cap. 9. seqq.*

II. *Ke-*

II. *Kockerm. in præcognit. Eth. asserit:* Virtutes Theologicas & Ethicas gradibus duntaxat differre.

## HYPOTHESES.

I. Res per se Bonæ propter abusum & adhærens peccatum in Scriptura ignominiosos sortiuntur titulos *Esa.* 64, 6 *cap.* 66, 3. *Galat.* 5, 4. *Phil.* 3, 7. Si ergo peccata dicamus opera Bona Non-Renatorum, qvatenus considerantur in subjecto infideli & non justificato, cujus opera in judicio Dei non æstimantur perfecte bona, virgulam censoriam non meremur.

II. Cum Paulus peccatum pronunciet, qvicqvid non est ex fide *Rom.* 14, 23. eodem jure nos opera bona Infidelium pronunciare valemus peccata: Licet enim Paulus loqvatur de Fide Conscientiæ; tamen de ea fide loqvitur, qvæ est in Christianis & principaliter versatur circa Christi meritum ceu adæqvatum suum objectum.

III. Sicut opera hypocritarum Deus reprobat *Esa.* 1, 13. 14. *Proverb.* 15, 8. &c. ita etiam non delectatur bonis operibus, qvæ fiunt absqve fide in Christum *Hebr.* 11, 6 *Tit.* 1, 15. Cum reconciliata est Persona Deo, opera placent Deo in Persona: Cum nondum est reconciliata persona Deo, placent opera in se, qvoad substantiam actus; displicent autem in subjecto & persona, qvæ dum â peccati reatu nondum est absoluta, in judicio Dei peccati labem non abstergit, qvæcunqve etiam bona opera afferat.

IV. Nulla est hæc Conseq. si nullum bonum opus fieri posset ab Infidelibus, melius esset, illos mala opera facere: Confunditur enim Bonorum operum *usus*, qvi est in *societate Civili*, cum *usu* qvem habent in *respectu ad Personam justificandam coram Dei judicio: Hunc* dum negamus, *illum* non statim tollimus.

V. Hæretici, qvi Errores pertinaciter defendunt, non faciunt opera bona, qvæ Deo sint ita grata & accepta, ut sunt opera Renatorum, qvia 1. per pertinaciam in errore gratiosa inhabitatio S. Spiritus avertitur. 2. non sunt hujusmodi opera ex fide & bona Conscientia 1. *Tim.* 1, 19. nec ab illis, qvi sunt Christi palmites & discipuli *Joh.* 8, 31. *c.* 15, 4.

Qv. II. *Num illa opera sunt vere bona, qvæ sine expresso DEI mandato proficiscuntur ex Bona Renatorum intentione?*

## THESES.

I. *Forma* Bonorum operum absolute consideratorum est *conformitas cum Lege DEI*, qvæ est norma & Regula omnium virtutum moralium.

II. Ad bonum opus, qvo colendus Deus, non ſufficit bona intentio, ſed reqviritur Dei præceptum, qvod vel explicite vel implicite illud præcipiatur: Nam 1. Deus damnat omnem cultum privata intentione ſuſceptum & â ſe non mandatum *Num.* 15, 39. *Eſa.* 29, 13. *Matth.* 15, 9. *Coloſſ.* 2, 20. *Eſa.* 1, 12. 2. Deus adſtringit homines ad ſua præcepta, & vetat, ne ab illis in Exercitio bonorum operum & cultu recedant. *Deut.* 12. *v.* 8. *Ezech.* 20, 19. *Joſ.* 1, 7. *Mich.* 6, 8. *Prov.* 30, 6. 3. Chriſtus & Apoſtoli remittunt eos ad legem & agnitionem divinæ voluntatis, qvi Bonorum operum ſunt ſtudioſi *Matth.* 19, 18. *ſeqq. Luc.* 10, 25. *Rom.* 12, 2. *Epheſ.* 2, 10. 1. *Theſſ.* 4, 4. 4. Scriptura Exemplis nos avocat ab omnibus ἐθελοθρησκείαις, objiciens nobis pœnam Iſraelitarum *Pſ* 107, 36. Uſæ 2. *Sam.* 6, 7. Gedeonis *Judic.* 8, 27. Pſeudo Apoſtolorum 1. *Tim.* 1, 7.

III. Non omnia pietatis opera ſunt â Deo limitata & circumſcripta, qvoad 1. omnes facti ſpecies. 2. qvoad omnes circumſtantias, qvæ ſpeciem non mutant, ut locus, tempus, objectum circa qvod &c. Species patientiæ qva David tolerat convitia Simei qvoad verba, qvibus David utitur 2. *Sam.* 16, 10. non eſt præcepta: Hiskia non commiſit ἐθελοθρησκείαν cum teſtum Paſchatos tranſtulit in menſem ſecundum 2. *Paral.* 29, 2. & cum diebus ſeptem azymorum alios 7. addebat, *cap.* 30, 22. itidem non recedebat â lege Dei de Azymis celebrandis.

IV. Eccleſiæ competit poteſtas diſponendi & ordinandi, in Ceremoniis, Adiaphoris & aliis, qvæ ſpectant ad cultum externum, qvod autem ipſi non data ſit â Deo poteſtas, condendi leges, obligantes in Conſcientia, demonſtrabimus ſuo loco. Confer *D. Chemnit. parte* 3. *Loc. p.* 30. *Batt. l.* 3. *de juſtif. cap.* 7. *Polan. l.* 8. *ſyntagm. cap.* 4.

## ANTITHESES.

Praxis *Papiſtarum* loqvitur, qvod in Papatu non acqvieſcant homines in illo cultu Dei qvem Deus præcepit in lege & in verbo ſuo; ſed illis inſuper ſeſe fatigant operibus, qvæ â Deo nullatenus ſunt præcepta & ab humana ſuperſtitione adinventa.

## HYPOTHESES.

I. Errant omnes illi, qvi perſuaſi ſunt 1. ad cultum Dei ſufficere bonam intentionẽ, cum hominum & Dei intentio non ſemper conſentiat *Eſa.* 55, 8. 2. Charitatem eſſe omnium Bonorum operum Normam, cum charitas ſit normatum ad ipſam legem commenſurandum. 3. ἐθελοθρησκείας progredi ex vera charitate, qvæ Deum non diligit, qvando mandata ejus

non

non servat *Joh.* 14, 23. 4. Sacrificia Patrum fuisse destituta Dei mandato: qvæ qvod Deo placuerint, diserte legitur *Genes.* 4, 4. *cap.* 15, 17. Nihil autem placet sine fide *Hebr.* 11, 6. qvæ est ex auditu verbi *Rom.* 10, 17.

II. David ludens ante arcam 2. *Sam.* 6, 13. 14, ut Propheta Domini immediate fuit ad hoc opus impulsus â Spiritu S. Maria ungens Christum *Joh.* 12, 3. officium charitatis Christo exhibuit, qvod qvoad genus â DEO præceptum, licet hæc facti species non sit expressa: Confer similia charitatis officia 1. *Tim.* 5, 10. Peccatrix lachrymis rigans Christi pedes *Luc.* 7. *v.* 38. ex dilectione Christi ceu fœcunda radice suavissimos hos diffundit fructus, uti ipse Salvator testatur.

III. Singularia Christi Prophetarum Apostolorum & aliorum Sanctorum opera, qvia â Deo sunt approbata & indubiis documentis ratificata, ἐθελοθρησκείας neqveunt annumerari: qvin potius de illis statuendum, qvod singulari ductu S. Spiritus ad ea prædicti accesserint, qvo qvod Papicolæ sint impulsi ad suas ἐθελοθρησκείας, fide digna non dant τεκμήρια. Confer *Gerh. tom.* 4. *L.* 20. §. 17.

## Qv. III. *Estnè Renovatio Justificatorum perfecta Legis moralis impletio?*

## THESES.

I. LEgem moralem ab hominibus renatis & justificatis posse perfectè impleri, negat apertè Petrus in Concilio Apostolico, *Actor.* 15, 10, cujus verba qvando restringuntur ad solam legem Ceremonialem, negligitur 1. objectio Pharisæorum, qvâ urgetur lex, qvæ habet promissionem de salute v. 1. qvalem lex Ceremonialis, in se considerata non habet. 2. conjunctio legis Moysis & Circumcisionis v. 5. cui qvi subjicitur, ad totius legis impletionem obstringitur *Galat.* 5, 3. 3. Decisio Apostolica, qvæ, si de solis legibus Ceremonialibus fuisset qvæstio, brevissimo hoc responso potuisset absolvi: Credentes ex gentibus non amplius sunt obstricti ad leges Ceremoniales. 4. Abstinentia â fornicatione *v.* 28. qvæ spectat ad legem moralem. 5. oppositio, qvâ Petrus *v.* 11. jugo importabili, [qvale sola lex Ceremonialis non fuit] opponit gratiam Jesu Christi: Hæc autem in Negocio Salvationis opponitur etiam legi morali *Ephes.* 2, 8. 6. pondus in Lege morali, qvod superare legem ceremonialem, ipse Christus testatur *Matth.* 23, 23. *Luc.* 11, 23. 7. Necessitas, qvâ dicuntur qvædam præcepta necessaria *v.* 28. Hæc si intelligenda cum obligatione ad implendam legem moralem, nullo onere sublevari sunt gen-

gentiles conversi: qvale enim hoc potest esse levamen, qvo qvis liberatur â Legibus ceremonialibus, & obstrictus manet ad justificationem ex obedientia perfectâ in Decalogo præceptâ: Stante itaqve veritate pronunciati Apostolici, qvo contestantur, se nolle imponere onus; liberati fuerunt gentiles conversi 1. â Legum Ceremonialium Corpore, cum particulæ qvædam ad tempus duntaxat sint in positæ, ut cum honore sepeliretur synagoga judaica. 2. â justificatione, qvæ ex perfectâ legis moralis impletione expectanda; qvia ab omni obedientiâ ergâ legem moralem absolvi non potuerunt; uti per se liqvet.

II. Apostolus Paulus dum Legem vocat spiritualem, & hominem renatum carnalem, venundatum sub peccato, qvi τὸ perficere bonum non invenit *Rom.* 7, 14, & 18. dum expresse fatetur, qvod non possit φρόνημα σαρκὸς, qvale adhuc superest in Renatis, subjici legi *Rom* 8, 7. & qvod caro reluctetur spiritui *Galat* 5, 16. negat manifeste, perfectam obedientiam juxtâ Legem Renatis esse possibilem.

III. Perfecta obedientia, qvalis â lege præcepta ostenditur controv. 4. in nullum cadit Renatum, qvod qvilibet ex propriæ Conscientiæ testimonio addiscit. Si enim aliqvis sua opera, verba & cogitata secundum omnia Dei præcepta examinaverit, nullum ex his perfectè se impleviſſe, animadvertet: Accusari sentiet â primo præcepto multiplicem securitatem imperfectam Dei agnitionem & dilectionem, in secundo preces absqve devotione fusas, & negligentiam in cultu Dei, in tertio auditum verbi divini socordem, cui nec tenax memoria, nec obedientia conjuncta, in qvarto multiplicem defectum in officiis, sive illa sint Parentum, sive Liberorum: in qvinto, vindictæ cupiditatem, iram velocem atqve tenacem; in sexto libidines vagas, factum & luxum in vestitu, cibo ac potu &c. in septimo Avaritiam & injustitiam, in octavo dolum, hypocrisin & πανουργίαν; in 9. & 10. infinitas ferme cupiditates, qvæ inclinant ad malum.

IV. Sancti & justificati ingenue fatentur, non esse hominem, qvi non peccet *1. Reg.* 8, 46. sibi adesse delicta occulta, qvæ non intelligunt. *Ps.* 19, 13, indigere se oratione, pro Peccatorum Remissione, *Ps.* 32, 6. suum cor non esse mundum â peccatis. *Prov.* 20, 9. nullumqve esse hominem justum in terris, qvi faciat bonum & non peccet. *Eccles.* 7, 21. His confessionibus si addas dictum *Jacobi* 2, 10. invictum habes argumentum, cujus est conclusio: Nullum Renatum perfectè posse implere Dei legem.

V. Renovatio nostra in sacris literis describitur, ut imperfecta, qvæ

crescit

crescit de die in diem 2. *Cor.* 4, 16. cum crescit charitas & corpus Christi mysticum *Ephes.* 4, 15. *Philip.* 1, 9. *Coloss.* 2, 19. donec veniat, qvod perfectum est, & evacuetur id, qvod ex parte est 1. *Cor.* 13, 10. 11. Adde his theses astruentes ex Controv. 4. & conclude, Renovationem Justificatorũ non esse perfectam Legis impletionem: Confer *D. Chemnit. parte* 1. *Exam. de B. oper. q.* 3, *parte* 2. *Loc. Th. de Lege Dei cap.* 3. *Brent. tom.* 8. *oper. p* 300. *Hunn. tomo* 1. *oper. col.* 595. *Balduin. in Disp. de Implet. L. cap.* 2. 3. 4. *Hutter. in Loc. Theol. artic.* 11. *q.* 6. *D. Frantz. disp.* 7. *contra Smalc. th.* 40. *disp.* 10. *th.* 9. *seqq. D. Meisn. in Consid. Theol. Photin. p.* 718. *seqq. lib.* 1. *de Legib. q.* 5. *D. Gerh. tom.* 3. *L.* 15. §. 181. *seqq. tom.* 4. *L.* 20. §. 62. *seqq.*

## ANTITHESES.

I. *Pontificii* distinguunt inter *Perfectionem Viæ* & *Perfectionem Patriæ*: *hanc* beatis in cœlo Triumphantibus assignant; *illam* tribuunt illis, qvi qvo maxime possunt studio contendunt, ut ad patriæ perfectionem proxime accedant: Vide *Hosium Cardinal. in Confess. fid. pag.* 65. 66. *Petrum a Soto tom.* 8. *Brent. pag.* 51. *seqq.*

II. *Bellarm. l.* 4. *de Justif. cap.* 10. de omnibus Catholicis scribit, qvõd fateantur 1. legem Dei justis Hominibus absolute esse possibilem, non qvidem per solas vires liberi Arbitrii, sed per auxilium gratiæ DEI & Spiritum fidei & charitatis in ipsa justificatione nobis infusum 2. opera justorum simpliciter & absolute esse justa, suo etiam modo perfecta, qvamvis non eâ perfectione, qvin crescere possint, & qvin non admisceantur interdum operibus bonis aliqva opera mala, non qvidem mortifera, sed venialia. 3. operibus Bonis Hominem vere justificari, non prima, sed secunda justificatione. Consentit *Lensæus l.* 8. *de Libert. Christ. cap.* 5. *Pistorius* im Wegweis. *pag.* 230. *Becanus parte* 3. *Theol. schol. tr.* 1 *cap.* 16.

III. *Servetus*, *Anabaptistæ & Swenck feldiani* unanimiter docent, Legem posse impleri in hâc vita. Vide *Schlusselb. in Catal. Hæret. de isto lib.* 11. *p.* 9 de illis *lib.* 12. de his *lib.* 10. *p.* 144. 224.

IV. *Weigeliani* negant itidem, legem impossibilem esse Hominibus! Vide *D. Hunn. in Theol. Weigel. p.* 638.

V. *Neo-Photinianorum* hæc est Doctrina: Perfectio alia est absolutissima, qvando qvis nunqvam, ne qvidem semel peccat: Alia comparata, qvando qvis nullius peccati habitum contraxit, vel in nullo peccato unqvam hæsit, nec adhuc hæret: Illa in N. T. non est absolute necessaria, sed aspirandum est, ut ad eam perveniamus qvam proxime, qvod etiam in hâc vitâ impossibile non est. Hæc ad salutem est necessaria & reqvi-

ritur ab omnibus. Vide *Smaltz. disp. 6. cont. Frantz. fol. 176. Socin. in Defens. cap. 7. ad Rom. & in libro. Quod Evangelici &c. pag. 60.* cumprimis *Schlichting. contra D. Meisn. de Exclus. Peccati.* Repetunt hi Pelagianismum & cumprimis errorem Fratricellorum, de qvibus vide *Cent. 13. Magd. col. 564.*

## HYPOTHESES.

I. Præcave, ne Adversarii probent incertum, per æq; incertum præsupponendo, 1. Nullum peccatum proprie dictum nobis connatum esse. 2. nullum peccatum adhærere renatis. 3. qvædam peccata ex se & sua natura esse Venialia. 4. aliam esse Justificationem in N.T. aliam fuisse in V.T. 5. actus vitiosos non excludere ex Regno Dei, sed duntaxat Habit9. Has hypotheses suo loco rejecimus, iisq; manifesta Dicta Scripturæ opposuimus.

II. Per *jugum leve* Christus *Matth.* 11, 30. intelligit suam Afflictionem & crucem, *Matth.* 16, 24. qvam sublevatam scimus, in Christo, qvi infinitam iram Dei in se suscepit, & eam promeritus est gratiam, qva gloriamur in tribulationibus *Rom.* 5, 3. qvia Deus non patitur nos tentari supra id qvod possumus portare 1. *Cor.* 10, 13. & donat gloriam, cujus respectu tribulatio nostra momentanea est & levis. 2. *Cor.* 4, 17.

III. Renatis mandata Dei gravia non sunt 1. *Joh.* 5, 3. qvia vincunt mundum, adeoqve non sentiunt illam legis coactionem, qva mundus in maligno positus deprimitur: Cum enim Spiritu Dei spontaneo ceu filii Dei reguntur, delectantur lege Dei secundum interiorem Hominem, & tamen sentiunt legem in membris suis, repugnantem legi mentis & captivantem se in legem peccati *Rom.* 7, 23. Qvæcunqve ergo opera legis efficiunt Renati, non efficiunt, ut pressi legis onere, sed ut sublevati: Qvæstio interim manet; An omnia Dei mandata secundum eam perfectionem servent, qvam lex præscribit? Hoc certe Apostolus Johannes non affirmat, qvando ideo mandata Dei Renatis gravia esse negat, qvia vincunt mundum fide in Christum & liberantur non solum â legis maledicto, sed etiam Coactione & rigore.

IV. In dictis *Deut.* 30, 6. *Ezech.* 36, 27. phrasibus legalibus describuntur beneficia Christi, qvalia sunt circumcisio Cordis. *Rom.* 2. *v.* 29. *Coloss.* 2, 11. & nova creatura 2 *Cor.* 5, 17. Qvando autem in circumcisione spirituali & nostra Renovatione intenditur Restitutio Amissæ Dei Imaginis & integritatis, illa promittitur citatis in locis & datur etiam plenarie sive consummative in Vita æterna: A promissa autem Impletione legis qvæ futura in corpore glorificato, (qvo demum perfecte portabimus Christi Imaginem 1. *Cor.* 15, 49.) ad præstitam Impletionem Legis in corpore animali, non valet Conseq. V. Di-

V. Dilectio Christi, qvatenus ex objecto æstimatur, non est simpliciter legalis, qvia lex Christum ignorat: In Dictis itaqve *Joh.* 14, 23. *cap.* 15, 10. Dilectio Christi, fidem includit; anteqvam enim credimus in Christum, ipsum diligere non valemus: Hinc diligentes Christum præcepta ejus servant ut Amici, non ut servi; qvia sciunt voluntatem Dei legalem & Evangelicam, & Legem per fidem in Christum norunt stabilitam *Rom.* 3, 31.

VI. Dilectionem esse impletionem Legis, cum Apostolo confitemur. *Rom.* 13, 10. *Galat.* 5, 14 Negan us autem in naturam peccato infectam illam dilectionem cadere posse qvam Lex reqvirit: Finis præcepti est charitas de corde puro, conscien bona & fide non ficta. 1. *Tim.* 1, 5. Qvis autem dicere potest; mundum est cor meum, purus sum â peccato? *Proverb.* 20. *v.* 9.

VII, Ambulantes coram Deo, & תמים dicuntur illi, qvi & justificati & renovati sunt; Hi non examinantur ex Lege ejusqve perfectione, cum in Scripturis commendantur; sed conferuntur cum Filiis hujus seculi, qvi ambulant secundum desideria Carnis & mundi, multisqve modis sunt contaminati & imperfecti. Sic Enoch præfertur hominibus aliis, qvi non vivi sunt sublati in cœlum. *Genes.* 5, 24. Noach præfertur impiorum societati, qvæ corrupit viam suam ante Diluvium. *Genes.* 6, 9. Abraham monetur, ut sit perfectus, & non similis illis populis, cum qvibus fœdus tunc temporis sancire Deus noluit *Genes.* 17, 2. A perfectione igitur comparata ad perfectionem absolutam non valet Conseq.

VIII. Sicuti Salvator *Matth.* 5. verum sensum Legis explicat, ita v. 48. non docet qvales esse possimus; sed qvales secundum legem esse debeamus? A præcepto ad posse non valet Conseq. qvia illud attendit statum, in qvo Homo fuit conditus: Hoc autem qværendum in Homine lapso, cui nunc traduntur leges de diligendis inimicis, furto evitando, fugiendo adulterio &c. qvales non essent latæ si in statu Integritatis permansisset, in qvo nec inimici, nec fures, nec adulteri &c. extitissent: Sicut ergo legis præcepta qvæ accusant Naturam corruptam, in Naturæ integritate fuerunt impleta, ita præcepta legis, qvæ spectant ad Naturam integram, ob Naturæ corruptionem jam impleri non possunt: Lex concreata sive non scripta continebat præcepta perfectionem imperanti: de Dilectione Dei & proximi, qvibus si Homo obtemperasset in statu Integritatis, nullis præceptis Negativis indiguisset: Scripta autem lex maxima ex parte continet præcepta negativa defectus accusantia, qvia natura jam prona est ad malum & non amplectitur virtutes, anteqvam nunciam

cium misit vitus: Hinc neutra valet ex his conseq. 1. In præceptis defectum accusantibus prohibentur vitia. E. illa adamare potuit Homo ante lapsum. 2. In præceptis imperantibus perfectionem, præcipitur perfecta sanctitas. E. illam homo in hâc vita potest adipisci post lapsum.

IX. Apostolus *Philip.* 4, 13. de tolerandis qvibusvis fatis in qvibus â Christo confortatus fuit, ut potuerit omnia sufferre, loqvitur: Dicta *Ephes.* 4, 13. *Hebr.* 5, 14. intelligenda de perfectis, qvi in comparatione cum aliis suo in genere fuerunt perfecti.

X. Qvando commendatur certa species Facti in Sanctis, non statim licet inferre, qvod totam legem impleverint: Sic commendatur David in Sancto Regimine, qvod alii Reges non sunt imitati 1. *Reg.* 14, 8. *cap.* 15, 5. *Actor.* 13, 22. *Ps.* 100. per tot. Josua ob convenientem distributionem Terræ promissæ *Jos.* 11, 15. Asa & Josia ob Reformationem Cultus publici 2. *Paral.* 15, 17. 2. *Reg.* 23, 25. Hiskia suam sinceritatem in pietate & Regni administratione ceu causam allegat, ob qvam Vitæ dies sint prorogandi 2. *Reg.* 20, 3. *Esa.* 38, 3. Horum tamen nemo fuit ἀναμάρτητος, uti illorum Historiæ contestantur: Josua intempestivam facit pacem cum Gibeonitis, & os Domini non interrogat *Jos.* 9, 14. David adulter, homicida & fastu turgens legem Dei transgressus est. 2. *Sam.* 12, & 23. Assam objurgat Propheta Domini, qvia peccavit 1. *Reg.* 15, 14. 2. *Paralip.* 16. v. 7. 10. 12. Josia temerarius est in movendo bello 2. *Paralip.* 35, 22. Hiskia reprehenditur ab Esaia, qvia thesauros suos ostenderat legatis Regis Assyriorum. 2. *Reg.* 20. *Esa.* 39.

XI. Sancti laudantur ut irreprehensibiles, qvando in foro soli nullius sceleris possunt convinci, uti Paulus coram judicio humano inculpabilis fuit *Actor.* 23, 1. *cap.* 26, 4. & in justitia pharisaica, qvæ confitebat in externa obedientia juxta legem, sine qverela se ambulasse, scribit *Philip.* 3, 6. Zacharias item & Elisabeth coram Hominibus fuerunt irreprehensibiles *Luc.* 1, 6. postqvam enim justificati sunt coram Deo, in viis Domini ambularunt, & neminem offenderunt ex proximis, qvi justa ex causa de iis potuisset conqveri. Tales ut sint omnes Christiani, hortatur Apostolus *Philip.* 2, 15.

XII. Ad perfectionem in Exercitio pietatis, ut tendant, & in studio perfectionis, qvo expetunt perfectam legis implectionem, ut pergant justificati, Dicta probant, qvæ leguntur *Coloss.* 1, 28. *Phil.* 3, 15. *Hebr.* 6, 1. Qvando autem *Photiniani* hæc accipiunt de possibili exeqvutione qvæ S. Scriptura loqvitur de intentione, studio & conatu, plus inferunt

in

in conclusione, atqve ex præmissis per legitimam illationem seqvitur.

XIII. Imitatores Christi, & Dei sunt illi, qvi in Virtutibus se conformare conantur perfectissimæ Ideæ sanctitatis, qvæ est in Deo & Christo: Non autem sequitur, illos esse in omnibus pares qvorum alterum imitatur: studium & desiderium perfectionis colligitur ex hâc imitatione, non autem idem perfectionis subjectum.

XIV. Qvæ David in *Psal.* 119. hinc indè proloqvitur, de studio, amore & desiderio, qvo proseqvutus sit legem testimonia ac justificationes Domini, detegunt animum in Davide 1. deditum Verbo Dei revelato. 2. alienum ab omni doctrinâ, qvam de Religione Humanus invenit Intellectus. 3. pronum ad istam obedientiam, qvam Deus in verbo suo exigit. 4. exercitatum in fide salvificâ & sanctitate inchoatâ: Cui qvod adhæserit error, ignorantia & varia infirmitas, non semèl in dicto Psal. subindicat David.

XV. *Matth.* 19, 21. *Marc.* 10, 21. *Luc.* 18, 22. Christus non consentit juveni, pharisaicâ opinione de Legis impletione turgenti; sed amat externam ejus sanctitatem & mandato de Perfectione provocat ejus imperfectionem, qvandò convincit ipso opere hunc Juvenem, qvod Deum & Christum nondum dilexerit suprâ omnia.

XVI. Δικαίωμα τȣ̃ νόμȣ *Rom.* 8, 4. notat jus Legis, qvò exigit perfectam obedientiam & damnat Peccatores: Christus itaqve factus pro nobis peccatum, abstulit damnationem, & factus legi subjectus, pro nobis implevit legem: Hinc jus legis in nobis impletur, non per nostram obedientiam, sed per obedientiam Christi nobis imputatam, qvam seqvitur justitia inchoata in terris, & consummata in cœlis.

XVII. Qvando in Orat. Dominica petimus, ut fiat Voluntas Dei in terris, sicut fit in cœlis; 1. desiderium nostrum exprimimus, qvo expetimus Illam obedientiam, qvam S. Angeli & beati in cœlis Deo declarant. 2. præsupponimus, qvod Deus velit acqviescere in nostra sanctitate inchoata, qvando illa per justitiam Christi, fide imputatam contegitur. 3. petimus, ut in nostro statu militantium sic placeamus Deo, qvemadmodum placent in suo statu triumphantes: Si qvis vero petat talem sanctitatem in Via, qvalis est in patria, Voluntatem DEI sibi fingit, qvalis non est revelata.

XVIII. Paulus de se Renato scribit, qvod non operetur peccatum. *Rom.* 7, 17. & Johannes 1. *Joh.* 3, 9. de renatis docet, qvod non peccent. Ille autem agnoscit peccatum in se habitans *d. l.* & hic Renatum negat

cum, qvi negat, se habere peccatum 1. *Joh.* 1, 10. Uterqve ergo concedit, qvod Renatus secundum interiorem hominem non peccet, & secundum adhærens peccatum nihilominus retineat qvandam in se ἀνομίαν.

XIX. Opera, qvæ Deus immediate & absolute operatur, ab omni labe & fœditate sunt libera; Sanctorum autem opera excitat qvidem & efficit Spiritus S. sed in Homine Carnali sive peccati lepra sordidato: Sicuti ergo pura aqva ex limpidissimo fonte scaturiens sordes attrahit ex canalibus, per qvos fluit; ita Rivuli S. Spiritus coinqvinantur, qvando per depravatam nostram transeunt Naturam.

XX. Credenti sunt omnia possibilia, si credat ea, qvæ Verbo DEI sunt promissa: Perfecta autem Impletio legis Renovatis militantibus & Viatoribus nullibi â Deo est promissa.

XXI. In dicto 1. *Cor.* 9, 18. Paulus gloriatur de innocentia sua in actibus sui ministerii, qvibus tantum abfuit, qvod turpe lucrum sit venatus, qvia potius nullo stipendio, qvod bona cum Conscientia potuisset accipere, gaudere voluerit.

XXII. Heroica & singularis Dilectio Moysis *Exod.* 32, 32. Pauli *Rom.* 9, 3. & aliorum Martyrum de Extraordinariis motibus Spiritus S. testatur: Nondum autem in hâc vita fuit tota lex impleta, qvia per vires peccato fœdatas tele exeruit, & non tam fuit officium, qvam Votum, qvo ex ardenti affectu exoptamus sæpe ea, qvæ sunt per se impossibilia.

Qv. IV. *Num Renovatio formaliter est Novæ Essentiæ productio?*

## THESES.

I. Collecta sunt suo loco dicta S. Scripturæ, qvæ distinguunt Essentiam humanam 1. ab Imagine DEi *Controv. 1. hujus libri.* 2. â peccato Controv. 2. & 3. â justitiâ, qvâ coram Deo justificamur. *Controv. 6. cap. 4.* Ex qvibus omnibus inferre possumus Conclusionem, qvæ negat; Renovationem reducere novam Essentiam in Homine, cum Essentia non fuit ipsa justitia concreata, nec per peccatum amissa, nec per justificationem denuô qvasi creata.

II. Qvicqvid est de Hominis Essentiâ, illud 1. cum Essentiâ propagatur. 2. cum essentiâ amittitur & 3. cum essentiâ reparatur. At Renovatio, qvâ Homo bonis operibus exornatur, nec cum Essentiâ propagatur, qvia sanctitas parentum non transit in liberos, uti probavimus Controv. 5. *cap. de Baptism.* nec cum essentiâ amittitur, qvia illi fidem & bonam Conscientiam per peccata mortalia excutiunt, non suam amittunt substantiam; nec cum essentiâ reparatur, qvando lapsi post pri-

mam

mam Renovationem, non novam toties induunt Essentiam qvoties agunt pœnitentiam E.

III. Qvicqvid ut accidens inhæret Essentiæ humanæ, illud non est ipsa Essentia. At Renovatio ut Accidens inhæret substantiæ, qvia juxtâ doctrinam S. Spiritus, (1) ab illâ cor denominatur novum & mundum, *Ps.* 51, 12. *Ezech.* 11, 19. *cap.* 36, 26. (2) describitur ut fructus pœnitentiæ, *Matth.* 3, 8. fructus Spiritus *Galat.* 5, 22. fructus justitiæ *Philipp.* 1, 11. Sanctificatio *Rom.* 6, 19, 22. 2. *Corinth.* 7, 1. 1. *Thessal.* 4. *v.* 3, 7. 1. *Pet.* 1, 15. ut ambulatio in luce *Joh.* 12, 35. 1. Johann. 1, 7. ambulatio in novitate vitæ *Rom.* 6, 4. Delectatio in lege DEI *Rom.* 7, 22. rationabile obseqvium & novâ reformatio mentis. *Rom.* 12, 1, 2. crucifixio carnis vitiorum ac Concupiscentiarum, *Galat.* 5, 24. Renovatio mentis *Eph.* 4, 23. mortificatio membrorum *Coloss.* 3, 5. novus homo qvi induitur in virtutibus *Coloss.* 3, 10, 12. sapientia desursum. *Jacob.* 3, 17. castificatio animæ 1. *Pet.* 1, 22. depositio malitiæ. 1. *Pet.* 2, 1. abstinentia à carnalibus desideriis 1. *Pet.* 2, 11. E.

## ANTITHESES.

I. *Flacius lib. de Pecc. Origin. tom.* 2. *Clav. p.* 374. scribit ita: *Dicimur condi, iterum generari, esse nova creatura, creari nobis novum cor, excindi & adimi nobis lapideum cor, & pro eo dari nobis novum ac spirituale cor: Hic clarè audis: ipsum cor oportere excindi & novum creari, non tantum accidentia qvædam in eo elui aut alterari, sicut Synergistæ somniant* Vide *D. Lutkem. de vero Hem. p.* 149.

II *Weigelii* hæc sunt dicteria: Das Adamische fleisch muß hinweg und ein anders an die statte kommen / durch die Schöffung vom Himmel Parte 2. Postil. pag. 29. die Christen haben einen zwiefachen Leib / den einen aus der Erden von Adam / den andern vom Himmel aus dem Heil. Geist. *d. l. p.* 111. Confer *D. Hunn. in Theolog. Weigelian. pag.* 578. seqq. Bericht von den N. Propheten Motivâ 10. §. 794.

## HYPOTHESES.

I. Qvia *creatio novi cordis*, & *excisio lapidei Cordis*, non de substantiæ abolitione & productione, sed accidentium emendatione exponatur, illa ἐκθεσις phrasium metaphoricarum tenenda, qvæ ab ipso Spiritu S. monstrata.

II. Qvum vocibus concretivis homo renovatus describitur subjectum cui inhæret accidens, connotatur, qvod in se & sua Essentia non mutatur, qvando ex corde lapideo fit cor carneum, sed qvando qvalitates Cordis mutantur, cor lapideum fit carneum, vetus homo deponitur & novus induitur. Nam Homo in sua Essentia consideratus nec ve-

tus

tus est, nec novus, ratione accidentium autem est vetus & novus, qvatenus vel corruptus vel Renatus.

III. Distinctio inter *substantiam physicam* & *Theologicam* qvatenus distinctas notat Essentias humanas, in Scripturis non præscribitur: Qvamvis enim phrasibus substantiam signantibus Scriptura utatur in describendo statu renatorum, tamen seipsam explicat, qvod modificate hæ phrases sint accipiendæ: Mutatio cordis lapidei in carneum reqvirit subjectum, in qvo fiat: Homo novus non induitur, nisi adsit substantia â qva induatur: Spiritus non resistit carni, nisi in uno concurrant subjecto.

IV. In Scripturis nihil legitur de cœlesti corpore, regeneratione solius Corporis & glorificatione corporis, qvæ expectanda in hâc vita ante mortem.

Qv. V. *Annon Renovatio est Essentialis Dei Inhabitatio in Sanctis?*

## THESES.

I. DE Justificatis & renovatis legimus in Bibliis, qvod in illis habitet 1. Deus 1. *Cor.* 3, 16. 2. *Cor.* 6, 16. 2. Pater & Filius *Joh.* 14. *v.* 23. 3. Christus, qvi inhabitat per fidem *Ephes.* 3, 17. & vivit in credentibus *Galat.* 2, 20. ut in membris suis 1. *Cor.* 6, 15. palmitibus sibi implantatis & in se manentibus *Joh.* 6, 56. *cap.* 15, 4. *seqq. Rom.* 6, 5. in se radicatis & confortatis *Coloss.* 2, 7. *Philip.* 4, 13. qvia Christum induerunt *Galat.* 3, 27. & virtus Christi in illis habitat 2. *Cor.* 12. *v* 9. 4. Spiritus S. *Rom.* 8. *v.* 9. 11. 2. *Tim.* 1, 14. 1. *Cor.* 6, 19.

II. Phrases Biblicæ nos convincunt, ut nulli dubitemus (1) S. S. Trinitatem in justificatis & renovatis habitare. (2) Deum non duntaxat virtute, sed etiam Essentia sua in piis habitare. (3) Christum Θεάνθρωπον sese totum cum suo merito & beneficiis communicare credentibus. (4) Spiritum S. non saltem donis suis, sed etiam essentia inhabitare in sanctis, unde etiam cum donis suis copulatur *Rom.* 5. *v.* 5. & qvando peccant Renati, non virtus duntaxat, sed ipse Spiritus S. contristatur & contumelia afficitur *Ephes.* 4, 30. *Hebr.* 10, 29.

III. Si Emphasin in phrasibus Biblicis, & Imagines oblatas in timore Dei expendimus, Inhabitatio Dei gratiosa in Sanctis, non est ipsa Renovatio, sed beneficium, qvod Regenerationem ceu effectus seqvitur & Renovationem concomitatur, propter 1. arctissimam unionem Dei & fidelium 2. Communicationem, qva Deus fidelibus communicat naturam. 2. *Petr.* 1, 4. virtutem *Ephes.* 6, 10. *Coloss.* 1, 11. vitam spiritualem *Phil.* 1, 21. fæcunditatem in bonis operibus, precum exauditionem, victoriam peccati, mortis mundi & Diaboli &c. *Joh.* 15, 6. 7. 8. 1. *Joh.* 5, 5. *Rom.* 8, 37. *sqq.*

3. idio-

3. ἰδιωμάτων qva Deus noſtras perſeqvutiones & calamitates ſibi appropriat *Zachar.* 2, 8. *Actor.* 9, 4. 4 ἀποτελέσματα, qvæ Deus in nobis & cum nobis operatur. 1. *Theſſ.* 2, 4. *Rom.* 8, 26.

IV. Qvod Deus Pater, Chriſtus filius Dei & Spiritus S. eo modo in piis habitet, qvo eſſentia humana mutatur in cœleſtem & divinam non ſeqvitur ex dictis citatis, qvæ ad unionis modum trahere, non permittit analogia fidei: Hinc Inhabitationem hanc appellamus μυστικὴν & ſpiritualem, ut eam diſtinguamus ab unione 1. perſonali, qvæ inter λόγον & carnem 2. Sacramentali, qvæ inter corpus & panem, ſanguinem & vinum in S. Euchariſtia. 3. Naturali, qvalis eſt inter Animam & corpus. 4. Accidentali qvalis eſt inter parietem & albedinem. Confer *D. Philip. Nicol. in Theor. vitæ æt. l.* 1. *c.* 2. *&* 4. *l.* 2. *c.* 1. *lib.* 1. *de Omnipræſ. c.* 3. 4. *Chemnit. p.* 1. *Loc. Theol. p.* 104. *D. Balduin. in Diſp. de Communic. cum Chriſto.*

## ANTITHESES.

I. *Swenckfeldius* fidem juſtificantem noluit diſtinguere ab Eſſentia divina in nos habitante: Fides, inqvit, fundamentaliter juxta ſuam Eſſentiam Originem nihil aliud eſt, qvam Natura & Eſſentia DEI. *lib. de Abuſu Evang.*

II. *Weigelius* docuit, inhabitare Deum in ſanctis *eſſentialiter* vel modo eſſentiali, qvo Dei eſſentia ſit credentium Eſſentia. In *Dial p.* 12 ita ſcribit: Wir müſſen alle miteinander mit GOtt / nicht alleine nach dem Geiſt/weſentlich vereiniget werden / ſondern auch nach dem Fleiſch und Blut leibhafftig. In Dialogo p. 12. zu dem bezeuget der Apoſtel / daß wir ſein aus ſeinem Fleiſch und Gebeine/wie Eva aus dem Adam/und ſolches verſtehe ich von der ewig leibhafftigen Vereinigung. In vier tractätlein *p.* 212. Chriſtus wohnet alſo in den Wiedergebohrnen/und hat ſich ſo nahe mit ihnen vereiniget/daß ein ſolcher Menſch zum andern ſagen könte: Ich Chriſtus JEſus das lebendige Wort GOttes habe dich erlöſet.

III. *Neo Prophetæ* hæc effundunt verborum portenta: Chriſtus und ſeine Gläubigen ſind nicht zwey ſondern weſentlich eins/unzertrenlich/ eine weſentliche Gerechtigkeit/Heiligkeit mit GOtt gantz eins. Antwort auff D. Joh. Webers Diſp. pag. 41. Item. Der HErr JEſus/der weſentliche Sohn GOttes/perſonaliter GOtt und Menſch in einer Perſon / iſt gantz weſentlich in Einigkeit zweyer Naturen unſer weſentlicher/ewig einverleibter HErr GOtt/Mann und Bräutigam/*d. l. pag.* 47.

IV. *Photiniani* contendunt; Deum non ſua Eſſentia, ſed virtute præ-

præsentem esse Sanctis: *Socinus adv. Francis. David de invocat. Christi. cap.* 14. hæc scripsit: *Deus non est nobiscum per divinam suam naturam aut essentiam, sed per virtutem, favorem ac auxilium suum, alioqvin non magis cum piis, qvam cum impiis esset.*

V. *Calviniani* negantes præsentiam Carnis Christi in terris, fingunt solaDeitateChristū esse præsentem suæEcclesiæ, uti suo loco convincuntur.

## HYPOTHESES.

I. Christus rogans Patrem *Joh.* 17, 11. 21. *seqq.* ut fideles uniantur, sicut Pater est in Filio & in Patre non identitatem unionis, sed similitudinem monstrat: Nam particula καθὼς, uti freqventer in Bibliis non est perfectæ æqvalitatis, sed qvaliscunqve similitudinis nota. *Matth.* 5, 48. *Luc.* 6, 36. *Matth.* 6, 12. 14. 1. *Joh.* 3, 3. 7. &c. ita, teste *Chrysostomo* in verbis Christi οὐκ ἔστιν ἀκριβὴς ἐξισώσεως, sed alicujus similitudinis indicium, qvemadmodum ipse Salvator sese explicat, qvando Unionem fidelium describit ut hominum sibi â mundo datorum. *v.* 6. qvi servarunt verbum & crediderunt *v.* 6. 7. 8. pro qvibus Christus se sanctificavit *v.* 19. qvi credituri per verbum *v.* 20. Hæc subjecta in sempiternum manebunt distincta â Patre & Filio, qvibus citata epitheta non conveniunt, adeoq; eodem prorsus modo uniri neqveunt fideles cumDeo qvo unitur Pater cum Filio: Si in textu indages capita, in qvibus Salvator similem constituit unionem mysticam, unioni Essentiali, qva ipse & Pater uniuntur, facile animadvertis; Christum respicere ad durationem & constantiam qvam exoptat in unione inter se & suos fideles similem illi, qva Pater sibi unitus est: Expende *v.* 12. 13. 14. 15. 23. 24. 26.

II. Ex phrasibus & similibus, qvibus Spiritus S. describit unionem inter Christum & fideles Deum & Sanctos, recte infertur, qvod Res unita sit persona Christi, substantia Deitatis & humanitatis essentia Dei &c. Modus autem unionis dictis hisce non est revelatus, idcirco rem ipsam pie agnoscimus, modum autem unionis modeste Divinæ sapientiæ committimus, & mysticum nominamus, qvia non intelligimus magnum illud mysterium, qvo Christus cum Ecclesia unitur, uti vir cumConjuge. *Ephes.* 5. *v.* 32.

III. Ludunt Adversarii Ignoratione Elenchi, qvando probant, Sanctos esse templum Dei, Deum dedisse nobis de suo Spiritu &c. Nemo enim hæc negat, sed de τρόπῳ qværitur; an in his phrasibus doceatur; Deum habitare in sanctis suis essentialiter, mutando essentiam humanam in divinam: Hoc neqve ex his phrasibus, neqve ex similibus e corpore & membris, sponso & sponsa, Viro & uxore, palmite & vi-

te, veste & vestito corpore &c. elici potest: In his simulibus enim nulla mutatio & μεταμόρφωσις, qva substantia mutetur in substantiam, sed arcta, indissolubilis & efficax unio conspicitur.

IV. Docet Apostolus *Ephes.* 5, 30. qvod simus membra Corporis Christi, caro de carne, os de ossibus ejus, qvia 1. Christus humanitatem nobis ὁμοούσιον assumsit. 2. nos sumus mystica membra & ille nostrum omnium est caput *Rom.* 12, 4. 1. *Corinth.* 12, 13. *seqq. Ephes.* 5, 23. 3. adhærens Domino unus est cum ipso Spiritus, ut una sit caro cum meretrice qvi illi adhæret 1. *Cor.* 6, 17. Non docet autem Apostolus, qvod nostra Caro essentialiter & corporaliter mutetur in ipsam carnem Christi, cum nec Adami corpus sit essentialiter mutatum in Corpus Evæ, nec Vir cohabitans Uxori vel meretrici, ita fit cum hac unum corpus, ut sui corporis substantia in hujus substantiam transeat.

V. Qvemadmodum Adam in nobis est, non corporis sui commixtione, sed tantum qvoad naturam & ejus corruptionem; sic Christus in nobis est, non transsubstantiatione vel commixtione sui corporis; sed gratiosa sua præsentia, qva nos renovat, vivificat, confortat, gubernat, & ad vitam æternam conservat. De *Calvinianis* & *Photinianis* Vide *qvæstiones de Dei & Christi omnipræsentia. l.* 2. & 3.

Qv. VI. *Annon eo fine exercenda bona opera, ut iis mereamur vitam æternam & temporalia præmia?*

## THESES.

I. OMnes Scriptores Θεόπνευστοι consentiunt Apostolo Paulo, in hoc Aphorismo: Pietas ad omnia utilis, & habet promissionem vitæ, qvæ nunc est, & futuræ. 1. *Tim.* 4, 8.

II. Merita si qvis dixerit, retributiones gratuitas, vi promissionis, datas laborantibus & certantibus, concedimus, γενικῶς vel lato in sensu Bona opera dici merita, & sanctos mereri præmia, qvatenus ex liberali Dei manu accipiunt dona, qvæ Deus sponte sua ex mera gratia promisit.

III. Qvia Deus justus est, non vult, justum esse sicut impium, *Genes.* 18, 25. & ideo hunc pro meritis suis punit, illi parcit propter Christum, Fide apprehensum: Qvia autem misericors est, non vult, ut labor justorum sit inanis, ideo opera bona compensat ex gratia, ut merita late sic dicta opera mala punit ex justitia, ut merita ἰδικῶς & *proprie* dicta.

IV. Secundum rigorem legis Bonis operibus tum demum danda essent præmia qvando illis lex fuit impleta, & tamen hæc præmia non essent merita proprie dicta, qvia 1. essent debita Creaturæ, qvibus ob-

ſtricte creatori 2. Deo nullam afferrent utilitatem, & 3. nullam haberent proportionem ad æternam gloriam: Stante ergo doctrina, qvam aſtruximus *qv.* 3. Renovati non poſſunt expectare *mercedem proprie dictam ex operibus* imperfectis, qvam ne ſperare qvidē poſſent ex operibus perfectis.

V. Secundum *æqvitatem Evangelicam*, qvi juſtificati ſunt fide in Chriſtum expectant æterna & temporalia præmia â Benigna Dei manu, non autem ut merita proprie dicta vel congrua vel condigna ob dignitatem operum rependenda: Norunt enim 1. ſe eſſe debitores *Rom.* 8, 12. qvi ſi omnia fecerunt, ad qvæ obſtringuntur jure Creationis, Redemptionis, Juſtificationis & Sanctificationis, fateri tamen coguntur, ſe eſſe inutiles ſervos *Luc.* 17, 19. Licet autem non ſint inutiles qvoad opera in ſe conſiderata, tamen ratione meriti ſunt inutiles, & ſi in mente fovent opinionem meriti, ore vero profitentur humilitatem debiti, peſſimi ſunt hypocritæ. 2. nullam eſſe proportionem inter hujus ſæculi παθήματα & æternæ vitæ gaudia. *Rom.* 8, 18. 2. *Cor.* 4, 17. 3. opera bona non proficiſci ex ſuis viribus, ſed eſſe fructus S. Spiritus. 4. Deum nullatenus indigere noſtris bonis operibus. *Job.* 22, 3 *cap.* 35, 7. *Rom.* 11, 35.

VI. Exceptionibus Bellarmini Reſp. 1. Apoſtolus ex brevitate paſſionum in hoc ſeculo colligit, qvod non ſint dignæ futura gloria: Si qvis ergo dignitatem urget, & brevitatem paſſionum credit, negat concluſionem Apoſtolicam, præmiſſas concedit 2. opera eſſe meritoria ex charitate, & non ex ſua ſubſtantia, fingitur, non probatur: Charitas eſt imperfecta, peccatis polluta & debita. 3. Paſſio Chriſti ut ſuam habet dignitatem ex dignitate perſonæ, ita deliciæ peccati, utcunqve brevi tempore tranſeunt, ſunt enim perfecta peccata, qvibus æterna reſpondent ſupplicia: Operibus autem bonis, qvia imperfecte bona, non reſpondent æterna κατ᾽ἀξίαν.

VII. Vita æterna non eſt merces, qvæ detur ex dignitate operum, 1. qvia eſt hæreditas, non ex lege ſed ex promiſſione *Rom.* 4, 16. *Galat.* 3, 18. 29. *Coloſſ.* 3, 24. 2. eſt donum Dei, qvod datur ex gratia, & non ex operibus. *Eſa* 55, 1. *Rom.* 6. *v. ult. Epheſ.* 2, 8. *Tit.* 3, 4.

VIII. In dictis citatis urge (1) generalem promiſſionem in vaticinio *Eſaiæ*, cui etiam inclusa beneficia ſpiritualia Meſſiæ, qvæ ob ſummam ſuavitatem vino & lacti comparantur *Prov.* 9, 1. *Apocal.* 21, 6. *c.* 27 *v.* 17. *Eſa* 25, 6. (2) diſtinctionem inter filium Dei unigenitum, & Adoptivos, qvales ſunt credentes; *Joh.* 1, 12. *Rom.* 8, 16. *Galat.* 3, 26. De illo recte affirmatur, qvod duplici jure poſſideat vitam æternam: *Jure hæreditatis* & *jure*

*jure meriti*, qvod nobis communicat: Hi autem uno duntaxat jure, qvo Christi fiunt cohæredes, possident vitam æternam. (3) verum honorem Filiorum Dei, qvi non æstimandus ex nostro judicio, sed Dei decreto: Illud arbitratur, magis esse honorificum, si vita æterna detur ut *merces proprie dicta* exantlati laboris: Hoc autem alium honorem elegit, in qvo acqviescendum.

IX. Qvascunqve rimas qværant *Jesuitæ*, constricti manent culpa, qva tantum detrahunt Christi merito, qvantum meritis humanis attribuunt: Nam 1. si ullum meritum hominum operibus assignatur, illud haud dubie defuit Christi merito, & sic hoc respectu fuit imperfectum & insufficiens. 2. si primam saltem gratiæ infusionem Christus acqvisivit, nostra merita prævalent merito Christi, utpote qvibus ipsa vita æterna acqviritur, ceu ultima nostra perfectio. 3. turpiter ἐν ἀρχῇ λαμβάνουσι *Jesuitæ*, qvando subinde ingeminant: Christum nobis conqvisivisse vires, qvibus valeamus mereri: Ne unicum S. Scripturæ afferre qveunt testimonium, qvo hoc affirmetur. 4. Reparatio salutis æternæ non est effectus talis, qvalis provenit â causis naturalibus, qvæ Deo ceu causæ primæ possunt subordinari: Est enim reparatio nostræ salutis effectus plane supernaturalis, in qvo locum non invenit subordinatio causæ primæ & secundæ. 5. Si meritum Christi esset causa remota & universalis nostræ salutis; salus nostra magis dependeret â nostris meritis, qvam â merito Christi: qvia effectus magis dependet â causis proximis & immediatis, qvam â causis remotis & universalibus. 6. Fideles, ceu palmites, ex Christo ceu Vite trahere vim, qva mereantur, ratio fingit, nulla consentiente S. Scriptura: Trahunt qvidem ex vite palmites succum, sed non fiunt statim ipsa vitis.

X. Opera bona qvi meritoria vitæ æternæ statuit gloriationem invehit, qvam Apostolus detestatur *Rom.* 3, 27. *Ephes.* 2, 9. Etsi enim in Domino gloriari videatur, juxta dicta *Jerem.* 9, 24. 1. *Cor.* 1, 31. qvi opinatur, se accepisse â Deo gratiam, qva valet mereri; tamen certissima sunt documenta, qvæ probant, Deo non placere hujusmodi gloriationem: Nam 1. Pharisæi gloriatio Deo non placuit *Luc.* 8, 10. qvamvis agnovit, Deum sibi dedisse gratiam, qva bona ediderat opera, & vitia averlatus fuerat. 2. Apostolus 1 *Cor.* 1, 31. aperte id dicat, qvod ille duntaxat in Domino glorietur, qvi credit, Christum sibi factum justitiam &c.

XI. Sancti viri Dei nunqvam in bonis suis operibus agnoverunt merita proprie dicta: Non Jacob *Genes.* 32, 10. non David 2. *Sam.* 7, 18. non Daniel *Dan.* 9, 18. non Paulus *Philip.* 3, 8. 9. nec Beati in altera vita

sua agnoscunt merita, sed coronas suas demittunt ante thronum *Apocal.* 4, 10, 11. nec in Extremo judicio fatebuntur Electi, se qvicqvam meritos esse: *Matth.* 25, 37.

XII. Hæc Exempla non possunt restringi ad opera, facta ante justificationem & regenerationem, qvia 1. sunt illorum exempla, qvi fuerunt justificati, & post acceptam Justificationis gratiam, bona opera ediderunt. 2. falsa est Hypothesis suo loco protrita, qva creditur: Opera salvare post factam regenerationem. 3. Paulus in specie d. l. conjungit opera legis, & ea, qvibus se exercuit in Pharisaismo, & ea, qvibus ambulavit post suam conversionem: De his enim inqvit: ἀλλὰ μεγέντε existimo *omnia* detrimentum esse &c. De illis dixit: qvæ mihi *fuerunt* lucra, arbitratus sum hæc propter Christum detrimenta.

XIII. Qvia nec homines electi sunt ad vitam æternam propter merita, vide *Controv.* 3. hujus libri, nec justificantur ex operibus, vide *Controv. præced.* nec in terram Chanaan, ceu typum vitæ æternæ introducti sunt, propter bonorum operum merita, *Deut.* 9. 5. 6. non certè eo fine exercere debent bona opera, ut condignam reportent mercedem: Uti enim Electio, justificatio & salvatio causis non differunt; ita nunqvam vita æterna erit condigna operum merces, qvæ ne qvidem esse potuit terra Chanaan, multis modis illa inferior.

XIV. Negando itaqve respondentes ad qvæstionem, ex præmissis elicimus hanc Ἀπόδειξιν: Qvicunqve 1. norunt se destitui reqvisitis meritorum ἰδίως dictorum. 2. expectant vitam æternam ut hæreditatem & gratuitum Donum. 3. perfectum & sufficiens agnoscunt Christi meritum. 4. non nisi in solo Domino gloriari debent. 5. Exemplis sanctorum invitantur ad merita, declinanda 6. nec eliguntur nec Justificantur, nec Typum vitæ æternæ adipiscuntur propter merita; illi nec debent nec possunt operari bonum eo fine, ut recipiant condignam mercedem. At justificati & renovati 1. norunt &c. uti patet ex dictis. E.

## ANTITHESES.

I. *Scholastici* tria confixerunt merita, 1. *meritum congrui*, qvando peccator facit, qvod in se est: 2. meritum digni, qvando justus operatur pro alio, & 3. *meritum condigni*, qvando justus operatur pro seipso. De his meritis qvomodo in scriptis suis disputent *Scholastici*, Cadmæa pugna sese ferientes, lege in *tr. Holderi de merito congrui & condigni. Pappi comment. in A. Confess. p.* 90. *Gerh. tom.* 4. *Loco* 29. §. 108. *Hulsemanni Manuali d. Conf. disp.* 5. *qv.* 2.

II. *Bel-*

II. *Bellarm. l. 5. de Justificat.* pro his pugnat assertionibus. 1. In testimoniis S. Scripturæ continetur vox *Meriti.* cap. 2. 2. Opera justorum sunt meritoria vitæ æternæ. *cap. 3. seqq.* 3. Fiducia sanctorum, qvam in Deo constituunt, non ex fide sola, sed etiam ex bonis meritis nascitur, atqve ideo summo studio merita qværenda sunt, ut apud Deum fiduciam, habere possimus. *cap. 7.* 4. Bona opera sunt exercenda 1. propter gloriam Dei. 2. propter mercedem felicitatis æternæ. cap. 8,5. Tres requiruntur conditiones, ut opus sit meritorium. (1) bonitas operis (2) affectus, qvi vult obsequi Deo. (3) Viator, qvi nondum est in Patria (4) opus liberum. (5) amicitia istius, qvi operatur, cum DEO. (6) promissio. (7) Charitatis virtus. *Cap. 10. seqq.* 6. opera justorum ex charitate facta sunt meritoria vitæ æternæ, ex condigno, non solum ratione pacti, sed etiam ratione operum. *Cap. 16, 17. 18.* 7. Deus remuneratur opera bona, supra condignum. *Cap. 19.* 8. Ille ipse gradus gloriæ, qvi debetur Filiis DEI jure hæreditario, retribuitur etiam jure mercedis. *Cap. 20.* 9. Homines justi mereri possunt ex condigno augmentum justitiæ. *Cap. 21.* 10. Reparatio post lapsum & perseverantia usqve in finem, non cadit sub meritum de condigno, sed solum de congruo. *cap. 22. Cap. 22.* Confer *Concil. Trid. sess. 9. cap. 8. can. 32. Pistor.* im Wegw. *pag. 185. Coster. in Enchirid. demerit. Bonor. oper. & alios.*

## HYPOTHESES.

I. Desperatam Adversariorum causam & cauteriatam Conscientiam produnt novi colores, qvibus Scholasticorum glorioſa dicteria de meritis, hodierni pingunt Pontificii. Prætendunt enim 1. se pugnare pro merito impetrationis, cui non respondet merces ex justitia. *Bell. in judic. de Lib. Concord. mendac.* 8. 2. Bona opera esse meritoria, per DEI gratiam & JEsu Christi meritum. *Concil. Trid. d. l.* 3. Propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ tutissimum esse, ut fiducia tota in solam Dei misericordiam & benignitatem reponatur. *Bellarm. l. 5. de Justif. cap. 7. propos. 3.* 4. Hominem justum esse similem Rustico, cujus manus scribens characteres movetur â Rege ut Scriptura magnam habeat dignitatem ob manum Regis: Sic etiam nostra opera esse meritoria, qvia ea proficiscuntur â Christo, cujus sumus membra, & â Spiritu S. nobis inhabitante. *Costerus d. l. pag. m. 330. 5.* Opera non ex se, sed ex dignitate Personæ, qvæ per gratiam Christi effecta est Filius DEI, vel æqvalia præmio esse, vel habere promissionem DEI ad præmium consequendum *Bellarm. l. 5. de Justif. cap. 5.* Ad hæc sese propipiunt effata

Jesu-

*Jesuwitæ*, qvando â nostris argumentis in angustias rediguntur, qvi si veritatis luci non præferrent Errorum tenebras, candide & ingenue nostram doctrinam approbarent, qvam invictam intelligunt, qvatenus negat 1. ex Justitia posse respondere mercedem *proprie* dictam nostris bonis operibus 2. Justorum opera extra Christum ullam servare existimationem, in judicio DEI. 3. rutum esse, ut qvis confidat in propria merita. 4. opera bona qvatenus in se considerantur non esse meritoria, vel Deo grata, sed qvatenus prodeunt â Spiritu S. & ex fide in Christum.

II. Qvamvis una & eadem sit causa, qvæ Deo commendat Personam & opera, sc. Justitia Christi fide apprehensa: tamen differt acceptatio operum ab acceptatione Personæ: Hæc fit ad obtinendam hæreditatẽ vitæ æternæ, illa ad μισθαπόδοσιν gratuitam, qvæ maximè differt â mercede proprie dicta, data, ob dignitatem operis, qvodsi Pontificii in præmiis bonorum operum nobiscum attendere velint Dei gratuitam promissionem & Personam, in Christo Deo reconciliatam, cur nostram damnant doctrinam, & manifesta aperte non damnant mendacia?

III. Semper revocandi sunt Pontificii ad Conclusionem, qvam demonstrare pollicetur *Bellarm. lib 5. de Justif. cap. 1.* cum ita scribat: *Nos probabimus id, qvod habet communis Catholicorum omnium sententia, opera bona justorum vere ac proprie esse merita, & merita non cujuscunqve præmii, sed ipsius vitæ æternæ.*

IV. Dicta S. Scripturæ diligenter collata non permittunt, qvod vox שכר & μισθὸς semper notent *meritum vere* ac *proprie* dictum: DEUS non potuit esse meritum vere ac proprie dictum Abrahami *Genes.* 15, 1. liberationem ex captivitate Babylonica Daniel expectat non ex operibus, sed ex sola Dei misericordia *Dan* 9, 18. qvæ tamen merces vocatur *Jerem.* 31, 16. 17. Qvod Salvator *Matth.* 5, 45. vocat μισθὸν, illud *Luc.* 6. *v.* 32. vocat χάριν Fructum ventris David appellat נחלת יהוה & שכר *Ps.* 127, 4. ut ostendat, filios esse mercedem non vere & proprie dictam, qvalis non est hæreditas, sed gratuitam & improprie dictam. Confer *Genes.* 30, 18. ubi Isaschar â matre dicitur merces gratuita, qvam DEUS dedit, cum non ex se, sed ex ancilla sua sperarit liberos. Apostolus *Rom.* 4, 4. mercedem *proprie dictam* describit ut μισθὸν κατὰ τὸ ὀφείλημα, cui opponit μισθὸν κατὰ χάριν. Utcunqve igitur vita æterna dicatur merces, & præmia Bonorum operum dicantur merita; non statim sequitur, qvod sint merita proprie dicta.

V. Aliud

Diſſ. V. Reſpond. JOANN. SCHRöDER. Suderoviâ Stormaro.

V. Aliud eſt debitum Juſtitiæ, aliud debitum gratuitæ promiſſionis: Debitorem ſe fecit Deus promittendo, nos eum non obſtringimus noſtro merito.

VI. Τὸ ἄξιον καὶ ἀξιοῦσθαι non ſemper notat in ſacris literis dignitatem operum vel meritorum, qvia 1. reſpondet illi vox ἐχαρίσθη, uti patet ex collatione *Actor.* 5, 41. cum *Philip.* 1, 29. 2. Τὸ ἄξιον ſæpe notat illud qvod eſt decens, conveniens, congruum ut 1. *Cor.* 16, 4. *Matth.* 3, 8. 2. *Theſſal.* 1, 3. *Rom.* 16, 2. *Epheſ.* 4, 1. *Philipp.* 1, 27. *Coloſſ.* 1, 10. 1. *Theſſal.* 2, 12. *Sap.* 3, 5. 3. Vocantur interdum illi ἄξιοι, qvi non ex operibus propriis facti ſunt digni, ſed ex fide in Chriſtum *Apocal.* 3, 4. Confer *Cap.* 5, 9. *Cap* 7, 14. *Coloſſ.* 1, 12. Sunt ergo fideles digni, dignitate Evangelica, non legali, de illa etiam loqvitur Chriſtus *Luc.* 20, 35. & Apoſtolus 2. *Theſſ.* 1, 5. 4. Digni dicuntur, qvi ſeipſos non judicant vita æterna indignos, malitioſe annunciatum Evangelium repellentes; Confer *Matth.* 10, 13. cum *Actor.* 13, 46. Cum operarius dicitur dignus ſuo cibo *Matth.* 10, 10. vel ſua mercede *Luc.* 10, 7. indicatur merces qvam homo debet homini, non ea, qvam homini debet Deus.

VII. Deum compenſare varios labores illorum, qvi in vinea ſua operantur, non ex merito operum, ſed ex mera gratia vi datæ promiſſionis, ex profeſſo docet Salvator in Parabola, de Patre familias, conducente operarios in vineam *Matth.* 20, 1. *ſeqq.* Nam 1. ex occaſione data ad hanc parabolam apparet, Petrum fuiſſe ſollicitum de mercede *proprie* dicta *Matth.* 19, 23. *ſeqq.* & Chriſtum mercedem promiſiſſe, ſed talem, qvalem etiam accipiunt noviſſimi, qvi præferuntur in mercedis erogatione primis, qvamvis hi in labore illos antecedant, & ſi merces proprie dicta ſecundum laborum qvantitatem rependenda, illis eſſent anteferendi. 2. Illi, qvi per unam horam laborarunt, accipiunt denarium, ſed ut gratuitam mercedem, qvia ſecundum laborem ſuum, & ex debito illam poſcere non valuerunt. 3. Paterfamilias gratuitum ſuum favorem in compenſandis laboribus noviſſimorum, diſertis verbis allegat. *v.* 15. 4. Per *denarium* non poteſt intelligi *vita æterna*, qvia datur etiam murmurantibus, qvi in hâc parabola conferuntur non Electis: Textus ergo συνέπεια cogit nos, ut per *denarium* intelligamus in genere præmium, bonis operibus promiſſum, qvod datur vel illis qvi expectant gratuitam, vel illis qvi poſtulant debitam mercedem: illi qvia gratiam Patrisfamilias non repellunt & temporalia accipiunt præmia; Hi *temporalem* reportant

tant compensationem, cum indignatione Patris familias *æternis præmiis* ipsos privantes.

VIII. Non refragamur, si doceatur vitam æternam dari & Filiis, ut hæreditatem, & laborantibus, ut mercedem, si merces intelligatur impropriè sic dicta: Qvod autem merces vere & propriè sic dicta sit vita æterna non admittit 1. hæreditas, qvæ dum est filiorum, non est stipendium Servorum. 2. laboris inæqvalitas, cujus nulla est proportio ad vitam æternam. 3. Dei intuitus, qvo laborem respicit ut conditionem qvandam, seu partem ordinis promissioni inclusam, non autem ut causam, propter qvam detur vita æterna. Vult qvidem Deus, ut hæredes vitæ æternæ sint laborantes in vinea sua, sed qvod propter laborem nolit dare promissum præmium, citata in Parabola Christus dilucide tradidit.

IX. Cum Christo assignatur merces *Esa.* 40, 10. *cap.* 62, 11. *Apocal.* 22, 12. illa non nostris tribuenda est operibus: Sic etiam vita æterna est merces proprie dicta; sed Christi, non nostra.

X. Merces in Bibliis dicitur aliqvando qvodvis commodum & Emolumentum, qvod ex labore & opere qvodam percipitur: Sic Asiæ reformationi promittitur merces 2. *Paralip.* 15, 7. qvæ fuit pax temporalis, ad certum tempus, uti legitur *v.* 15. & 19. hujusmodi autem pax datur etiam interdum Impiis Regibus & ceu merces propriè dicta æstimari nqvit: *Prov.* 11, 18. merces fidelis opponitur operi instabili, qvod facit impius, ut significetur, hujus ex labore fructum promanare transeuntem, cum piorum labores solida & permanentia pariant bona.

XI. In *libro Sap.* & *Siracidis* manifesta est distinctio *mercedis gratuitæ & debitæ*: De *illa* scribitur, qvod sit ὁ κυρίου *Sap.* 5, 16. merces & misericordia *Sir.* 2, 8. 9. confer *v.* 13. De *hac* docetur, qvod sit μισθὸς κόπων *Sap.* 10, 17. & merces, in qva Dei benedictio, cum timentes Dominum labore suo perfunguntur. *Sirach.* 11, 24. Verba, qvæ citantur *Sirac.* 18, 22. extant in *vulgata Versione*, qvæ hæc refert: *qvoniam merces DEI manet in æternum*; At in textu *Originali* non extant hæc verba: Nihil igitur à nostra doctrina alienum citatis in dictis profertur, cum asseritur, 1. Deum ex gratia compensare pietatem. 2. Homines ab hominibus debitam accipere mercedem, cui Deus benedicit.

XII. Christus cum loqvitur de mercede Hypocritarum & impiorum, à nostra doctrina non dissentit, qva docetur, impios luere pœnas, peccatis & malis operibus condignas: Piis & bona opera exercentibus promittit qvidem Salvator mercedem. *Matth.* 5, 12. *cap.* 10, 41. 42. *Luc.* 6, 23.

6, 23, 35. verum non addit, qvod illa merces detur ex debito justitiæ, propter operum dignitatem: Insuper Salvator de hujusmodi loqvitur operibus, qvibus pii mercedem debitam repoſcere valent ab Hominibus: Sicut enim â Perſeqvutoribus & Calumniatoribus non accipiunt eam, qvam meriti ſunt gratiam & mercedem; ita illi qvi miſericordiæ operibus ſublevantur, obſtricti ſunt ad refundendam mercedem, pro oblatis beneficiis: Hanc mercedem, qvam Homines piis & verbi miniſtris debent, eamqve vel non ſolvere poſſunt, vel non ſolvere volunt, vel in convitia & perſeqvutiones convertunt, qvod Deus rependere velit, Salvator promittit: Hinc loqvitur 1. de mercede debita in reſpectu ad homines, qvi debitores ſunt, ut bene viciſſim demereantur de illis, qvi ſibi benefecerunt; 2. de mercede indebita in reſpectu ad Deum, qvi beneficia aliis collata, ex mera gratia ſibi imputat, ac ſi ſibi eſſent præſtita, & ſuis miniſtris, ex mera gratia largitur præmia, qvando ob benefacta ab hominibus reportarunt παθήματα. 1. *Petr.* 2, 19. 20.

XIII. Cum legitur in Bibliis, Deum malis operibus reddere & retribuere pœnas, intelligitur retributio condigna, qvam Deus pro ſua Juſtitia peccatis emetitur: Cum vero de bonis operibus legitur, qvod Deus illis reddat vel retribuat præmia, intelligitur 1. Declaratio innocentiæ & Juſtitiæ, in certa facti ſpecie, ut 1. *Sam.* 26, 23. 2. *Sam.* 22, 21. *Pſ.* 18, 21. 25. 2. Compenſatio beneficii, in proximum collati, qvod Deus retribuit loco proximi, qvi illud accepit *Ruth.* 2, 12. 1. *Sam.* 24, 20. *Luc.* 14. *v.* 14. qvæ compenſatio, qvod reſpectu Dei mere ſit gratuita, vel cæco apparet. 3. ſimplex ἀνταπόδοσις nulli aſtricta merito *Prov.* 13, 21. *Sirac.* 35, 13. *Matth.* 6, 4. 6. qvibus in dictis retributionis qvidem fit mentio, ſed nullo verbo docetur, qvod illa retributio fiat ex merito.

XIV. Phraſis hæc: Dabit Deus cuilibet ſecundum opera ſua; notat Juſtitiam Diſtributivam in Deo, qvi punit mala opera, & bona opera præmiis afficit: Qvod autem eo modo præmia diſtribuat, qvo diſtribuit pœnas, diſtinctio Subjectorum prohibet, ut concedamus: Nam cuilibet cum Deus retribuit ſecundum opera *Pſ.* 62, 13. *Prov.* 12. 13. *cap.* 24. 12. *Jerem.* 32, 19. *Matth.* 16, 27. *Rom.* 2, 6. 1. *Cor.* 3, 8. *Apocal.* 22. *v.* 12. 2. *Cor.* 5, 10. piis & Impiis, credentibus & incredulis diſtribuit illud, qvod his minatus eſt, illisqve pollicitus fuit: Uti autem illis gratuitam compenſationem pollicitus; ita his debitam mercedem comminatus eſt: qvia in his invenit opera, qvæ merentur pœnam, in illis multiplicem invenit imperfectionem, qvæ indiget gratia & miſericordia: Sicut enim

in legalibus promissis Deus attendit obedientiam debitam, ita in Evangelicis respicit Personæ justificatæ obedientiam imperfectam: Utriqve ex gratia promittit præmia; illi, qvia debita, huic qvia imperfecta, & non nisi propter Christum accepta est.

XV. *Bellarm.* nunqvam evincet, qvod præpositio κατὰ sive secundum, inferat retributionem secundum mensuram & proportionem bonorum operum: Siqvidem 1. hæc præpositio non extat 2. *Cor.* 5, 10. *Apocal.* 22. 12. 2. Christus *Luc.* 6, 38. pollicetur μέτρον τῷ μέτρῳ, non ut meritum, sed ut lucrum, qvod Benefacientes ex suis beneficiis possunt sperare: Inter mercedem, & opus meritorium est proportio; inter beneficium autem & μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον, σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον nulla est proportio, qvia hoc nullis modis superat illud. 3. In dicto 1. *Cor.* 3, 8. meritum non æstimatur ex dignitate laboris, uti fieri debet in merito proprie dicto; sed (1) ex distinctione laborum, in ministerio verbi, in qvo neqve plantans aliqvid est; sed incrementum dans Deus, *v.* 7. cujus gratia operatur cum Ecclesiæ Doctoribus 1. *Cor* 15, 10. (2) ex distinctis Doctorum Auditoribus, qvi aliqvando lucrum illud perdunt, qvod ex suo labore expectarunt docentes, aliqvando vero lucrum qvoddam ipsi Doctori conferunt, qvod in respectu Discentium est merces, qvam Doctores accipiunt â suis Discipulis. *v.* 14. 15. 4. Etsi Scriptura eâdem phrasi loqvatur de Retributione Bonorum operum, qvâ loqvitur de retributione malorum, tamen distinctio operum & subjectorum qvibus insunt, distinctam reqvirit hujus phraseos Expositionem: Ipsa etiam vox ἀποδίδωμί, in sacris literis, non semper de condigna, sed interdum de indebita & gratuita accipitur retributione. *Matth.* 27. *v.* 58. *Luca* 9. *v.* 42. &c.

XVI. *Galat.* 6, 7. 8. comparat Apostolus non seminis vim πλαστικὴν cum operibus Spiritus, qvasi hi æqve essent causæ præmiorum & vitæ æternæ, atqve illa est causa frugum; sed confert 1. Seminum diversa subjecta, cum distinctis operum subjectis 2. seqvelam messis qva seqvitur sementem facientes, cum seqvela vitæ æternæ & corruptionis, qvæ seqvitur diversa Hominum opera, ut hic emergat sensus: Sicuti seminans in agro corrupto, metit ex eo corruptionem; ita exercens opera carnis recipiet marcessibiles fructus: Vice versa: Sicut seminans in agro fertili & exculto, fruges metit optatas; ita exercens opera Spiritus consequitur vitam æternam: Describitur hac Comparatione 1. bonorum & malo-

malorum operum *subjectum*, qvod respectu illorum est hõmo novus, qvi confertur fertili agro, respectu horum vetus Adam, qvi confertur Agro sterili & minus exculto. 2. *Ordo*, qvo bona opera seqvitur messis læta, & mala opera seqvitur messis ingrata: Latius qvi extendit hanc comparationem, & concludit, eo modo operari fructus Spiritus vitam æternam, qvo fructus carnis operantur corruptionem, item, causam esse Bona opera vitæ æternæ, sicut semen in agro fertili est causa frugum; non attendit Apostolica verba, qvibus semen & sementem facientes fruges & metentes copulat, ut ostendat, se non abstracte considerare semen & fruges, sed concretè, qvatenus circa utrumqve objectum, homines pro diversitate temporum distinctis versantur laboribus, & pro diversitate subjectorum distinctos laborum percipiunt fructus: Meritum ergo bonorum operum hic nullum stabilitur; sed potius evertitur: uti enim Semen in agro inculto ex se noxias parit fruges, ita mala opera per se merentur corruptionem, & veluti Semen in cultis novalibus non nisi ex benedictione Domini fructum fert: ita Bona opera non nisi ex Dei gratia seqvitur vita æterna. Confer cum nostra expositione Dicta prophetica *Jerem.* 4, 3. *Oseæ* 10, 12.

XVII. Certantibus cum promittitur vita æterna, non proponitur ut merces, qvæ meritis acqviritur; sed ut corona, qvæ non datur, nisi iis qvi dextre decertarunt. 1 *Cor.* 9, 25. 1. *Tim.* 12. 6. 2. *Tim.* 4. *v.* 7. 8. *Jacob.* 1, 12. *Apocal.* 2, 10. Ex his non possumus ita inferre: Sicut στέφανος illis datur, qvi meriti sunt, ita etiam vita æterna datur ex præcedente merito. Est hic rursus fallacia Comparatorum, qva detorqventur ad milites spirituales omnia & singula, qvæ sese offerunt in militibus carnalibus: Qvemadmodum autem multiplex inter hos est disconvenientia; ita maximè differunt in corona, qva coronantur: Horum corona non transcendit humana merita, & sic certando ab hominibus potest acqviri: Illorum autẽ corona omnia hominum merita transcendit, qvia comprehendit αἰώνιον βάρος δόξης, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν 2. *Cor.* 4, 17. ad qvod Hominum merita nullam habent proportionem: sed datur ex sola Dei gratia, Christi merito fide apprehenso, & non ex nostris operibus, uti suo loco evictum: Dicitur ergo vita æterna στέφανος 1. ratione Hominum qvibus datur; Hi enim militant prius, anteqvam in cœlis triumphant. 2. ratione ordinis, qvo certamen præcedit coronationem. 3. ratione concomitantium: qvatenus mi irem carnalem & spiritualem multiplex labor, Coronam marcessibilem & immarcessibilem multiplex ho-

nor & gloria concomitatur: Si obtinere velis, dici Vitam æternam στέφανον, qvia meritis hominum debetur, probandum est, pios & justificatos â gratia Dei & merito Christi accepisse robur & vires, qvibus mereantur vitam æternam.

XVIII. Currentibus in stadio cum promittitur vita æterna, hæc non intenditur, ut merces proprie dicta, qvam currendo qvis mereatur; sed ut finis & scopus, ad qvem cursus pietatis dirigitur. Proinde ex dictis 1. Cor. 9, 24. Philip. 3, 13. 14. Hebr. 12, 1. 2. non potest elici hæc illatio: Sicut currentes in stadio cursu suo merentur βραβεῖον; ita pii, currentes in stadio Bonorum operum merentur ζωὴν αἰώνιον: Differentia inter τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως, & inter τὸ βραβεῖον ἀνθρωπίνης σωθέντως hanc consequentiam repudiat, cum de illo clamet Apostolus: Non est volentis neqve currentis, sed miserentis DEI Rom. 9, 16. Dicitur itaqꝫ βραβεῖον Currentium vita æterna, qvia 1. certa in via decurrendum antequam ad eam perveniamus. 2. Cursus, qvo tenditur ad ipsam, caute, studiose & constanter perficiendus. 3. in cursu ad ipsam non debemus otiari, retrogradi vel extra limites divagari. 4. ad metam currendo pertingunt, qvi cursum consummantes eam apprehendunt: Breviter, Confertur vita æterna βραβεῖῳ currentium in stadio propter viam decurrendam, Currentium prudentiam, constantiam, progressum & scopum præfixum; non vero confertur βραβεῖῳ, propter meritum, qvo illam promeremur.

XIX. Cum particulis γὰρ, οὖν, διὸ &c. vita æterna connectitur Bonis operibus, uti fit Matth. 25, 34. 35. Apocal. 7, 15. &c. non potest concludi, qvod Bona opera sint vitæ æternæ causa meritoria: Nam 1. hæ particulæ aliqvando sunt συλλογιστικὰ; non semper ἀποδεικτικὰ, inferunt ex effectu, non indicant causam: vide Exempla 1. Cor. 10, 5. 1. Thess. 2. v. 17. 18. 1. Tim. 1, 13. 2. Verba Christi Matth. 25, 34. commendant Bona opera illorum, qvi sunt benedicti & Hæredes: hi non possident regnum ex merito, illi fide, non per opera sunt benedicti Galat. 3. v. 8. 3. Paulus 2. Tim. 1, 16. de operibus misericordiæ testatur, qvod indigeant misericordia in extremo judicio. 4. in verbis Christi Matth. 25, 21. particula γὰρ non legitur, & præmium, qvod fideli servo promittitur, qvia superat laborem exantlatum, manifestum est gratuitæ Compensationis indicium 5. In Apocalypsi fatentur Beati se ex Christi merito possidere vitam æ-

ternam

ternam *Apocal.* 7, 14. *cap.* 5, 8. 9. cui qvod nostra παθήματα subordinata sint, ceu merita proprie dicta, nunqvam Adversarii probarunt.

XX. Afflictiones piorum in se consideratæ, ut sunt pœnæ peccati non possunt mereri Vitam æternam; Ratione credentium autem & Justificatorum â qvibus sustinentur, sunt Dei vel vehicula qvibus suos provehit, ut introeant per multas tribulationes, hoc est per viam angustam & difficilem regnum cœlorum, *Actor.* 14, 21. *Matth.* 7. *v.* 14. vel instrumenta, qvibus suam declarat majestatem 2. *Corinth.* 4. *v.* 17. Sic & afflicti ex multis tribulationibus venire dicuntur beati ad thronum DEI *Apocal.* 7. *v* 14 qvia hanc viam & ordinem DEUS præscripsit salvandis, qva seminant in lachrymis, anteqvam metunt in exultatione *Psalm.* 126. *v.* 5. Imagini crucis Christi fiunt conformes, anteqvam perveniunt ad Christi gloriam *Rom.* 8, 29. crucem Christi suscipiunt, & sic præeuntem Christum seqvuntur *Matth.* 16, 24.

XXI. Præmium datur bonis operibus ex justitia, qva Deus confert 1. pios tribulatos, & impios tribulantes? Hos sæpè coronant & evehunt, illos vero condemnant & deprimunt injusti judices hujus seculi; Deus ergo ut justus Judex tandem illis dabit reqviem, & Justitiæ coronam, his ultionem 2. *Thess.* 1, 4 5. 6. 2. *Tim.* 4, 7. his qvidem ex merito, illis autem ex gratuito promisso, qvia οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν *Rom.* 8, 19. 2. opera bona in mente humana & in mente sua: In illa sæpe traduntur oblivioni beneficia collata, in hâc autem conservantur *Hebr.* 6, 10. non eo fine, ut debita ipsis reddatur merces, sed ut ex gratia Dei propter Christum remunerationem consequantur.

XXII. Promissiones de vita æterna & donis temporalibus affixas legimus præceptis de bonis operibus *Matth.* 19, 17. *v.* 29. *Jacob.* 1, 12. sed Deum in promittendo respexisse operum bonorum dignitatem & meritum, probandum est, & semper manet λίαν μέγα ἄτοπον, qvod Pontificii urgent, ut infallibile Axioma.

XXIII. Deus non ideo sit προσωπολήπτης, qvia dat præmia sine nostris meritis; Nam 1. semper respicit meritum Christi fide apprehensum. 2. non invenit ulla merita proprie dicta, in Hominibus credentibus. 3. Scriptura Deum nominat ἀπροσωπολήπτην, qvia non respicit gentium differentiam in hominibus qui operantur Justitiam. *Actor.* 10. *v.* 35. *Rom.* 2, 10. 4. nusquam legitur, qvod Deus sit ἀπροσωπολήπτης, qvum condignam mercedem æqvè tribuit operibus imperfecte bonis, atqve perfecte malis

XXIV. De

XXIV. De Dei Justitia, qva judicat ut justus Judex, audienda Spiritus S. doctrina, non Aristotelis Ethica: Illa nos erudit, 1. Dei Justitiam aliqvando notare ejus bonitatem *Ps.* 143, 1. *Dan.* 9, 16. *Ps.* 103, 6. 2. justum esse Deum, qvando ex gratia propter Christum remittit peccata, & nullam Justitiam hominum suo in judicio agnoscit sufficientem. *Rom.* 3, 25. 26. 1. *Joh* 1, 9. 3. Deum esse justum Judicem, in causis & Negociis, qvibus innocentes vel pii damnantur, & rei vel impii absolvuntur, qvando sistuntur Judiciis Humanis. *Ps.* 9, 5. *Ps.* 26, 1. &c. Nondum itaqve evictum est, qvod secundum dignitatem operum, Deus tribuat piis præmia, cum de illo docetur, qvod secundum Justitiam judicet, ut justus Judex 1. illum damnans, qvi Christum contemnit, & illum absolvens, qvi in Christum credit, 2. causam justam defendens, injustam vero puniens.

XXV. Vox εὐάρεστος notat Rem *gratam* & *placentem Rom.* 12, 1. *cap.* 14, 18. 2. *Cor.* 5, 9. *Ephes.* 5, 10. *Philip.* 4, 18. *Hebr.* 11, 6. Idcirco *Hebr.* 13, 16. si significare debet rem meritoriam, solidis argumentis illud est evincendum: Non enim omne acceptum & gratum est meritorium, cum & obedientia filii placeat Parenti, ut unque non sit meritoria.

XXVI. In Bona opera esse confidendum, non docet 1. *Tobias cap.* 4. *v.* 12. qvia textus græcus ita habet: δῶσον ἀγαθὸν ἐστὶ ἐλεημοσύνη πᾶσι τοῖς ποιοῦσιν αὐτὴν, ἐνώπιον τοῦ ὑψίστου. 2. *Sophar Job.* 11. *v.* 14. *seqq.* qvi saltem testatur, Bonam Conscientiam non admittere formidinem. 3. Paulus, qvi *Rom.* 5. *v.* 4. spem describit, ut consequens tribulationis, non autem ut fundamentum fiduciæ, & 1. *Timoth.* 3. *v.* 13. pollicetur illis, qvi benè ministrant, gradum ad altiora munera, & παῤῥησίαν, non in bonis operibus, sed in fide in Christo Jesu. 4. Apostolus *Hebr.* 10. *v.* 35. qvi de fiducia affirmat, qvod habeat μισθαποδοσίαν magnam, sc. ex promissione Dei; qvod autem hæc fiducia sit collocanda in bona Opera, non dicit Apostolus. 5. Johannes, qvi 1. *Joh.* 3. *v.* 21. laudat παῤῥησίαν Bonæ conscientiæ, qvâ Deo confidimus, qvia peccatis contra Conscientiam fidem justificantem non excussimus.

XXVII. Cum legitur, qvod Sancti interdum provocent ad sua bona Opera *Nehem* 5. *v* 19. *Ps.* 17. *v.* 21. *Esa* 38. *v.* 3 &c. non describitur fiducia in merita operum, sed desiderium præmii, qvod Deus bonis operibus & pietati promisit: Nisi enim promissio Dei extaret, neqve petere neqve sperare possent credentes ullam Compensationem bonorum operum, cum sciant, Deum sibi nullo esse obstrictum debito.

XXVIII.

XXVIII. Renati intueri debent promissiones Dei, datas Bonis operibus, & promissa præmia, ut incitamenta pietatis, & remedia desidiæ, nobis connatæ, non autem ut merita propriè dicta: Prius, non hoc posterius indicant textus seqq. *Philipp.* 3 *v.* 14. *Hebræ.* 11. *v.* 26. *Galat.* 6. *v.* 9. 1. *Cor.* 9. *v.* 24. *Coloss.* 3 *v.* 24.

XXIX. Inter gratiam bene agendi & Vitam æternam qvod sit proportio, non inficiamur, sed opera nostra, qvæ ex gratia Dei proficiscuntur & nondum sunt perfecta in hâc vitâ, qvod proportionem habeant ad vitam æternam, negamus. Vide *Brent. tom.* 8. *p.* 338. *D. Chemnit. in Exam. C. Trid tit. de meritis oper. parte* 3. *Loc. Theolog. pag.* 91. *seqq. D. Baltum lib.* 3. *de Justif. cap.* 32. *seqq. Hunn. tom.* 1. *op. col.* 621. *seqq. D. Mentz. disp.* 5. *Anti-Pistor, thesi* 215. *seqq. D. Balduin. disp.* 3. *de Bon. Operib. D. Hutter. in L. Theolog. art.* 14. *q.* 3. *Gerhard. tom* 4. *L.* 20. §. 88. *seqq.*

## Qv. VII. *Num Bona Opera sunt ad salutem obtinendam necessaria?*

## THESES.

I. De salute & vita æterna vel qvæstio movetur ex Lege, vel ex Evangelio: Si ex illâ, affirmamus, qvod Legis obedientia perfecta illi sit necessaria, qvi juxta Legis doctrinam obtinere cupit æternam salutem, uti Salvator Legis peritum *Luc.* 10, 26. & Adolescentem *Matth.* 19. *v.* 17. erudiit: Si ex hac, negamus, qvod Evangelium doceat, Bona opera ad salutem acqvirendam & obtinendam homini esse necessaria, qvia 1. Evangelium in eo differt â lege qvod non promittat vitam æternam sub conditione operum, uti evictum controv. 41 hujus lib. 2. justificamur fide sola absqve operibus legis, uti probavimus *Controv.* 6.

II. Qvamvis Bona opera juxta doctrinam Evangelii, neqve ut *causa meritoria* neqve ut *causa Instrumentalis*, neqve ut *causa efficiens* necessaria sint ad 1. salutem obtinendam 2. Homini justificando: sunt tamen necessaria 1. Homini salvando, ut tramites, qvibus in via nostra ambulandum, *Rom.* 2, 7. *Galat.* 5, 16. *Ephes.* 5, 2, 9. 15. *Hebr.* 12, 1. &c. & ut arma qvibus resistendum Diabolo, *Ephes.* 6, 13. *seqq.* mundo 1. *Petr.* 4, 2. 3. *Tit.* 2, 12. & carni *Rom.* 8 *v.* 13. 2. Homini justificato, ut Effectus fidei, vivæ *Galat.* 5, 6. *Jacob.* 2, 18. *seqq.* & ut exercitia, qvibus homo DEO gratias agit, proximo inservit & seipsum regit, uti q. 11. dilucidabitur.

III. Pseudo Apostolorum Dogma ab Apostolico concilio condemnatum, non meretur approbationem: Atqvi Necessaria esse opera legis

gis ad salutem obtinendam, est Dogma ψευδο Apostolorum &c. *Actor. 15. v. 1. 5. seqq.* Confer etiam *Epist. ad Galat. cap. 2. 3.* E.

## ANTITHESES.

I. *Bellarm. l. 4 de Justif. cap. 7.* nobis opponit hanc assertionem: *Nos contra dicimus, opera Bona homini justo esse necessaria ad salutem, non solum ratione præsentiæ, sed etiam ratione Efficientiæ, quoniam efficiunt salutem & sine ipsis sola fides non efficit salutem.* Confer *Pistor.* im Wegw. *pag.* 188.

II. *Ana-Baptistæ* docuerunt, Bona opera necessaria esse ad salutem, licet fiducia in bona opera non sit collocanda. Vide *Menii* scriptum, *Anabapt.* oppositum & *Schlusselburg. lib. 12. Catal. pag. 352.*

III. *Monasterienses* rejecerunt propositionem, qva docetur, qvod Fides salvet sine bonis operibus, cui oppositum hanc: Fides salvat, sed non sine B. operibus. Vide *Urbanum Regium in scripto* his oppositio.

IV. *Neo-Photiniani*, ipsissimam veritatem Evangelicam in hâc latere, dictitant, propositione: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Vide *Smaltz. contra Frantz. pag. 355.*

V. Et *Ebionitæ* olim docuerunt, observationem legis Mosaicæ esse necessariam ad salutem *Iren. l. 1. cap. 26.* qvorum Magistri fuerunt *pseudo Apostoli.*

## HYPOTHESES.

I. *Bellarminus* in tota hâc disputatione confidit 1. fictitio discrimini Legis & Evangelii, qvo commiscet V. T. cum lege, & N. T. cum Evangelio, adeoqve neutrum discrimen neqve Legis & Evangelii, neqve V. & N. T. dextre explicat. Verum Discrimen traditum lege supra *Controv. 4.* 2. Præceptis â Christo additis legi morali, de qvibus vide supra. 3. Necessitati bonorum operum, qvam nemo negat.

II. Absqve Adversario disputat *Bellarm.* qvando *l. 4. de Justif. cap. 5.* monstrare conatur, Christum esse 1. Prophetam, qvi sit audiendus, 2. Legislatorem cui sit obtemperandum, 3. Regem cujus leges servandæ 4. Dominum qvi dedit præcepta de Sacramentis & 5. Christum cum Apostolis approbasse legem Mosaicam &c. Hæc enim & similia probant thesin, qvam nos ipsi adstruimus suo loco, & mera calumnia est, qva de nostris Ecclesiis fingitur, qvod doceant talem libertatem Christianam, qva Moyses cum suo Decalogo nihil pertineat ad justificatos, qvia Christus saltem sit Redemptor, & non Legislator, cujus præceptis sit obtemperandum.

III. Promittitur vita æterna in Lege & in Evangelio sub certa conditione, sed in illa, sub conditione perfectæ obedientiæ, qvam lex præcipit,

cipit, in hoc sub conditione tantum fidei in Christum: Secundum conditionem, præscriptam â lege, opera sunt necessaria ad salutem, non autem respectu Conditionis, qvam promissio Evangelica sibi habet annexam.

IV. Justi obligati sunt ad obedientiam Legis, sed non eo fine ut eam perfecte impleant, adeoqve per legis opera salvi fiant: Alii sunt fines Bonorum operum, de qvibus deinceps dicendum.

V. Abstinendum â peccatis justificando, & justificatus tenetur mortificare carnem: Præcedit ergo Justificationem peccati fuga & detestatio ut pœnitentiæ Exordium: Seqvitur Justificationem, carnis mortificatio, ut pœnitentiæ Effectum: Neutrum ingreditur Justificationis actum, neutrum salutem æternam promeretur.

VI. Patientiam esse necessariam, ut reportemus promissionem, non legitur *Hebr.* 10, 16. sed cohæsio talis est in textu Apostolico: Patientia necessaria est, ut facientes voluntatem Dei reportetis promissionem. Voluntas autem Dei est, ut per παθήματα transeamus ad æterna gaudia, qvæ patientia nostra non acqvirit, licet iis qvi ad ea contendunt, necessaria sit.

VII. Ad salutem æternam ne dicas necessaria, qvæ necessaria sunt salvandis: Qvicqvid enim ad salutem ipsam necessarium, illud salutem vel acqvirit, vel apprehendit: Multa autem sunt in Salvandis necessaria, ut agnitio peccati, vita animalis, lucta carnis & Spiritus &c. qvæ salutem nec acqvirunt, nec apprehendunt: Sic ad sanitatem corporis recuperandam necessaria est medicinæ δόσις καὶ λῆψις; verum sanando Homini plura sunt necessaria, videlicet qvies, somnus, moderata diæta, lectus stratus &c. qvæ sanitatem ipsam non restituunt, utcunqve subjectum sanandum præservent ab hujusmodi accidentibus, qvæ sanitatem possent remorari.

VIII. In Dicto Apostolico 1. *Tim.* 2. *v. ult.* verum sensum perspicies, si advertas 1. particulam ἐὰν, qvæ hic non potest notare causam, nisi omnes pias virgines & steriles Uxores velis æterna salute privare; notat autem actum muliebrem, qvo patitur pœnas peccati, & tamen in illo non semper est obnoxia æternæ damnationi, sic particula ἐὰν usurpatur non semper αἰτιολογικῶς; sed vel ἐμμέσως de medio & via *Luc.* 17. v. 11. *Hebr.* 11, 29. vel πραγματικῶς de modo & ordine *Actor.* 14, 22. vel συνεχῶς de tempore continuato *Hebr.* 2, 15. *Matth.* 26, 61. *Marci* 2, 1. vel ἐνυπαρκτικῶς de statu, in qvo qvis versatur, & ponitur pro IN. *Rom.* 2.

*v.* 27. *cap.* 4, 11. *Galat.* 4, 13. *Hebr.* 7, 9. Vide *Glass. lib.* 3. *Philol. sac. tract.* 6. *Canone* 9. 2. vocem pluralē μέλλουσιν qvæ per *Enallagen numeri* construenda cum *Nomine singulari* γυνὴ, ut significetur, *quamlibet* non *unam* duntaxat intelligi fœminam ex illis, qvæ parturiunt: Similis *Enallage* occurrit *Esa.* 49, 15. Vide *Glassium lib.* 3. *Philol.* 5. *tract.* 3. *Can.* 53. 3. Conditiones, qvas Apostolus præscribit salvandis puerperis, qvæ si salutem æternam velint adipisci, parere debent, non ut infideles, scorta, adulteræ & impudica prostibula, sed manere debent in fide, dilectione. Si jam colligas: E. non sola Fides, sed etiam, Dilectio castitas &c. sunt necessaria ad salutem, reponis συλλογίσμων συλλογισμὸν τὸ ἐπόμενον & concludis, necessaria esse ad salutem, qvæ necessaria sunt Salvandis. Similis συλλογισμὸς exurgit si ex Dictis 2. *Cor.* 7, 10 *Rom.* 8, 13. *Philipp.* 2, 12. inferas, ad salutem obtinendam Bona opera esse necessaria.

IX. Apostolus *Rom.* 10, 9. 10. Confessionem oris, & fidem cordis conjungit, ut ὄργανον δοτικὸν, qvod est Confessio, in præconio publico, vel annunciatione Evangelii, & ὄργανον λητικὸν qvod est fides apprehendens Christum. Utrumqve est necessarium ad salutem, ceu Instrumentum, Fides ex parte Hominum; Confessio oris ex parte DEI: Non ergo confessio oris hoc loco notat nudum fructum Fidei justificantis, qvalis est celebratio & professio divinæ veritatis; sed notat insimul actum ministerialem, qvo homines Deo serviunt in prædicando Evangelio: Patet hoc 1. ex scopo Apostoli, qvi est verbum fidei *v.* 8. & justitia fidei *v.* 6. 2. ex dicto *Deuteron.* 30. qvod allegat Apostolus *v.* 6. 7. 8. & ex eo infert Confessionem de Christi Resurrectione, esse illud verbum, de qvo Moyses affirmat, qvod sit in ore fidelium publici ministerii in Ecclesia Israelitica, ad qvod Moyses respicit. 3. ex *seqq. v.* 14. *seqq.* qvibus disputat de medio, fidei generandæ necessario, qvod est verbum ore annunciatum & auribus haustum, ex qvo est fides *v.* 17. ex fide vero sequitur Invocatio *v.* 14. qvam sequitur vita æterna, ad qvam necessaria est Fides & publica Evangelii prædicatio, non autem opus legis, qvia Apostolus removit â Justitia Fidei *v.* 6. omnia Legis opera. Confer *D. Mentz. tom.* 1. *disput. Giess. in Analysi cap.* 10. *Ep. ad Rom.* & intelliges: Dicti Apostolici hunc esse sensum: *Qvi corde credit Evangelio, justificatur, & si illud aliis annunciat, seipsum & alios salvat.*

X. *Jacobus cap.* 1, 21. opponit λόγῳ ἐμφύτῳ simplici ἀκροατῇ, qvi auribus solis haurit verbum prædicatum, idqve nec fideli corde custodit nec opere exprimit: Insuper non loqvitur de sola *lege morali* qvia hæc

sola

sola non sonat in Ecclesia N. T. sed de *lege generaliter* sumpta, qvæ notat Doctrinam legis & Evangelii, revelantem Dei voluntatem, hanc qvi facit salvatur, teste ipso Christo *Matth.* 7, 21. qvalis autem sit hæc voluntas, & qvomodo facienda, neqve Christus neqve *Jacobus* citatis locis explicant, sed illud ex aliis dictis discendum.

XI. Ut proximis remittamus παραπτώματα, qvibus nos offenderunt, si velimus obtinere nostrorum peccatorum Remissionem, S. Scriptura passim monet, & Salvator in oratione Dominica inculcavit: verum in parabola de Rege & Servo Debitore *Matth.* 18, 23. *seqq.* evidenter docet idem Salvator, qvomodo condonatio nostra, qva proximo condonamus, à DEO reqviratur? non sane ut causa, ob qvam Deus remittit nobis nostra peccata; sed ut grati Affectus indicium, qvam Deus reqvirit ab illis, qvibus ille remisit multa peccata, *v.* 22. Qvi igitur non condonat proximo offensas, vel obstaculum ponit gratiæ divinæ, qva remittuntur peccata vel eam gratiam repellit & excutit. Qvi autem condonat proximo delicta, ille vel obstaculum fidei justificantis removet, vel gratitudinem suam erga Deum declarat, salutem autem suam nec acqvirit, nec promeretur. Confer *Chemn.* P. 3. *L. Theol. p.* 34. 77. *D. Battum lib.* 3. *de Justif. cap.* 25 26. *Hutter. Comm. in F. Conc. pag.* 423. *Hunn. tom.* 1. *oper. col.* 645. *seqq. Gerhard. tom.* 4. *L.* 20. §. 43. *seqq.*

Qv. VIII. *Num bona opera sunt necessaria ad salutem conservandam?*

## THESES.

I. JUstificantem gratiam & æternam salutem conservari in justificatis, virtute Dei, ceu causa principali, & fide justificante, ceu causa instrumentali; Scripta docent Apostolica, in qvibus asseritur 1. Christum nos confirmare in finem 1. *Cor.* 1, 8. eum perficere bonum opus, qvi cæpit. *Phil.* 1, 6. Deum facere abundare in charitate, ad confirmanda corda in sanctitate. 1. *Thessal.* 3, 12. 13. Deum pacis sanctificare Justificatos per omnia, ut integer Spiritus sit, anima & corpus sine qverela, in adventu Domini nostri Jesu Christi 1. *Thessal.* 5, 23. Christum esse τελειώτην πίστως *Hebr.* 12, 2. 2. Credentes virtute DEI custodiri ad salutem, per fidem. 1. *Petr.* 1, 5. Fide stare *Rom.* 11, 20. salvari per Evangelium, Fide receptum ac conservatum 1. *Cor.* 15, 1. 2.

II. Bona opera esse necessaria justificatis, ne Fidem justificantem, gratiam Dei Spiritum S. & consequenter vitam æternam amittant, toties fieri S. Scriptura, qvoties justificatos ad studium Bonorum operum adhortatur, & de peccantibus contra conscientiam testatur, qvod amittant fidem & spiritus S. gratiam. Vid. *Gerh de B. O. §.* 27.

III. Bona opera esse necessaria ad Justitiam Fidei & salutem conservandam, Analogia Fidei non concedit, qvia 1. Bona opera sunt fructus Fidei justificantis & gratiæ, qvâ Spiritus S. operatur in credentibus: Nulli autem fructus conservant vim prolificam in plantis, sed illam conservatam ostendunt atqve declarant. 2. Bona opera ne qvidem inchoare in nobis possunt Justitiam coram Deo, & vitam æternam, uti patet ex dictis, E. multo minus eam possunt conservare. 3. Bona opera conservantur â gratia justificante, â qva dependet salus æterna: Hac enim gratiâ amissa nulla bona opera Deo placent: Causa itaqve conservans, non potest esse res conservata, & vice versa.

## ANTITHESES.

I. *Concil Trident. sess. 6. can. 24.* ita definit: *Si qvis dixerit, Justitiam acceptam non conservari atqve etiam non augeri per Bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse Justificationis adepta, non etiam ipsius augendæ causam, anathema sit.*

II. *D. Joh. Major* in qvibusdam scriptis linguam suam â Papistarum veneno non satis retraxit, cum usus est hâc phrasi: *Bona opera sunt necessaria ad salutem conservandam.* Vide *Colloq Altenb. Acta pag.* 152. Qvamvis autem *Electorales Theologi* hanc phrasin excusare conentur, uti videre est in dictis *Actis pag.* 254. 398. tamen rectius consuluissent Ecclesiæ paci, si illam condemnassent, ut pugnantem cum ὑγιαινόντων λόγων.

## HYPOTHESES.

I. Non sunt commiscendæ hæ propositiones: 1. Bona opera sunt Renatis necessaria ad exercendam Fidem qvâ Justificantur & salvantur 2. Bona opera sunt justificatis necessaria ad conservandam gratiâ justificantem & salutem æternam: *Illa* consona est sacris literis, & Fidei Analogiæ: *Hæc* vero non: Illa de necessitate effectus ex causa prosilientis; hæc de necessitate causæ, effectum producentis loqvitur.

II. Spiritus S. non approbat in Bibliis hanc Consequentiam: Si peccata contra Conscientiam excutiunt gratiam justificantem & repellunt æternam gloriam; bona opera conservant gratiam justificantem & æternam gloriam: *Antecedens* qvidem legitur in sacris literis, sed non ex eo infertur Conseqv., nec sunt obvia Dicta & Exempla de Bonis operibus conservantibus Justitiam, & vitam æternam in renatis, qvæ passim leguntur de malis operibus, gratiam Justificantem excutientibus.

III. Ut pharmaca præservantia, non ipsam sanitatem Corporis & vitam

vitam naturalem conservant, qvando pravis resistunt humoribus, ê qvibus morbi gignuntur: ita Bona opera non conservant sanitatem Animæ & vitam spiritualem, qvando resistunt Concupiscentiis carnalibus & secularibus, qvibus gignuntur peccata mortalia & regnantia. Sanitas corporalis & vita naturalis conservatur â corporis intrinseca constitutione, in qva ne oriatur δυσκρασία, impediunt pharmaca præservantia. Sic sanitas Animæ & vita spiritualis conservatur in Renatis â Christo ceu pane vitæ per fidem nobis unito, cujus spiritui ne malitiose resistant peccata regnantia, prohibent & impediunt Bona opera.

IV. In dicto 2. *Petr.* 1, 10. non legitur in textu originali, ἀπὸ τῶν ἔργων. Aliud & *causa cognoscendi*; aliud *causa constituendi*. Bona opera nos qvidem erudiunt, qvod fide viva simus præditi, non autem constituunt vel conservant ipsam vitam spiritualem. Prius asserit *Johannes* 1. *Epist.* 4, 12. Posterius negat Salvator in Parabola de vite, *Joh.* 15. qva Bona opera confert fructibus palmitum, qvi suam vitam â vite, non â fructibus trahunt. Confer *Acta coll. Altenburg. Hypoth.* 4. & *Schlusselb. lib.* 7. *catal. pag.* 772. *seqq.*

Qv. IX. *Annon toleranda hæc propositio: B. opera sunt necessaria ad salutem, cum additur sana & orthodoxa Explicatio?*

## THESES.

Subscribimus calamo & animo his verbis in *Form. Conc. pag.* 707. *Etsi ante motam controversiam (videlicet de necessitate Bonorum operum) multi sinceri Doctores ejusmodi phrasibus in Explicatione sacræ Scripturæ usi sunt; non autem eo animo qvod commemoratos Papistarum errores confirmare vellent, tamen cum interea de ejusmodi phrasibus disceptationes, scandala, & distractiones varia exorta sint, longè tutissimum est (juxta Pauli Admonitionem) formam sanorum verborum non minori diligentia, qvam ipsam sinceram doctrinam firmiter retinere: qva ratione multis non necessariis concertationibus ansa præciditur & multa in Ecclesia DEI offendicula præcaventur.* Confer *Gerhard. tom.* 4. *Loco* 20. §. 46.

## ANTITHESES.

I. Cum *Liber Interim* obtruderetur Ecclesiis Evangelicis, illi Theologi non satis caute & prudenter loqvuti sunt, qvi has enunciarunt propositiones: *Bona opera sunt necessaria ad salutem; Impossibile est sine bonis operibus salvari: Nemo unqvam sine bonis operibus est salvatus: Bona opera sunt necessaria ad salutem non acqvirendam, sed conservandam?* Vide *Acta*

des Synodi zu Eißleben *Anno* 1554. Bericht der Prediger in der Grafschafft Mannsfeld *Schlusselb. l.* 7. *Catal. p.* 41. *seqq.*

II. *D. Major & Electorales Theologi* qvidam itidem dictas propositiones defenderunt; nec revocare & condemnare illas voluerunt. Vide Bekantniß *D. Majoris Anno* 1558. Antwort wieder Ambsdorff & *Acta Colloq. Altenb.* passim. Cont. *Hutter. in Form. Conc. p.* 441. *seqq.*

III. Qvidam ex *Calvinianis* propositionem, de qva qværitur, variis coloribus pingunt: *Beza parte* 1. *Resp. vol.* 1. *op. fol.* 675. Bona opera dicit ad salutem necessaria ut qviddam cum verâ fide conjunctum. *Zanch. l.* 5. *de N. DEI cap.* 2. Bona opera vocat salutis causam instrumentalem & causam sine qva non, qvatenus per illa, ceu legitimam viam Deus nos ducit ad vitam æternam. *Praxis & medulla Catechetica Marpurgi edita Anno* 606. *qv.* 67. *&* 70. de vitæ emendatione affirmat, qvod per eam salus æterna conservetur in nobis.

Qv. X. *Num docendi sunt homines qvod Bona Renatorum opera sint peccata, & perniciosa ad salutem?*

## THESES.

I. *Formula Concord. d. l. pag.* 708. sic disserit: *Si qvis Bona opera articulo Justificationis immiscere, Justitiam aut fiduciam salutis suæ in ea reponere, gratiam Dei iis promereri & per ea salutem consequi velit, respondemus, non qvidem nos, sed Paulus ipse, idqve tertio repetit, Phil.* 3, 7. 8. 9. *qvod tali homini opera sua non tantum sint inutilia, adqve ad salutem impedimento; verum etiam perniciosa sint: Culpa tamen non est Bonorum operum per se, sed vanæ fiduciæ, qvæ contra expressum Dei verbum in opera collocatur.*

II. Bona opera renatorum in se & sua natura nec perniciosa sunt, nec peccata, sed ex accidenti fiunt perniciosa & peccata, qvando 1. æstimantur perfecta & legi divinæ exacte congrua, cum sint imperfecta & peccati lepra in carne hærente contaminata. 2. opponuntur Judicio Dei, qvo examinantur peccata. 3. æqviparantur Christi merito ac si essent meritoria, & Justitiæ divinæ satisfacientia. His respectibus ipsa S. Scriptura Bonis operibus adscribit nomina parum honorifica *Esa.* 64, 6. *cap.* 66, 3. *Galat.* 5, 4. *Philip.* 3, 7.

III. Non sunt sanæ doctrinæ conformes propositiones, qvibus nude & simpliciter dicitur: Bona opera esse perniciosa ad salutem & peccata, idcirco ab illis merito abstinemus.

## ANTITHESES.

I. *Bellarm. lib.* 4. *de Justif. cap.* 1. calumniatur qvod *B. Lutherus* docuerit: *Bona opera ex sua natura esse peccata mortalia.* II. Nicol.

II. *Nicol. Ambsdorffius Anno* 1559. publici juris fecit scriptum, cui hunc præfixit titulum: Daß die Proposition (gute Wercke sind zur Seeligkeit schädlich) eine rechte wahre Christliche Proposition sey / durch die Heiligen Paulum und Lutherum gelehret und geprediget.

## HYPOTHESES.

I. *Ambsdorffii* propositionem per manifestum *crimen falsi* omnibus Lutheranis *Bellarm.* vendicat, qvando in *Form. concord.* illa rejicitur, & ab ipsis *Ambsdorffii* sociis fuit repudiata. Vide *Acta Coll. Altenb. p.* 205. 296. 357.

II. *B. Lutherus* in assert. *Artic.* 31, 32. 36. seipsum explicat, ut facile intelligat affectus sinistri træno qvi non cohibetur, qvod loqvatur de operibus bonis in rigido Dei judicio examinatis, & peccato polluris. Confer *Gerhard. d. l.* §. 39. 40.

III. Non est legitima hæc *Ambsdorffii* oppositio: Aut bona opera sunt ad salutem necessaria; aut perniciosa: Non enim statim perniciosum qvod non est necessarium; sic ad vitam naturalem Disputatio non est necessaria, qvis autem statim inferret, disputationem vitæ naturali esse pernicioſam &c.

IV. Vitia qvæ sunt in Bonorum operum subjectis, non sunt imputanda ipsis bonis operibus nisi per accidens: sic Divitiæ etiam sunt per accidens irritamenta malorum in Corruptis hominibus, qvi eas possident, manent tamen in se & sua natura benedictio Domini *Prov.* 10, 22.

### Qv. XI. *Num ergo docendum, qvod Bona opera simpliciter non sint necessaria?*

## THESES.

I. BOna opera esse necessaria, S. Scriptura κατὰ λέξιν affirmat *Matth.* 23, 23. *Actor.* 5, 29. *Rom.* 13, 5. 1. *Cor.* 9, 16.

II. Necessitas bonorum operum qvæ sit, ex sacris literis est discendum, qvibus revelatur necessitas 1. *Consequentiæ*, qvi sequntur fidem justificantem, ut fructus boni, bonam arborem *Matth.* 7, 17. *Galat.* 5, 25. 1. *Timoth.* 1, 19. *Jacob.* 2, 17. 2. *mandati* divini, qvo renati obstringuntur ad obedientiam *Joh.* 15, 12. 1. *Thess.* 4, 3. 1. *Joh.* 4, 21. 1. *Petr.* 2, 15. 3. *debiti*, qvo renati sunt debitores, ut faciant, qvod Deus præcepit *Luc.* 17. *v.* 10. non vivant secundum carnem *Rom.* 8, 12. glorificent Deum *Matth.* 5. *v.* 6. *Phil.* 1, 11. 1. *Petr.* 4, 11. gratias agant Deo Patri creatori *Malach.* 1. *v.* 6. Filio Redemptori *Tit.* 2, 14. & Spiritui S. qvi se sanctificavit *Ephes.* 4, 30. 1. *Thess.* 4, 8. serviant Justitiæ *Rom.* 6, 16. 18. *cap.* 7, 6. & imitentur Deum Patrem ac Christum Redemptorem suum *Luc.* 6, 36. *Joh.* 13, 15. *Philip.* 2.

*v.* 5. *Ephes.* 5. *v.* 1. 4. *officii*, qvæ debemus proximo ut ipsi inserviamus *Tit* 3, 14. bonis Exemplis præluceamus *Phil.* 2, 15. & infideles ad veram pietatem invitemus 1. *Petr.* 3, 12. 16. 5. *Remedii*, qvo cavemus, ne vel nomen DEI inter nos blasphemetur *Rom.* 2, 24. 1. *Tim.* 6, 1. vel scandalum excitetur 1. *Cor.* 10, 32, *Hebr.* 12, 15. vel Adversarii nostram doctrinam calumnientur. *Tit.* 2, 8. 1. *Petr.* 2, 12. *cap.* 3, 16. 6. *ordinis* qvem DEUS præscripsit salvandis & æternæ vitæ Hæredibus, â qvibus exigit, ut carnem crucifigant cum suis concupiscentiis *Galat.* 5, 24. exhibeant corpora sua hostiam placentem Deo *Rom.* 12. *v.* 1. *seqq.* evitent pœnas, fugiendo peccata 1. *Cor.* 6, 9. *Coloss.* 3, 6. & consequantur præmia, cum sectantur bona opera 1. *Tim.* 4, 8. *Esa.* 3, 27.

III. Bona opera sunt necessaria, sed non sunt in Renatis coacta, invita & involuntaria, qvia fiunt spiritu spontaneo *Ps.* 54, 8. *Ps.* 110, 3. *Rom.* 8, 15. 2. *Cor.* 9, 7. 1. *Petr.* 2, 16. Confer *Chemnit. parte* 3. *L. pag.* 11. 12. *in Examine pag.* 175. 176. *Prætorium* im Buch vom Christlichen Leben und im Bericht wieder *D. Muscul. Battum lib.* 3. *de Justificat. cap.* 22. *Hutter. in Form. Concord art.* 4. *pag.* 432.

## ANTITHESES.

I. *Simon Magus* nugatus est, servitutem esse injustam, qvod Homines debeant bonis & honestis operibus vacare, uti ex Irenæo & Theodoretho referunt *Magdeburg. Cent.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5.

II. *Antinomi* & *Libertini* simpliciter negarunt, bona opera esse necessaria, qvi revocarunt errores *Valentinianorum* & *Eunomii*, vide de his *Iren. l.* 1. *cap.* 9. *Epiphan. lib.* 1. *tom.* 2. *hæres.* 31. *Augustin. de Hæres. cap.* 54. *de illis Sleidan. lib.* 9. *Historiar.*

III. *D. Musculus Professor Theologiæ in Acad. Francofurt. ad Viadrum* contra *Prætorium* disputavit, impugnando hanc Propositionem, Bona *opera sunt necessaria.* Vide *Prætorium* im endl. Bericht *pag.* 7. *p.* 41. *& p.* 155.

## HYPOTHESES.

I. Evolvenda ὁμωνυμία, qvæ est in vocabulo, *Necessarium*, qvod in Bibliis notat 1. necessarium qvid ad salutem *Galat.* 2, 4. *cap.* 6. 12. 2. involuntarium & invitum 2. *Cor.* 9, 7. *ad Philem. v.* 14. 3. illud, qvod non est ἀναγκάζεσθαι sive *arbitrarium*, sed debitum ratione *mandati* & *ordinis* â Deo constituti *Actor.* 14, 46. *cap.* 15, 21. *Rom.* 13, 5. 4. necessitatem *consequentiæ* vel *immutabilitatis Hebr.* 7, 12. His *posterioribus* significatis bona opera dicimus necessaria, duo *priora* significata si attendantur, bona Renatorum opera non sunt necessaria.

II. Cau-

II. Causæ illæ, propter qvas necessaria dicuntur bona opera, si indigitantur finales, lato in sensu sic appellantur, qvatenus causæ finalis nomine exprimitur omne illud, qvod rem aliqvam consequitur.

III. Qvamvis Renati, qva tales, non operentur bonum, ob pœnas evitandas, qvod servorum, non filiorum est, nec intuitu mercedis, qvod mercenariorum, non hæredum est, tamen adhærentis Carnis torporem præmiis ac pœnis Deus ad studium pietatis impellit.

IV. Non statim illud ad salutem est necessarium, qvod est certo in significatu *necessarium*: τὸ *manducare* & *bibere*, *plantare*, *domos erigere*, *arare*, *serere*, *metere* &c. est necessarium, sed non ad salutem. Conter *Pezel. parte* 5. *object. pag.* 279.

Qv. XII. *Annon doctrina de Necessitate Bonorum operum evertitur per libertatem Christianam?*

## THESES.

I. DE libertate Christiana judicandum ex regno Christi, cujus est libertas, qvod non concedit 1. libertatem politicam, & immunitatem ab obedientia qvam debemus Regimini politico, qvia regnum Christi non est mundanum, prout suo loco obtinuimus. 2. licentiam carnalem, qvam ê regno Christi eliminant Apostoli. *Galat.* 5, 13. 1. *Petr.* 2. v. 16. 3. exemptionem abomni obedientia qva legibus divinis & humanis obtemperandum, videsupra *Controvers.* 4.

II. Libertas Christiana, spiritualis est, & liberat credentes in Christum 1. â legis maledicto *Rom.* 6, 14. *cap.* 7, 6. 2. â peccati dominio *Rom.* 6, 6. *seqq. cap.* 8, 2. 3. â legis Ceremonialis jugo *Coloss.* 2, 16. 4. ab humanarum Traditionum onere 1. *Cor.* 7, 23. Vide *Hutter. in Loc. Theolog. Loco* 25. *pag.* 890. *seqq.*

III. Libertas vera non est, qva qvis solutus omni lege & ordine, ut nulli sit obstrictus ad obediendum; talis enim nec in sanctos Angelos, nec in homines qvi vixerunt in statu Integritatis, nec in ipsas beatas Animas cadit: Idcirco τὸ *liberum*, & τὸ *legi subjectum esse*, in Ecclesia Christi non sunt ἐνάντια, sed ὑπάλληλα.

## ANTITHESES.

I. *Bellarm. lib.* 4. *de Justif. cap.* 1. & 7. *B. Lutherum* ejusqve doctrinam ceu obstacula veræ pietatis vituperat, prætendens, doctrina de libertate Christiana stabiliri errores, *Simonianorum*, *Eunomianorum* & *Libertinorum*, qvi opinati sunt: *Bona opera non esse necessaria.*

II. D. *Musculus* & adhærentes semper oppoluerunt *necessarium* & *liberum*

*liberum*, negantes, qvod cum libertate Christiana consistere possit necessitas bonorum operum.

## HYPOTHESES.

I. Necessitas bonorum operum astruenda, cum qværitur. 1. An sint facienda bona opera post Justificationem? 2. An inter Adiaphora & bona opera in Decalogo præceptâ sit differentia? 3. An liceat Christianis, qvod libet?

II. Libertas Christianorum astruenda, cum qværitur 1. An sint servi peccati Diaboli & mortis qvi credunt in Christum. 2. An lex cogat renatos vel ad obedientiam perfectam, vel ad æternum exitium, ut non renatos? 3. qvo modo fieri debeant bona opera, an spiritu spontaneo, an potius ex metu pœnæ & coacte? Hæ qvoqve qvando distinguuntur, necessitati bonorum operum libertas Christiana non adversatur.

Qv. XIII. *Annon insistendum vestigiis Scholasticorum qvando distinguendæ virtutes Christianorum?*

## THESES.

I. *Scholastici*, qvi commentati sunt in *lib. 3. sent. distinct. 26. 27. 28. seqq.* fuse disputant 1. de Virtutibus Theologicis, *Fide, spe & charitate.* 2 de numero virtutum cardinalium. 3. de differentia virtutum Theologicarum, moralium & intellectualium 4. de spe, & charitate in specie; qvorum disputationes amplificarunt *Thomas parte 1. partis 2. qv. 55. seqq.* & qvotqvot *Thomam* explicarunt *Suaretz, Gregor. de Valent. &c.*

II. Ad amussim verbi divini conformant suos discursus *Scholastici*, 1. cum virtutem definiunt bonam qvalitatem mentis, qva recte vivitur, qva nullus male utitur qvam Deus in nobis sine nobis operatur. 2. cum virtutes Theologicas dicant Fidem, spem, charitatem, qvæ qvod Deum pro objecto habeant â solo Deo infundantur, Apostolus Paulus 1. *Cor.* 13. ante Scholasticos docuit. 3. cum de charitate docent, qvod habeat suos gradus, qvatenus diligendus (1) Deus per se & super omnia (2) homo ipse, qvi se diligat (3) proximus, qvi diversis societatib9 nobis conjungitur.

III. Ex Sacra Scriptura non explicantur qvæstiones, qvibus disqviritur 1. de virtute, an sit in diversis potentiis. 2. de differentia virtutum intellectualium, qvarum aliæ speculativæ aliæ practicæ. 3. de differentia Passionum virtutum moralium & intellectualium 4. de qvatuor Virtutibus Cardinalibus, Prudentia scil. Justitia, Fortitudine & Temperantia 5. de virtutum inter se æqvalitate vel inæqvalitate 6. de Charitatis ac spei Definitione, subjecto ac objecto: In his & multis aliis Rationis suæ dictamen non fidei lumen *Scholastici* attendunt, adeoqve Theologiam cum Philosophia confundunt.

IV. In

IV. In qvibusdam disceptationibus præsupponunt *Scholastici* δόγματα ἄχρατα, & ἀντίχρατα, ê qvibus fluunt qvæstiones, de 1. virtutibus Theologicis ordinantibus Hominem ad beatitudinem supranaturalem. 2. Fide & spe formatis per charitatem. 3. Beatitudinibus *Matth.* 5, 1. datis ex merito & præviis dispositionibus. 4. Virtutibus illarum Animarum qvæ detentæ fuerunt in Limbo Patrum, & adhuc torqventur flammis purgatorii Ignis. 5. Perfectione Charitatis. 6. majori merito illorum, qvi diligunt Inimicos, extraneos &c.

V. Curiosis qvæstionibus annumeramus illas, qvibus qværitur 1. An virtutes Theologicæ consistant in medio? 2. An Fides & spes in Christo fuerint? An diligendi Angeli, dæmones & creaturæ irrationales? 4. qvales futuræ virtutes post hanc vitam? &c.

## Qv. XIV. *Num Renovatis abstinendum est ab omni Juramento?*

## THESES.

I. Qvædam juramenta esse licita & legi divinæ conformia, suadent. 1. Exempla Dei, qvi juravit *Genes.* 22, 16. *Jerem.* 44, 26. *Amos* 4, 2. *Hebr.* 6, 14. 2. Exempla Christi & Apostoli Pauli, *Joh* 5, 25. *cap.* 8, 58. *cap.* 16, 19. 23. *Rom.* 1, 9. 2 *Cor.* 1. *v.* 23. *Philip.* 1, 8. 3. Dicta qvæ approbant juramenta *Exod.* 22, 11. *Deut.* 6, 13. *Esa.* 19, 18. *Jerem.* 4, 2. 4. Exempla Sanctorum Angelorum & Hominum, qvi jurarunt *Dan.* 12, 7. *Apocal.* 10. *v.* 6. *Genes.* 14, 22. *cap.* 42, 15. 1. *Reg.* 20, 3. 5. utilitates juramenti, qvo Deus invocatur ut testis & vindex veritatis, multæqve lites finiuntur.

II. Juramenta pronunciamus illicita Christianis, qvibus homines jurant 1. temere sine evidenti ratione, cum simplici affirmatione & negatione se possent expedire. 2. in nomine creaturarum, qvibus cultus religiosus non convenit. 3. contra veritatem, asserendo illud, cujus contrarium sciunt verum. 4. mendaci promisso, qvo pollicentur cum jurejurando, qvæ non servant. 5. de re vel illicita, vel impossibili.

III. Juramenta omnia in N. T. esse abrogata, non discimus ex scriptis Apostolicis: Contrarium probant. 1. Christi & Apostoli Pauli Exempla, superius citata. 2. dicta, qvæ stabiliunt officium Magistratus politici, â qvo interdum juramenta, exiguntur, ut lites dirimantur, & subditi contineantur in obseqvio. 3. vaticinia Prophetica, qvibus prædictum, qvod in N. T. jurare debeant Christiani *Esa.* 45, 23. *cap.* 65, 16. 4. argumenta, qvæ suo loco demonstrarunt, in N. T. legem moralem, ad qvam pertinent Juramenta, non esse abrogatam. Confer *Chemnit. parte* 2. *Loc. Theol. p.* 49. *tom.* 3. *Disp. Giess. p.* 517. *Pezel. parte* 3. *object. p.* 123.

## ANTITHESES.

I. Omnia juramenta damnarunt *Essæi* & *Manichæi*; Vide de illis *Josephum l. 2. Bello Jud. cap. 7.* de his *c. Nuper nobis* §1. *Ext. de Testam. Euseb. lib. 9. præparat. Evang. cap. 11. l. 6. H. Eccl. cap. 4.*

II. Christianis in N. T. nulla esse concessa juramenta, dictitant *Anabaptistæ & Photiniani.* Vide de his *Smaltz. contra Frantz. de Rebus Civil. pag. 396. de illis Schlusselb. l. 12. Catal. pag. 362.*

## HYPOTHESES.

I. Christus *Matth.* 5, 34. prohibet juramenta *temeraria*, qvæ in communi sermone citra ullam necessitatem homines effutiunt, qvoties aliqvid affirmant vel negant: qvia 1. Christus suam doctrinam corruptelis Pharisæorum opponit, uti cumprimis patet ex *Matth.* 23, 16. 2. ipse Salvator *v.* 37. seipsum explicat, & aperte indicat, se loqvi de juramento, qvod in sermone & colloqvio cum proximo, profertur, cum nec Magistratus præcipit, nec vocatio reqvirit, nec ulla prægnans ratio illud extorqvet.

II. *Jacobus cap.* 5, 12. respicit itidem ad Juramenta *temeraria*, qvæ in ὁμιλίαις Judæorum & familiari sermone fuerunt usitata: Qvod coram judicio & Magistratu nulla sint deponenda juramenta, neqve Christus neqve Jacobus docet, qvia neuter attendit actiones forenses & illos casus, qvibus juramentum est necessarium, qvum vel fidem superioribus promittimus vel de re qvadam veritati testimonium perhibere jubemur.

III. Particula ὅλως in verbis *Christi*, & verba *Jacobi*, qvibus nullum aliud Juramentum permittit, restrictionem sortiuntur ex subjecta materia; qvæ non est Juramentum, solenni forma in nomine Dei licito modo præstitum; sed est juramentum temerarium, qvod Pharisæorum κακοήθεις invexerat, uti evincit 1. Pharisæorum praxis, descripta *Matth.* 23. *v.* 16. *seqq.* 2. phrasis Christi λόγος ὑμῶν, qvæ ostendit familiarem sermonem. 3. particula ναὶ & οὐ qvibus solemus uti in congressibus qvotidianis. Confer *Harmon. D. Chemnit. cap.* 51.

## Qv. XV. *Num Renovatio nostra in N. T. perficitur per Vota DEO nuncupanda?*

## THESES.

I. IN N. T. neqve præcepta, neq; Exempla neq; promissiones renatos ad certa vota obstringunt; Nullo enim in loco Scriptura Apostolica N. T. do-

T. docet. 1. cultum Dei N. T. consistere in faciendis votis 2. de qvibus rebus & qvomodo vota fieri debeant.

II. Si qvidam Christiani nuncupant vota de moralibus, qvæ alias debent præstare, libertas Christiana hoc permittit, modo nuncupent non opinione singularis cultus, meriti & satisfactionis: sed ea intentione, ut inconstantiam voluntatis humanæ arctius constringant, torporem veteris Adami fortius excutiant, & peccatum accuratius caveant.

III. Licitum etiam est Christianis in N. T. ut Spiritu discretionis voveant exercitia corporalia, jejunium, labores &c. si vota non fiant 1. ex superstitione, vel meriti opinione. 2. contra expressum DEI verbum 3. supra vires humanas 4. conjuncta sint cum abusu divini nominis, & 5 andalo infirmorum. Confer *Chemnit. parte 3. Exam. de Calib. cap. 6. 7. Balduin. lib. 2. cap. 8. casu 1.*

## ANTITHESES.

I. *Romanenses* varias species votorum commendant, qvibus adhuc certa qvadam ratione Christianos in N. T. obstringi, scriptitant. Vide *Azorium tomo 1. Instit. lib* 11. *cap.* 14.

II. Communis est *Pontificiorum* sententia, qvod ille cultus, qvo Deus ex voto colitur, sit 1. magis Deo acceptus, atqve ille, qvi non proficiscitur ex voto. 2. sit meritorius 3. satisfaciat justitiæ divinæ adeoqve hominem in singularem Perfectionis statum evehat.

## HYPOTHESES.

I. Etiam in V. T. vota fuerunt *libera*, non autem simpliciter necessaria, uti patet ex *Num.* 30, 14. 1. *Paralip.* 29. *v.* 9. sed materia voti erat à Deo præscripta & definita, eaqve vel ad legem spectabat *moralem*, vel etiam *Ceremonialem*; *illa* directa erat ad Dei cultum; *hæc* vel commonefactiones, vel significationes spirituales in se continebat.

II. Vota afferunt qvidem necessitatem præstandi, sed non Coactionem: sicut enim libere fiunt; ita etiam libero præstantur Spiritu, licet ratione promissionis debitum involvant: Distinguendum ergo inter *necessitatem debiti & Coactionis*: Hæc cum libertate pugnat, illa non item, uti mone *D. Balduin. d. l.*

III. Tenenda differentia inter vota V. & vota N. T. de *illis* extant præcepta, de *his* minime: de *illis* multa Exempla leguntur; de *his* pauciſſima: *Illa* erant pars cultus divini, ut aliæ Ceremoniæ; *hæc* tantum sunt subsidia & adminicula cultus: *Illa* obstringebant ad moralia & Ceremonialia opera; *hæc* duntaxat ad moralia & corporalia exercitia sc. ad jeju-

jejunium, Eleemosynam &c. qvæ præstantur, qvando ex libertate Christiana sunt nuncupata, ut ad preces, labores, meditationes & alia, simus promtiores.

IV. Votum Apostoli Pauli *Actor.* 18, 18. *cap.* 21, 23. fuit 1. residuum ex legum Ceremonialium cadavere, nondum tunc temporis sepulto. 2. temporale, non perpetuum. 3. ad lucrifaciendos Judæos præstitum. 1. *Corinth.* 9. *v.* 20.

V. Prophetæ, qvi de votis in N. T. futuris vaticinantur, vel respiciunt vota εὐχαριστίας & alia de moralibus, vel loqvuntur phrasibus V.T. de rebus N. T. & cultum spiritualem depingunt in cultu Levitico.

VI. Vota sunt præstanda, cum sunt nuncupata eo modo, qvi monstratus thesi 4. qvia significatio est contemptus Dei & animi ingrati, pugnans cum secundo præcepto Decalogi, si fides data Deo, non servatur; Qvod autem casus intervenire qveant, qvibus non servantur vota, ipse Deus in V. T. significavit. *Num.* 30, 4. *seqq. Levit.* 27, 11.

VII. Differt *Votum* & *promissio*, ut *species* & *genus*, qvia *hæc* etiam homini potest dari; *Illud* nuncupatur soli Deo: Votum fieri potest sine ullis externis signis verborum; promissio non item, & deniqve promissio potest aliqvando esse voti materia: Nam si promisisti Eleemosynam, hanc qvod dare velis voto te obstringere vales.

Qv. XVI. *Num Renovati precibus suis justitiæ divinæ satisfacere & mercedem proprie dictam acqvirere valent?*

## THESES.

I. QVam insignes & eximios S. Scriptura retegit fidelis orationis effectus, nunqvã indicat, qvod vel satisfacere possint justificati suis precibus Justitiæ divinæ, vel meritis proprie dictis ea impetrare, qvæ petunt.

II. Fideles & sancti, qvotqvot precati sunt, & qvorum preces in Bibliis extant scriptæ, opinionem satisfaciendi & meriti nullam in se prodiderunt: Abraham intercedens pro Sodomitis, indignum se judicat, qvi loqvatur cum Domino *Genes.* 18, 27. 30. 32. Loth confugit in precibus ad Dei misericordiam, nullumqve suum meritum agnoscit *Genes.* 19, 18. 19, Jacob ad Dei promissionem Deum revocat *Genes.* 32, 12. Moyses intercedens pro populo Idololatrico, non confidit suis precibus, sed fœderis sanciti & promissionis datæ Deus ut recordetur, expetit. *Exod.* 32, 13. Idem Moyses populo impetrat gratiam, non suo merito, sed Dei misericordia. *Num* 14. 19. *Num.* 16, 22. Josua orans, se exaudiri petit, ob magnum nomen Domini *Jos.* 7, 9. David in suis Psalmis & precibus causæ suæ Justitiam

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0164
DFG

stitiam aliqvando exponit, sed ut merito & satisfactioni suæ orationi non confidit. Vide 2. *Sam.* 7, 18. *Ps.* 5, 8. *Ps.* 27, 7, 8. *Ps.* 66, 10. *Ps.* 11, 1 *Ps.* 123, *v.* 2. 3. &c. Salomo petit, ut Deus respiciat preces ob promissionem datam. 1. *Reg.* 8, 29. Elias orat & gloriam divini nominis allegat ut causam impulsivam, ob qvam oratio exaudienda 1. *Reg.* 19, 36. Vide etiam orationem Hiskiæ 2 *Reg.* 19, 15. Asæ 2. *Paral.* 14, 11. Josaphat 2. *Paral.* 20, 6. *seqq.* *Esdræ lib. Esd. cap.* 9. *Nehemiæ cap.* 9. *Esaiæ cap.* 63, 15. *cap.* 64. *v.* 9. *Jeremiæ cap.* 14, 7. *Danielis cap.* 9. *Jonæ cap.* 2. *Habacuck. cap.* 3. Apostolorum *Actor.* 4. 27. Horum nemo de suis precibus affirmavit, qvod iis vel divinæ justitiæ satisfecerit, vel etiam meritus fuerit aliqvam mercedem. Confer & antecedentem *Controv.*

## ANTITHESES.

I. *Pontificii* affirmant, nos merito orationis pro peccatis satisfacere: Vide *Petrum â Soto tom.* 8. *Brent. pag.* 120. 121.

II. *Bellarm. l.* 1. *de B. Operib. in partic. cap.* 3. tres recenset Fructus orationis, scil. 1. Satisfactionem pro peccatis, 2. meritum 3. Impetrationem.

## HYPOTHESES.

I. Nondum satisfeciſſent Adversarii suo officio, si vel maxime demonstrarent; piorum preces esse meritorias & satisfacientes: Restaret enim adhuc difficilior labor, qvo evincendum, qvod preces in horis Canonicis decantatæ expient peccata & mereantur gratiam Dei.

II. Fidelium precibus suavissimas esse datas promissiones, frustra probant *Jesuwitæ*; Non enim de promissionibus est qvæstio, sed de promissionum fundamento; An illud sit precum Meritum & satisfactio? Id qvod nos negamus.

III. Legitur qvidem *Matth.* 6, 5. 6. qvod Deus velit manifeste reddere, qvod pii ἀνυποκρίτως in abscondito petunt; qvod autem proprie dictam mercedem, orationi, ceu operi bono meritorio juste proprieqve respondentem velit Deus retribuere, *Bellarminus* ex Christi verbis non didicit: Opponit qvidem Christus mercedi Hypocritarum mercedem dandam pie orantibus, sed illam â justo Judice, hanc â benigno Patre proficisci adeoq; hanc gratuitam, illam condignam esse, testatur atq; fatetur.

IV. In dictis 1. *Timoth.* 2, 1. *Jacob.* 5, 14. 15. 16. docetur de 1. Intercessionis necessitate. 2. precum â justis perfectarum efficacia, de expiante peccata & merito proprie dicto ne ὄχνος extat in his dictis.

## Qv. XVII. *Numqvid sacræ literæ approbant ut opus bonum jejunium qvo abstinetur â certis cibis?*

### THESES.

I. NOn movetur hæc qvæstio de jejunio 1. *morali*, qvod est parsimonia & temperantia in cibo & potu, qvalis temperantia passim commendatur in sacris literis. 2. *Naturali*, qvo qvis abstinet ab omni cibo & potu, qvia vel tamis necessitate urgetur, vel bonum ob finem certo tempore jejunum servat stomachum, 3. miraculoso, qvo qvis miraculose sine cibo & potu in vita conservatur, uti de *Moyse*, *Elia* & *Christo* constat: sed 4. de jejunio Ecclesiastico, qvo qvis abstinet â cibo secundum Regulam Ecclesiasticam, hoc est, Interprete *Bellarm. l. 2. de Bon. operib. in partic. cap.* 1. si qvis semel tantum in die cibum sumat, in cœna, non in prandio, & habeat ciborum delectum, abstinendo præsertim carnibus.

II. Etsi in sacris literis Jejunia varia ostendantur, illis tamen accenseri neqvit illud jejunium, qvo qvis abstinet â certis cibis, cumprimis â carne, ob Ecclesiæ leges, qvæ ciborum delectum præcipiunt: Nam 1. delectus ciborum, qvem Exempla Scripturæ monstrant, non fuit restrictus ad prandium vel cœnam, neqve præceptus legitur neqve in solo carnis privio hæsit, sed fuit exercitium corporis, qvo pii nec multum, nec delicate nec mensa solenniter instructa comedebant 1. *Sam.* 31, 13. 2. *Sam.* 12, 16. 17. *Ps.* 42, 4. *Ps.* 80, 6. *Daniel.* 10, 3. 2. Ecclesiasticum jejunium non potest comprehendi sub illis dictis & Exemplis, in qvibus legitur, qvod qvidam toto die usqve ad vesperam jejunarint, abstinentes ab omni cibo & potu *Jud.* 20, 26. 2. *Sam.* 1. *v.* 12. *cap.* 3, 35. &c, 3. Multo minus dicto jejunio correspondent Exempla illorum, qvi vel per aliqvot dies abstinuerunt ab omni cibo *Esth.* 4, 16. *Tob.* 3. *v.* 10. 2. *Maccab.* 13, 2. vel incænati dormiverunt *Daniel.* 6, 18. vel denique omnes licitas corporis delicias & commoditates, qvibus solet illud refocillari, foveri ac exhilarari, certo tempore deseruerunt 2. *Sam.* 1, 11. *cap.* 3, 21. 1. *Reg.* 21. *v.* 29. *Joel.* 2, 12. *Jon.* 3, 7. 8. 1. *Cor.* 7, 5. ad nullam itaqve classem Exemplorum, qvibus jejunia exhibent sacræ paginæ reduci potest jejunium Ecclesiasticum de qvo qværitur.

III. Jejunium qvo abstinetur â certis cibis in N. T. S. Scripturæ dictis neqve præcipitur neqve approbatur ut bonum opus, qvod Deus â Justificatis reqvirat.

ANTI-

## ANTITHESES.

I. *Bellarm. l. 2. de Bon. operib. in part. cap. 5.* probandam assumit thesin, qva asseritur; ad rationem jejunii pertinere abstinentiam â certis cibis atqve potissimum â carnibus.

II. *Idem d. lib. cap. 6.* de Theologis suis affirmat, qvod communiter statuant, jejunium generatim sumptum habere divinum præceptum, qvamvis in particulari ab Ecclesia determinetur tempus & modus jejunii.

III. Sentit igitur *Bellarm.* in dictis & Exemplis Sacræ Scripturæ proponi Jejunium tale, sub qvali possit comprehendi Jejunium, qvo qvis abstinet â certis cibis, cumprimis â carne & lacticiniis.

## HYPOTHESES.

I. *Danielis* abstinentia â pane desiderabili, carne & vino, non describitur *Dan. 10, 4.* ut Jejunium, sed ut luctus delectu ciborum declaratus, cui prorsus non congruit Jejunium Jesuwiticum, qvo 1. non abstinetur â vino 2. cibus sumitur in Cœna duntaxat 3. piscibus lautissimis & desiderabilibus venter repletur. 4. Legi certæ mos geritur. 5. satisfactio & meritum intenditur.

II. *Johannis Baptistæ* vitam ideo perpetuum fuisse Jejunium, qvia comedit locustas & mel sylvestre, Evangelica Historia non asserit: Christi verba *Matth. 11. v. 18.* comparate sunt accipienda, qvatenus Johannes publicis in conviviis & hominum aliorum consortio non manducavit atq; bibit juxta Exemplum Christi.

III. *Timotheum* abstinuisse â vino, Paulus innuit *1. Timoth. 5, 23.* sed Timotheum nolunt imitari Pontificii, qvi abstinent â carne, non â vino.

IV. Nil proficiunt Adversarii producendo Exempla Sanctorum, qvi â Carne & aliis delicatis cibis ad tempus sese continuerunt: Nam illud probant, qvod concedimus: Solam autem Carnem & sola lacticinia esse delicatos istos cibos â qvibus in Jejunio sit abstinendum probandũ erat.

V. Recitant *Jesuitæ* sui Ingenii somnia, cum scriptitant; magis conducere ad finem Jejunii, carnium, qvam piscium, ovorum & casei, qvam leguminum & olerum abstinentiam: Paulus certe etiam pisces carne non destitui, testatur *1 Cor. 15. v. 39* nec refragatur Experientia, qvod pisces, olera & legumina corpori salubre nutrimentum porrigant.

VI. Vinum non stimulare ad libidinem, si desit caro ceu generationis materia, fingitur & nunqvam evinci poterit.

VII. Præcepta de Jejunio *Joel. 2, 12. Matth. 6, 17.* non sunt detorqvenda ad illud Jejunium, qvo qvis abstinet â carne & lacticiniis, qvia

vel de totali abstinentia ab omnibus esculentis, vel etiam de subtractione omnis lauti & delicati victus loqvuntur. Confer *Chemnit. parte 4. Exam. pag. 747. seqq. Flacium parte 2. Clav. tr. 6. pag. 311.*

Qv. XVIII. *Num lege Ecclesiastica possunt obligari fideles ad Jejunium & ciborum delectum in N. T.*

## THESES.

I. QVia Apostolus Paulus 1. *Tim.* 4, 1. 2. 3. leges, datas de Abstinentia ciborum, qvos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, reprehendit ut 1. fructus ἀποταξίας. 2. Errores. 3. doctrinas Dæmoniorum, 4. mendacia in hypocrisi prolata non Christi, sed Anti Christi est Ecclesia, qvæ legibus obligat Conscientiam, ad ciborum delectum.

II. Consequentiæ nexum, in prima thesi, non infringunt Papistæ, cum obvertunt 1. constructionem grammaticam, ê qva videtur sequi: Apostolum reprehendere eos, qvi prohibent Jejunia. Nam ex scopo Apostoli & conseqventi addita ratione, cuilibet attento lectori apparet subintelligendam esse in textu vocem κελευόντων, qvam exigit seq. vox μετάληψις oppositia abstinentiæ, non prohibitæ; sed præceptæ; nec non συνέσεως textus Apostolici, qvæ periret, si talis inveheretur verborum ordo: Spiritus erroris prohibent abstinentiam â cibis, qvos Deus creavit, qvia omnis Creatura Dei bona est & nihil rejiciendum &c. qvalis qvæso hæc esset conseq. si omnis creatura Dei bona est & nihil rejiciendum; Errant, qvi prohibent Jejunia & abstinentiam â cibis. Similem ἔλλειψιν reperies 1. *Cor.* 14, 34. Confer *D. Glass. l. 1. Philol. S. tract. 2. §. 18.* 2. Antiqvos hæreticos, *Tatianos, Manichæos & Priscillianistas*, qvi cibos qvosdam dixerunt immundos, vel Diaboli felle contaminatos: Posito enim, non concesso, qvod de his Intelligendus sit textus Apostoli: de his tamen solis intelligi eum prohibet 1. generalis phrasis, qvæ comprehendit omnes Spiritus omnesqve doctrinas qvæ certa lege prohibent cibos, sub prætextu pertectionis ac sanctitatis: 2. Ratio ab Apostolo adducta, qvæ opponitur illis, qvi cibos prohibent prætextu sanctitatis & cultus, in novissimis temporibus 3. Tempora novissima, qvæ non attigit *Timotheus*: Præterqvam enim qvod nec *Manichæi* nec *Tatiani* possent notari, si illa tempora præcise notarentur, qvibus vixit Timotheus, Timotheo prædixit Apostolus, qvid in Ecclesia fidelibus sit expectandum, anteqvam finis mundi accedat 4. Jejunium suum, qvod non est perpetua abstinentia nec universalis, cum vel certis personis vel ad certum tempus prohibeant Carnem &c. Nam Apo-

Apostolus sine distinctione Personarum & temporum, illam prohibitionem accusat *erroneam* & *Diabolicam*, qva cibi â Deo creati ad alendos homines certa lege prohibentur. 5. Finem sui jejunii, qvi non sit prætextus sanctitatis, sed vera sanctitas & cultus Deo præstandus; qvod qvam verum sit, inferius dispiciemus.

III. Qvodcunqve Discrimen in N. T. Christus sustulit, illud lege Ecclesiastica reduci non potest. Atqvi Ciborum discrimen Christus in N. T. sustulit. *Luc.* 10, 7. *Actor.* 10, 15. 1. *Cor.* 10, 25. *Coloss.* 2, 16. E.

IV. Exceptionibus Respondemus 1. Ad nullam propositionem respondent, qvi dictitant, Christum hortari Discipulos, ne qværant sumptuosos cibos, sed iis, qvæ apponuntur contenti sint, & Apostolum fideles liberare voluisse â sollicitudine inqvirendi: Utrum carnes illæ essent Idolis immolatæ. Hæc nemo negat, sed qvod illa adversentur vel *Majori* vel *Minori* in nostro argumento, nondum liqvet. 2. Credimus etiam nos, Apostolum ad tempus suis Auditoribus commendasse Decretum *Concilii Hierosolymitani*, *de sanguine, suffocato & idolotythis non edendis*: qvod autem semper huic decreto adhæserit Ecclesia Apostolica, tunc etiam, qvando res libera obtrudebatur ut necessaria, textus adducti neqvaqvam admittunt; 3. non abnuimus, qvod Apostolus Paulus loqvatur de Ceremoniis legalibus; sed de illis solis qvod non loqvatur, satis patet Coloss. 2. ubi traditiones humanas vocat leges illorum, qvi dicebant: Ne gusteris, ne tetigeritis: Leges autem Ceremoniales, non fuerunt ab Hominibus adinventæ, & licet humanis traditionibus æqviparentur, tempore elapso, ad qvod sunt astrictæ; Apostolus tamen hoc non potest in disputatione contra Pseudo-Apostolos præsupponere, qvia hoc erat ipsum τὸ κειμένον s. ζητούμενον. 4. Apostolum duntaxat loqvi de iis, qvi cibos qvosdam prohibent ut immundos, simpliciter negamus, & urgemus textum *Coloss.* 2, 16. ex qvo liqvet; qvod Apostolus suam dehortationem opponat illis cumprimis, qvi leges decreta & statuta hominum Discrimen aliqvod ciborum cogentia Ecclesiæ N. T. obtrudunt, iisqve conscientiam astringunt, ut peccatum credat se commisisse, qvi dictum discrimen negligit, cultum autem Dei singularem sibi imaginetur, qvi discrimen hoc observat. Non ergo qværitur, qvid respiciatur in lege prohibente certos cibos; sed hoc manet κειμένον. An lege Ecclesia debeat obligare Conscientias, ad certos cibos cavendos? Id qvod nos cum Apostolo diserte negamus.

V. Qvia abstinentia â certis cibis non est Jejunium; lex illa hypo-

critica & simulata est, qvæ obligat ad Jejunium, cum obligat ad delectum ciborum: Antecedens suam sortitur soliditatem 1. ex *qvæst. præced.* 2. ex absurdis, qvæ invehit Jejunium, qvo abstinetur â sola carne vel certis cibis: Hoc enim Jejunium si conceditur 1. Jejunarunt omnes Judæi in V. T. abstinentes â certis cibis, qvos Deus prohibuit 2. omnes mendici jejunant, qvi abstinent interdum aliqvot diebus ab esu carnium 3. omnes homines ante Diluvium Jejunarunt 4. Homines in illis degentes locis, qvibus soli pisces victum exhibent, perpetuo jejunant: Aliud igitur est Jejunium proprie dictum, qvo abstinetur ab omni cibo; aliud est gulæ castigatio & corporalis exercitatio, qva abstinetur ab eduliis lautioribus. Confer *Chemnit. parte* 4. *Exam. pag.* 753. *Hasenmull. de Jesuw. Jejun. cap. ult.*

## ANTITHESES.

I. Ecclesia Catholica docet, legibus Jejuniorum obligari Homines in Conscientia *Thom* 2. 2. *qv.* 147. *art.* 3. *Theol. Scholastici omnes in* 4. *sentent. dist.* 15. *Bellarm. lib.* 2. *de Bon. operib. in partic. cap.* 7.

II. Pastores omni diligentia utantur, ut quicunq; fideles iis sint obsequentes, qvæ ad mortificandam carnem conducunt, sicut Delectus Ciborum & Jejunia. *Concil. Trid. in decr. de delectu Ciborum.*

III. Varia & diversa Jejunia Ecclesiam Romanam præcepisse, ostendit *Chemnit. d. l. pag.* 769. *Flac. parte* 2. *Clav. pag.* 311. *Hasenmull. de Jejun. Jesuwit. cap.* 2.

## HYPOTHESES

I. In Discrimine ciborum, qvod Deus Judæis in V. T. præscripsit, non Medicinam vel ipsam naturam Animalium invenimus causam discriminis, sed potius Ecclesiasticam pædagogiam, qva 1. Judaica Ecclesia â cæteris cætibus fuit distincta. 2. traditæ commonefactiones, de immunditie peccati, & 3. obedientiæ exercitium populo Judaico est oblatum. Hi fines qvod aliis exercitiis pietatis obtineri possint in N. T. inde patet, qvod leges Ceremoniales de Discrimine Ciborum sint sublatæ in N. T.

II. Nullo vinculo combinari potest hæc Conseq. Si *Jonadab* pater *Rechabitarum* suis filiis potuit interdicere vinum usqve in sempiternum: Ecclesia certos aliqvos cibos pro tempore filiis suis potest interdicere: Maximum est discrimen inter *Jonadab* & *Ecclesiam N. T. ille* vivebat sub umbra Ceremoniarum legalium: *hæc*, corpore exhibito, umbris non amplius adhæret: *ille* de Nazaræis & abstinentia â vino acceperat Dei ordinationem & legem *Num.* 6. *Hæc* de prohibendis certis cibis nullam Dei constitutionem vidit. *Ille* intendit suis præceptis solam disciplinam domesti-

mesticam in sua familia: *Hæc* vero juxta Pontificios obligat ad delectum ciborum, ceu ad singularem cultum, & ad opus, qvo Deo satisfaciant & mereantur aliqvam mercedem fideles. *Ille* nondum audiverat præceptum Apostolicum: Nemo vos judicet in cibo & potu &c. *Coloss.* 2, 16. *Hæc* præcepto huic est adstricta: *Ille* hujusmodi exercitia præscripsit, qvæ Ebrietatem, luxum & Avaritiam impediunt: *Hæc* per delectum ciborum, qvalem Pontificii exigunt, nullis vitiis resistit, sed meram hypocrisin introducit, uti praxis Jejunii *Jesuwitici* edocet. Vide *Hasenmull. l de Jejunio c.* 3. 4.

III. Ecclesiam posse indicere solennia Festa & Jejunia, legitur *Esther.* 9, 31 qvod autem possit leges dare in N. T. obligantes in Conscientia de Ciborum delectu *Historia Esther non* docet.

IV. *Jejunium qvarti, qvinti, septimi & decimi mensis* fuisse ex κακοζηλία Judæorum tempore Captivitatis Babylonicæ introductum, colligitur ex *Zach.* 7, 5. qvod autem hoc Jejunio abstinuerint â certis duntaxat cibis, in textu non additur.

V. Apostoli *Actor.* 15, 29. non figunt novam legem, sed legem Ceremonialem â Deo latam gentibus præscribunt, ut cum honore sepeliatur Synagoga Judaica: Huic legi cum perpetua affigebatur necessitas, Apostolus libertatem Christianam asseruit. *Actor.* 14, 14. *Coloss.* 2, 16. laborat itaqve *Major* & *Minor*, in hoc Syllogismo: Si Apostoli propter bonum finem certos prohibuerunt cibos, etiam illi qvi Apostolis succedunt certos qvosdam cibos possunt prohibere. At verum prius E. In Majore non est firma Conseq. ob discrimen, qvod est inter Ecclesiam constitutam & constituendam, in illa non statim licet, qvod licuit in hâc, uti vel sola Communio Bonorum attestatur. Minor etiam non est vera, si intelligitur de perpetua necessitate & de cibis prohibitis, qvi non spectant ad pædagogiam legis Ceremonialis.

Qv. XIX. *Num Jejunium illud placet Deo in N. T. qvo abstinetur â certis cibis, opinione singularis cultus, satisfactionis & meriti?*

## THESES.

I. JEjunium qvo abstinemus â certis cibis, per se & propter se, non esse in N. T. cultum Dei Apostolus testatur *Rom.* 14, 17. 1. *Cor.* 8, 8.

II. Si fideles vel ab omni cibo, vel etiam â lautioribus cibis abstinent, eo fine, ut 1. Carnis petulantiam coerceant. 2. seriam pœnitentiam significent. 3. corpus efficiant idoneum ad res spirituales & ad faciendum officium,

officium, 4. mentem evehant ad affectus spirituales & pias preces, placet Deo Jejunium ob utiles hos fines, qvos Scriptura commendat *Rom.* 1, 14. *Matth.* 11, 21. 1. *Cor.* 9, 25. 26. *Marc.* 9, 29.

III. Ad prænominatos fines obtinendos, non semper & simpliciter necessarium esse Jejunium, Scripturæ indicant Dicta, qvæ, per solam temperantiam & Sobrietatem, illos obtineri posse, testantur *Luc.* 21. *v.* 34. 1. *Thessal.* 5, 6. 7. 1. *Petr.* 4, 7. *cap.* 5, 8. *&c.*

IV. Jejunium ex *opere operato*, Deo non placet & si cum perseverantia in peccatis conjunctum, Deo est abominabile, juxta aperta hæc dicta *Esa.* 58, 3. *seqq. Jerem.* 14, 12. *Zachar.* 7, 12. *Sirach.* 34, 31.

V. Deus rejicit Jejunia, qvibus 1. Corpori necessaria cura subtrahitur *Esa.* 58, 5. *Coloss.* 2. *v.* 23. 1. *Timoth.* 5, 23. 2. Intenditur vel gloria apud Homines, *Matth.* 6, 16. vel satisfactio, expians peccata *Esa.* 58, 2. 3. *Matth.* 9, 16. vel singularis cultus & meritum *Luc.* 18, 11. 14. Confer *Chemn. parte* 4. *Exam. pag.* 748. *Flacium parte* 2. *Clavis tr.* 6 *pag.* 308.

## ANTITHESES.

I. Jejunium juxta *Alensem*, est Abstinentia â cibo & potu, secundum formam Ecclesiæ, intuitu satisfaciendi pro peccato, & acqvirendi vitam æternam.

II. Jejunium est Dei cultus, & utile ad satisfaciendum Deo, ad eum placandum, ad merendum & impetrandum Dei beneficia, temporalia ac sempiterna. *Bellarm. lib.* 2. *de Bonis operib. in partic. cap.* 11.

## HYPOTHESES.

I. Finis ad qvem tendit Jejunium, si eligatur ductu Rationis humanæ absqve Dei verbo, vel etiam contra Dei verbum, non commendat Jejunium aut cultum Deo gratum, qvia cultus, electus ab hominibus sine Dei verbo, intentione â Deo non approbata, Deo placere neqvit.

II. Utrumq; negant nostræ Ecclesiæ. 1. Jejunium ex *opere operato* esse cultum Dei, meritum & Satisfactionem. 2. Jejunium ex *opere operantis* hoc est, ex *devotione & virtute* Jejunantis esse *meritorium* vel *satisfactorium*: Sive ergo *illud*, sive *hoc* asserant *Jesuwitæ*, debito probationis obstringuntur.

III. Hannæ Jejunium *Luc.* 2, 36. qvo λατρεύουσα legitur, non carebat præcepto divino, qvia fuit Vidua, qvalis ea, qvam Paulus opponit viduis, qvæ sunt in deliciis 1. *Tim.* 5, 6. Jejunium itaqve *Hannæ* fuit abstinentia â qvibusvis deliciis hujus seculi & continentia sive Sobrietas, qvalis in verbo DEi passim præcipitur.

IV. Jejunia Israelitarum 1. *Sam.* 7. Achabi 1. *Reg.* 21. & Ninevitarum

*Jonæ*

*Jonæ* 3. non fuisse satisfactoria, docuimus *Controv. præced.* Similis fuit Jejunii quo jejunarunt Israelitæ, tempore Esther & Judith. *Esth.* 4. *Judith.* 4.

V. Non legitur 1. *Sam.* 1. qvod Hanna jejunio suo ceu Opere meritorio promerita sit filium suum Samuelem: De Davide legitur, qvod propter Infantem jejunârit & fleverit, qvo â Deo acciperet, non meritum, sed donum: Sic enim loqvitur David: *Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi & flevi: dicebam enim; qvis scit, si fortè donet eum mihi Dominus.* 2. *Sam.* 12, *v.* 22. Sara liberata fuit â Dæmone, postqvam jejunavit, sed qvod Jejunio ceu merito propriè dicto hanc liberationem acqvisiverit, in textu non extat. *Tob.* 3. Deus qvi jejunantibus & orantibus dedit dona, non tam Opera, qvam Personas respexit, qvarum fidem & contritionem jejunia detexerunt.

VI. Qvomodo Christus mercedem opponat Mercedi *Matth.* 6. dictum est supra qv. 16. Reg. 3. in hypothesibus, ex qvâ explicandus *v.* 16, 17. 18. *In Cap.* 6. *Matth.*

Qv. XX. *Num lex Ecclesiæ fideles in N. T. obligare potest ad certa Tempora, qvibus abstinendum â certis cibis?*

## THESES.

I. IN V. T. dies decimus 7. *Mensis* præcepto divino, jejunio erat consumendus, sed in generatione Judæorum ut pædagogia externa *Levit.* 16, v. 29. cap. 23. v. 27, 31. qvæ exhibito Christo, est abrogata *Galat.* 3. *v.* 25.

II. In N. T. ordinis causa ut propter fines utiles Jejunia indicentur vel suscipiantur certis temporibus, non impedit Christiana libertas, modò absit superstitio & simplicis necessitatis opinio.

III. Cum S. Scriptura non figat leges, de statis & certis temporibus Jejuniorum in N. T. Christus autem *Matth.* 9. *v.* 16. *Luc* 5. *v* 36. *seqq.* stata Jejunia Pharisæorum & Joh. Baptistæ veteri vesti cui non affuenda novæ vestis commissura, conferat, repudiamus leges Papales, de Jejunio qvadragesimali, Jejunio qvartæ & Sextæ Feriæ, Jejunio qvatuor Temporum &c.

IV. Præter meritum *Bellarm. d. l. cap.* 8. fugillat *Chemnitii* Explicationem, qvâ explicat textum *Matth.* 9. *v.* 16. Nam 1. nunqvam evincet *Bellarminus* Christum voluisse prædicere Jejunium Apostolorum, qvo post suum discessum Jejunarunt ex legis præscripto. 2. uti Hospites Sponso remoto, ad Jejunia invitantur, cum Nuptiale Convivium amplius non instruitur; ita Christus prædicit, post suum discessum cum visibili præsentiâ non amplius

exhilaraturo ut Discipulos, calamitates præbituras ἀφορμὴν & monstraturas tempus Jejunii. 3. Perinde est, sive dicas: assumentum vetus, non est adjungendum vestimento novo: sive dicas; assumentum novum non est adjungendum vestimento veteri. Nam vetus assumentum & vetus vestimentum notat in hoc loco Jejunia, ad Certa Tempora juxta legem Ceremonialem, adstricta, qvæ Christus removet a fidelibus in N. T. qvos confert novo non solum vestimento; sed & assumento: uti enim veteri vesti non congruit novum assumentum & novo vestimento non congruit vetus assumentum; ita Credentibus in N. T. non congruunt Jejunia Pharisæorum & Discipulorum Iohannis. 4. Novo vino Christus comparat doctrinam Evangelii, cui non congruere docet, homines, legibus V. T. emancipatos, qvos veteres uteres vocat: Aliæ glossæ à *Bellarmino* allatæ textui non conspirant.

## ANTITHESES.

I. Jejunium qvadragesimale traditum esse ab Apostolis, asserit *Petrus à Soto tom. 8 Brent. pag.* 124.

II. *Bellarm. l. 2. de B. Oper. docet.* 1. Jejunium Qvadragesimale ab Apostolis Domini institutum atqve Ecclesiæ universæ traditum fuisse *cap.* 14. 2. Feriâ qvartâ & sextâ per totum annum ex legis præcepto Jejunari, qvoad abstinentiam à carnibus. *Cap.* 17. 3. Jejunium 4. Temporum esse Traditionem Apostolicam. *cap.* 19.

## HYPOTHESES.

I. Traditiones non scriptas qvi prætexunt Jejunio qvadragesimali, tenentur demonstrare, qvasdam esse traditiones vivâ voce Apostolorum propagatas, qvæ æq; obligent Conscientiã, ut Dogmata ἔγγραφα in Bibliis.

II. Ut Christiani conjunctis studiis, precibus & lachrymis Deum placent, perneccessarium credimus: Ut autem Jejunio qvadragesimali hæc expediantur, secundum consvetudinem Rom. Ecclesiæ, nulla tradunt præcepta, γνησίως Apostolica.

III. Nunqvam probabunt Adversarii, qvod Jejunium qvadragesimale 1. homines præparet ad dignam perceptionem sacræ Communionis. 2. Sit illud Jejunium qvo Jejunarunt Apostoli, Sponso ab illis remoto. 3. præparet Animos ad meditationem passionis ac Resurrectionis Christi. 4. Sit Imitatio qvâ eo modo, qvo possumus, imitamur passionem Christi.

Qv. XXI. *Suntne Eleemosynæ opera Bona, qvæ satisfaciunt justitiæ divinæ & merentur vitam æternam.*

THE-

## THESES.

I. ELeemosyna, qvæ dicitur ab ἐλεέω, est opus misericordiæ, qvâ misereremur proximis egentibus, & non solum est opus Bonũ qvod Deus passim in Bibliis præcipit, sed splendet insuper præclarissimis promissionibus, qvæ offerunt hujus & futuræ vitæ præmia.

II. Eleemosynæ Impiorum & non Justificatorũ Deo sunt abominabiles *Proverb.* 15. *v.* 8. *Strach.* 34. *v.* 23. 1. *Corinth.* 13. *v.* 3. *Matth.* 6. *v* 2. *Hebr.* 11. *v.* 9. Piorum autem & justificatorum Eleemosynæ Deo sunt grata hostia *Hebr.* 13. *v.* 16. qvia proveniunt ex fide in Christum, per qvem fructus justitiæ edimus *Philipp.* 1. *v.* 11.

III. Annuunt hodierni Pontificii cum docetur, non placere Deo Eleemosynas, si sint, sine Fide, Spe, dilectione, pœnitentiâ aliisqve ad salutem præsidiis. Vide *Bellarm. l.* 3. *de Bon. oper. in partic. cap.* 3.

IV. Eleemosyna Hominis justi, si ex verâ charitate fiat, nec vitam meretur, nec est satisfactio pro peccatis. Qvicqvid enim Deus compensat ut pater, illud nec meritum est, qvod Dominus dat servo, nec satisfactio, qvam Judex imponit reo. At Eleemosynas DEUS compensat ut Pater *Matth* 6. *v.* 4. E.

## ANTITHESES.

I. Eleemosyna si ab Homine justo & ex vera Charitate fiat, meretur vitam æternam *Bellarm. d. l. cap.* 4.

II. Eleemosyna est Satisfactio pro peccatis. *Bellarm. d. l.* conf. *Staplet. in Promt. Cathol. Dominic. IX. post Trinit. pag.* 203.

## HYPOTHESES.

I. Verba Danielis *Cap.* 4. *v.* 24. si in textu Originali ponderantur, continent admonitionem ad pœnitentiæ 1. Exordium, qvod est abstinentia â peccatis & sceleribus, 2. Fructum, qvi est in studio bonorum operum, qvod suadet Daniel Nebucadnezari, ut in viam Bonorum operum eum revocet, qvi hactenus in Prædonum & Raptorum devia declinaverat: Nam פרק indicat, filum Rapinarum esse abrumpendum, & tandem beneficentiæ ac misericordiæ telam esse apprehendendam: Nihil legitur in textu, de peccatis redimendis per Eleemosynas, de merito Eleemosynarum, vel satisfactione, nec promissio addita restringitur ad justitiam & Beneficentiam seu meritum, sed pœnitenti, qvi se movet â termino uno ad alterum, *h. e. âbono ad malum* promittitur pœnæ temporalis aversio.

II. *Luc.* 11. *v.* 41. Christus reprehendit superstitionem Pharisaicam, cui opponit duplicem purgationem: Externam, qvâ benefaciendum proximo;

ximo; & internam, qvâ cor mundatur â pravis cupiditatibus: illam sine hâc sufficere putabant Pharisæi, ad mundiciem, qvod Christus negat, & utramqve in lege præceptam esse, docet.

III. Qvo sensu Amici per Mammona conciliati pronuncientur, recipientes in æterna tabernacula *Luc.* 16. *v.* 9. ostendit Parabola de injusto Oeconomo, ad qvam Salvator digitum intendit: Asciverat sibi Oeconomus alienis bonis Amicos, qvorum subsidio potuit sublevari; ita vult Salvator, ut terrenis ex opibus, qvæ sunt Dei dona, nobis ceu Oeconomis tradita proximis benefaciamus, qvi nos in agone mortis constituros & omnibus Bonis terrenis denudatos suscipiant in æterna tabernacula communicando jura Domus cœlestis 2. *Timoth.* 1. *v.* 16, 17, 18.

IV. Cum de DEO legitur, *qvod reddat eis mercedem, qvi pauperi benefecerunt*, intelligitur merces, qvam pauperes retribuere debebant & non possunt; Hæc ex parte DEI est mere gratuita, licet eam debeant illi, qvi acceperunt beneficium: E. g. Filius servo debet mercedem pro servitiis, hanc cum non solvere possit filius, solvit eam Pater, qvi utcunq; servo nullam mercedem debet, mercedem tamen solvit, qvia illam solvit, qvam debet filius. His commenturanda Dicta *Prov.* 19. *v.* 17. *Sir.* 12. *v.* 2. *Eccles.* 11. *v.* 1. *Matth.* 10. *v. ult. Hebr.* 6. *v.* 10. *Luc.* 6. *v.* 38.

V. Beatus dicitur, qvi miseretur pauperis *Ps.* 41. *v.* 1. *seqq. Ps.* 112. *v.* 9. *Prov.* 14. *v.* 21. non qvia meretur vel pro peccatis satisfecit, sed qvia sperare potest præmia, qvæ Deus pollicitus ex gratiâ omnibus εὐεργέταις & beneficis.

VI. Qvia Misericordiæ operibus fides declaratur, illi qvi exercent misericordiam, describuntur ut splendentes & inclarescentes in pietate, *Esa* 58. *v.* 8. *seqq.* 2. *Corinth.* 9. *v.* 8, 10. &c.

VII. Eleemosynas erogans, thesauros terrenos distribuit, sed cœlestes sibi servat & multiplicat: Causa & ratio non est meritum donantis Hominis; sed gratuitum promissum DEI compensantis. Id qvod docent dicta *Matth.* 19. *v.* 21. *Luc.* 12, 33. *Luc.* 14. 14. *Marc.* 10. *v.* 30. 1. *Timoth.* 6. *v.* 19.

VIII. Per Eleemosynas pii sibi prospiciunt de intercessionibus, qvibus alii pro se intercedunt, ut Dei præsidium & auxilium rectius possint sibi polliceri. Nec in manu dantis (qvâ bona terrena actu nondum sunt Eleemosynæ) sed in manu accipientis exercent opera, qvæ ipsis tribuuntur. Hinc de Eleemosynis legitur, qvod nos liberent â malo, non suo merito, sed precibus illorum qvibus datæ sunt. *Sirach*, 29. *v.* 15. 18. *Psalm.* 112. *v.* 5, 7. *Sir. cap.* 3. *v. ult.*

IX. Non

IX. Non negamus, Deum Eleëmosynas in vita æternâ compensare sed qvod ut condigna merito compenset, inficiamur: Qvia enim justificatur homo fide sine operibus legis, omnis compensatio in vitâ æternâ promanat ex justitiâ Personæ, (qvæ credens in Christum dedit Eleëmosynas) & gratuitâ Dei promissione: Hæc egregiè illustrat *B. Chemnit. parte 2. Loc. Theol. cap. de Paupert. pag.* 165. cum ita scribit: *Deus, qvia misericordiæ ejus non est numerus, non servat proportionem Arithmeticam, sive in pœnis sive in præmiis, sed sicut Scholastici rectè dicunt, retribuit præmia ultrà condignum, & qvando pœnas infligit, hoc facit infrà condignum.*

X. Encomia Eleëmosynarum, qvæ leguntur in libro *Tobiæ* & *Siracidis*, sunt intelligenda 1. juxtâ normam Scripturæ Canonicæ, qvia hi libri sunt *Apocryphi*, 2. juxtâ *Editionem græcam*, non vero juxta *vulgatam Versionem latinam*, in qvâ *Originaliter* non sunt scripti prædicti Libri: *Tob.* 4, 11, 12. non legitur, qvod Eleemosyna liberet ab omni peccato & sit fiducia coram summo DEO; Sed commendantur Eleemosynæ ut (1.) θέμα ἀγαθὸν, qvod qvis sibi thesaurizat in diem ἀνάγκης. sc. in manibus accipientium, qvia preces & intercessiones piorum accommodant (2) beneficia, qvæ liberant â morte, & non permittunt, ut qvis eat in tenebras, qvia sc. eum, qvi accipit Eleemosynas â mortis periculo & variis malis præservant. (3) δῶρα ἀγαθὰ, coram altissimo, qvi delectatur hisce Hostiis. *Hebr.* 13, 16.

XI. Cum Angelus dicit *Tob.* 12, 9. ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται, καὶ αὐτὴ ἀποκαθαρίει πᾶσαν ἁμαρτίαν, οἱ ποιοῦντες ἐλεημοσύνας καὶ δικαιοσύνας πλησθήσον ζωῆς: describit Eleemosynas, 1. in manu percipientis, qvem præservant â morte & peccatis. 2. in manu dantis, cui DEUS promisit longævam vitam.

XII. *Sirach. cap.* 3. *v.* 33. Eleemosynam conferens Igni, extingventi aqvam, respicit ad lites & rixas variaqve peccata, qvæ in foro soli extinguuntur, cum strictum jus non semper urgetur in repetendis Bonis, proximo Communicatis: sed interdum mutuum datur iis, â qvibus nihil sperandum *Luc.* 6. *v.* 33. *seqq.* Eleemosyna itaqve ἐξιλάσεται ἁμαρτίας qvatenus reconciliat Hominem qvi dedit, Homini, qvi accepit beneficium, & hoc placet Domino, qvi suo tempore retribuit, qvod homines non compensarunt.

XIII. Eos, qvi dederunt piis pauperibus Eleemosynas, Deus exaudit, qvandò se invocant, & donorum Spiritualium augmento eos donat *Actor* 10. *v.* 4. *Esa* 58. *v.* 9. *Matth.* 10. *v.* 41. *Matth.* 5. *v.* 7. &c. qværitur autem

an Deus respiciat Eleemosynas, ut opera ex Condigno meritoria? Hoc nunqvam ex citatis dictis seqvitur, qvibus describuntur homines, jam Deo reconciliati per fidem in Messiam, qvi per Eleemosynas restiterunt peccatis, precum Exauditionem & donorum spiritualium augmentum impedientibus qvando homines immisericordiæ indulgent *Prov.21.v.13 1.Joh.3. v.17.* Placuit ergô Deo justificatorum Eleemosyna, non ob dignitatem operis, sed ob justitiam personæ credentis, qvæ per peccata non expulit fidem & Spir. S. Confer *Chemnit. d.l. & D.Hunn. tomo 1. oper.col 63. seqq.*

## Qv. XXII. *Num disciplinæ spontaneæ, vel impositæ â Sacerdote sunt mortificationes Carnis qvæ Deo placent, peccata expiant & vitam æternam merentur?*

### THESES.

I. Disciplinæ voce comprehendit qvæstio I. Flagellationes, qvibus vel dorsum vel alia pars Corporis cæditur & dilaniatur vel virgis vel loris, vel qvibuscunq; aliis instrumentis. 2. molestas peregrinationes, qvibus homines vel perreptant gradus templorum, vel incedunt nudo Capite & nudis pedibus, vel dispansis brachiis aliqvot conficiunt miliaria, 3. asperiorem amictum, qvalis est conspicuus in illis, qvi sacco & cilicio induuntur, calceis utuntur ligneis & funibus cinguntur nodosis. 4. situm Corporis doloriferum, qvalis est, in *κατακλίνια*, stationibus & recumbentibus super lapides, cilicia, asseres &c. 5. solitariam habitationem, qvæ est in sylvis, eremi, montibus, speluncis & aliis locis, ab Hominum Civili societate remotis. 6. viliorem victum, qvi refertur ad Jejunium Papisticum, de qvo paulo ante disputavimus.

II. Has disciplinas non possumus annumerare Bonis operibus, qvibus colitur Deus juxta suam voluntatem: qvia 1. in Canonicis scriptis neqve præceptum neqve promissum, neqve Exemplum de his Disciplinis annotatum 2. Spiritus S. reprobat istam Crudelitatem, qva qvis sævit in suum Corpus *Rom.13.v.14 Coloss.2.v.23 Ephes.5.v.20.* Conf. *Sir.3.v.27. Cap.30.v.22.* 3. ne qvidem in V.T. qvo Ecclesia adhuc legibus ceremonialibus subjiciebatur, Corporis laceratio fuit â Deo permissa *Levit.19.v.28 Cap.21 v.5. Deut. 14.v.1 Cap.25.v.3. 4.* Baalitis laceratio Corporis fuit usitata *1.Reg.18.v.28.*

III. Propugnantur hæc argumenta, per 1. Constantem contradictionem, qvæ toties reiteranda, qvoties Jesuitæ ogganniunt: Flagellationem & alias disciplinas esse castigationes tales, qvales sunt Præceptorum & Parentum; De his extant dicta & Exempla in sacris literis, de illis altum in Bibliis silentium. 2. distinctionem, qva distingvenda Castigatio modera-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0178
DFG

ta & immoderata, illi qvod annumeranda Flagellatio, corporis laceratio, &c. nunqvam evincent Adversarii. 3. Remotionem Exempli *Jerem.* 41. *v.* 5. qvod non approbatur d. l. sed historice duntaxat describitur. Israelitas in luctu gentilium esse imitatos consvetudinem, innuit *Jeremias Cap.* 16. *v.* 6. 4. Concessionem, qvâ concedendum, qvod Leges Ceremoniales nos amplius non obstringant, licet τὸ morale, qvod est fundamentum LL. Ceremonialium maneat: Nostra autem illatio urget (1.) τὸ morale in citatis locis qvod est qvintum præceptum, qvo non solum αὐτοχειρία, sed & sævitia in proprium corpus prohibetur. 2. libertatem Ecclesiæ N.T. qvæ non amplius sub Pædagogo, adeoqve superiori disciplinâ non premenda, atqve pressa est Ecclesia V. T.

IV. Qvod est proprium passionis, qvam Christus sustinuit, illud nostris παθήμασι non est tribuendum: At expiare peccata & mereri vitam æternam est proprium &c. quia requirit virtutem Θεανθρώπου. E. principium petunt, qui obvertunt 1. Christum nobis virtutem acquisivisse, quâ satisfaciamus & mereamur. 2. Nostram flagellationem & castigationem corporis, esse organicam & instrumentalem causam Remissionis peccatorum. Confer *D. Heilbrunn. lib.* 1. *Carnif. Esawit. Zeamann. lib.* 2. *D. Hutter. in. Loc. Theolog. pag.* 910.

## ANTITHESES.

I. Mores sunt sanctorum Virorum, corpora affligere ciliciis & flagellationibus. *Gretsf. lib.* 1. *de Disciplin. cap.* 2. *&* 8. *Patzmannus lib.* 9. *Hodegi.*

II. Flagellationes spontaneæ placent Deo *Gretsf. l.* 1. *de Disc. c.* 6. 7.

III. Humani Corporis victima illi unico sacrificio, qvod in arâ crucis oblatum, invisibiliter permiscetur, & sic in uno thesauro sacrificium omne reconditur, videlicet & qvod unum membrum, & qvod unum caput omnium Electorum obtulit. *Gretsf. in Prædicante vapul. pag.* 179.

IV. Iste Sanguis, qvi amore Christi veroqve desiderio agendi pœnitentiam, per Disciplinas & flagellationes effunditur, 1. peccata expiat & regnum Diaboli poenitenter destruit. *Gretsf. l.* 2. *de Disc. cap.* 5. 2. redimit peccata mortalia qvoad pœnam, venialia, qvoad pœnam & culpam *Gretsf. in præd. vapul. lib.* 3 *pag.* 17. 3 extirpat peccatum, & recuperat integritatem, qvam in statu innocentiæ Homines habuerunt. *Fr. Arias parte* 1. *de mortif. Cap* 7.8.16. *Gretsf in præd vap. libr.* 1. *pag.* 11. 4. excitat memoriam & imitationem passionis Christi *Gretser. lib.* 1 *de Disc. cap.* 3. *&* 5. *in præd. vap. S. Apolog. l.* 1. *pag.* 237. 5. est meritorius & satisfactorius, cujus fructus corona gloriæ *Gretsf. l.* 5. *de Disciplin. c.* 3. *c.* 9. *& lib.* 3. *Cap.* 1

HYPO-

## HYPOTHESES.

I. Mortificatio Carnis non est suscipienda, ex Hominum arbitrio & placitis, sed ex Spiritus S. regulis, qvibus Disciplinæ papisticæ non leguntur præscriptæ.

II. Mortificatio & crucifixio, qvam Deus â Renatis exigit, spectat Corpus humanum, non in se & suâ essentiâ, sed in suo vitio, qvod est peccatum: Hinc præcipitur, ut mortificent renati facta carnis *Rom.* 8, 12. crucifigant veterem Hominem, ut destruatur Corpus peccati, ne ultrâ serviant peccato *Rom.* 6, 6. carnem crucifigant cum vitiis & concupiscentiis *Galat.* 5, 24. mortificent membra super terram, scilicet fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam malam &c. *Coloss.* 3, 5. In his & similibus dictis non consideratur Corpus & Caro homines in se & suâ οὐσίᾳ (aliâs & Corpori πρωτοπλάστων in statu integritatis, nec non Corpori Christi hæc præcepta fuissent danda), sed in suâ Existentiâ vitiosâ, qvatenus est Corpus peccato infectum, vel Caro repugnans Spiritui S. & legi divinæ.

III. Ad veram mortificationem veteris Adami non sufficit externa corporis membra affligere, sed Animæ motus coercendi sunt, non solum in inferioribus potentiis; sed etiam in superioribus, sc. intellectu & voluntate, qvibus qvod peccatum regnare possit, ex scripturis & propriæ nostræ conscientiæ testimonio sumus convicti.

IV. Qvi propriam & literalem significationem in voce ὑπωπιάζειν 1. *Cor.* 9, 27. urgent, negligunt 1. phraseologiam Spiritus S. qvâ plerumqve per metaphoricas phrases describit Renatorum actus, peccati dominium supprimentes: Has si omnes in literali sensu velint accipere Adversarii, necesse est, ut cor eruant, & aliud novum substituant, ipsam cordis substantiam scindant, oculos eruant, manus & pedes amputent, corpus suum Crucis arbori affigant &c. 2. σωτηρίαν Textus Apostoli, qvo ut cursus metaphoricus & pugna metaphorica; ita etiam castigatio metaphorica intelligenda; servitutem, qvam Apostolus suâ castigatione intendit & obtinuit; Hæc non competit Corpori humano in suâ Naturâ, qvâ subjicitur Animæ; non dominatur, sed in suâ Corruptione, qvam qvi flagellis scuticis, virgis & aliis materiatis instrumentis ferire & percutere intendit, æqve profectò stolidus est, ac si qvis crederet, se homicidium & furtum capitali afficere supplicio, cum homicidas & fures condignis subjicit pœnis.

V. Deus

V. Deus præcepit castigationem & disciplinam 1. Magistratui Politico, *Prov.* 26, 3. *Rom.* 13, 4. 2. Parentibus, *Prov.* 13, 24. *cap.* 19, 18 *cap.* 23, 13. *Sir.* 22, 3. *cap.* 30, 1. 3. Præceptoribus, *Prov.* 4, 13. 4. Dominis, qvi imperant servis. *Prov.* 29, 21. *Sir.* 33, 27, 28. Ut autem qvis se ipsum flagellis cædat, vel alias disciplinas, qvas excogitârunt Pontificii, eo fine suscipiat, qvem intendunt Adversarii, nullo verbo Deus jussit: Hinc manet Disciplina Papistica humanum inventum, qvoad 1. modum, qvo exercetur. 2. finem, qvi intenditur.

VI. Legimus qvidem in Bibliis, de Ciliciis, saccis & aliis vestibus vilioribus, qvæ ceu vestes lugubres opponuntur vestibus elegantioribus 2. *Sam.* 3, 3. *Ps.* 35, 13. *Ps.* 69, 12. *Jerem.* 4, 8. *cap.* 6, 26. *cap.* 49, 3. *Thren.* 2, 10. *Ezech.* 7. *v.* 18. quod autem his vestibus annexa fuerit vel singularis sanctimonia, vel virtus satisfaciens, vel virtus meritoria, nunquàm legimus in scriptis Canonicis. Hæc præterquam quod Adversarii suis disciplinis vendicent, multas etiam superaddunt afflictiones, quarum in Bibliis nulla extant vestigia.

VII. Gestus mœrorem exprimentes sunt distincti: Quidam ex insito naturæ motu prorumpunt, & in Bibliis non simpliciter damnantur, ut femoris percussio, pectoris contusio, &c. Quidam ex spontaneâ electione assumuntur, quales sunt Flagellatio, humicubatio &c. & in Sacris Literis non approbantur.

VIII. Disciplina Crucis in sacris literis commendata, nihil habet commercii cum Disciplinis Papistarum th. 5. descriptis: Nam 1. hæ eliguntur ab Hominibus! illa immittitur â Deo. Hæ tendunt ad satisfactionem & meritum! illa ad alios fines, de quibus suo loco. Hæ certis hominũ Individuis vel Ordinibus astringuntur: illa omnibus fidelibus offertur.

IX. Christus non distinxit inter Cruces! quod qvasdam nobis imponere, quasdam impositas ab aliis tolerare debeamus; Crucem suam accipientes se sequi jubet. Ipse autem sibi non Crucem imposuit, sed ab aliis impositam recepit atq; portavit

X. Hypocritica est gloriatio Flagrionum in Papatu, qvâ jactitant, se imitari Christum: Nam 1. Christus seipsum non flagellavit. 2. si omnia vellent in se recipere παθήματα Christi, etiam spinis se coronare, aceto ac myrrhâ potare, imò crucifigere deberent. 3. quomodo passionem Christi imitari debeamus, Spiritus Christi explicavit, qvum monuit, ut vestigiis Christi insistamus in patientia *Hebr.* 12. 1, 2. mansvetudine & innocentia coram nostris persequutoribus 1. *Petr.* 2. 20. *seqq.* &c. 4. Christus

nullam passionem sibi ipsi inflixit, sed spontaneo motu sustinuit Cruciatus, quos Justitia DEI Vindicatrix, hominum peccatis irritata, vel immediatè, vel mediante hominum sævitia imposuit.

XI. Johannis Baptistæ victu & amictu asperiore qvi confirmare conatus disciplinam superûs descriptam, peccat παραλογισμῷ παρα τὸ ἄπον, μὴ ἄπον: Non enim elegit Johannes Baptista hunc victum & amictũ, ut corpus suum domaret atq; enecaret; sed ut 1. sese conformaret suo Typo Eliæ, qui erat Vir pilosus 2. *Reg. 1. v. 8.* 2. majori authoritate viam Messiæ præpararet, ceu vox clamans in deserto *Matth. 3. v. 3, 4.*

XII. A statu qvæstionis Adversarii semper deflectunt, nisi evincant tot disargumentis 1. DEum delectari istis disciplinis, de quibus est qvæstio 2. illos sanctos Deo placuisse, qui his Disciplinis sese castigarunt. 3. Has disciplinas satisfacere divinæ justitiæ, & mereri vitam æternam.

XIII. Flagellationes & aliæ disciplinæ differunt â precibus & Eleemosynis, quatenus hæ â Deo leguntur mandatæ, illæ nequaquam: Quoad Finem autem, quem Pontificii intendunt, eadem est illarum ratio: quemadmodum enim opera non mandata; ita etiam mandata â DEO, suum emittunt splendorem, qvoties procedunt ex opinione satisfactionis atqve meriti, vide supra *qv. 6.*

XIV. Stigmata Christi, de qvibus Paulus gloriatur *Galat. 6. v. 17.* non fuerunt vulnera ab ipso Paulo perfussa, sed vestigia violentiæ qvam Apostolus â perseqvutoribus passus fuerat.

# CAP. II.

## DE REVOCATIONE, SEU RENOVATIONIS AMISSIONE, AC RESTITUTIONE.

UTi debilis ita & maxime labilis qvoqve est homo, etiam qvando jam renovatus est, idqve qvidem ob carnis residuas reliqvias. Sed vero & hic gratia magna est. Bene *Bernhardus in Ps. 116. Qvando ignorabam me instruxit, qvando errabam me reduxit, qvando peccabam, me correxit: qvando steti, me tenuit, qvando cecidi me erexit: qvando ivi me deduxit, qvando ad ipsum veni, me suscepit.* Revocans hæc est illa Gratia, qvâ renovatio amissa denuo restituitur. De qva qvid sobrie sentiendum sit, præsens caput sistere studebit.

Qv. I.

QV. I. *Annon Justificati Renovati & Electi, gratiam Justificantem ac sanctificantem possunt amittere?*

## THESES.

I. QVi fuerunt Electi, hoc est, *præcogniti* â Deo, ut finaliter in Fide & gratiâ justificante perseverantes, ad tempus excusserunt interdum totaliter fidem salvificam & gratiam regenerantem S. Spiritus.

II. Astruimus thesin prolatam hoc Syllogismo: *Qvi commiserunt Idololatriam, adulterium, homicidium, Christum abnegarunt & ejus Resurrectionem credere noluerunt, illi eo tempore, qvo dicta peccata perpetrarunt, excusserunt totaliter fidem justificantem, & gratiam regenerantem Spiritus S. At qvidam Electi commiserunt peccata jam nominata. E. Propositionem* stabiliunt dicta S. Scripturæ, qvæ *gratiam justificantem* totaliter denegant Idololatris. 1. *Corinth. 6. v. 9. Apocal. 21. v. 8. cap. 22, 15.* Adulteris, *Deut. 22. v. 22. Hebr. 13. v. 4. 1. Corinth. 6. v. 15, 16.* Homicidis, 1. *Joh 3. v. 15. Galat. 5. v. 21.* Abnegantibus Christum, *Matth. 10. v. 33.* nolentibus credere Resurrectionem Christi â mortuis 2. *Timoth. 2. v. 18. Minorem* probant Exempla Aaronis Idololatræ, *Exod. 32. v. 25. Deut 9. v. 20.* Davidis Adulteri & Homicidæ 2. *Sam. 12. v. 5, 9, 13.* 1. *Reg 15. v. 5.* Petri abnegantis Christum, *Matth. 26. v. 69.* & Thomæ nolentis credere Christi Resurrectionem *Johan. 20. v. 25.*

III. Hujus Argumenti nervum non incidunt nudæ assertiones, de (1) Fidei lemine in corde latente, qvando Electi peccant contra Conscientiam. (2) Decreto Dei, qvod non permittat, ut Electi, peccantes contra Conscientiam, amittant totaliter gratiam justificantem (3.) Defectu Consensus & προαιρέσεως, qvi prænominatis Electis affingitur. In his sunt Ingenii humani, respuentis veritatem divinam, somnia, qvæ evanescunt, si attendas (1.) statum illorum, qvi sunt Idololatræ, Adulteri &c. in qvo juxta Scripturæ S. doctrinam, nulla fides justificans locum invenit. (2) Decretum Electionis, qvod non absolutum, sed conditionatum, in qvo retinent Electi Dei gratiam, non ut Idololatræ Adulteri &c. sed ut pœnitentiam agentes. (3) Circumstantias in Historiis Biblicis, qvæ satis probant, non defuisse dictis Electis προαιρεσιν, Consensum, & perseverantiam qvandam in peccatis mortalibus.

IV. Qvi vere fuerunt coram Deo Justificati, & κατ' ἀλήθειαν renati, aliqvando totaliter ac finaliter amiserunt gratiam Justificantem, fidem Salvificam & Spiritum S. adeoq; in æternum exitium sunt prolapsi.

V. Ita nos credere & docere jubent 1. Comminationes divinæ, qvibus Deus minatur æternam mortem, si justi justitiam deserant, in qvâ vitam æternam potuerunt obtinere, & si vivant secundum carnem, qvando acceperunt Spiritum S. qvo possunt mortificare facta carnis *Ezech.* 18, 20, 24. *cap.* 33, 13. *Rom.* 8, 13. 2. Exempla προσκαίρων, *Matth.* 13, 21. *Luc.* 8, 13. qvi cum gaudio susceperunt verbum Evangelii; (uti solent illi, qvi verè credunt *Actor.* 13, 48. *cap.* 17, 11. 1. *Thes.* 1, 6.) & tamen non salvati sunt, qvia fructum non tulerunt in patientiâ. Luc. 8, 15. 3. Exempla Finaliter impœnitentium, qvi *Hebr.* 6, 4, 5. describuntur ut φωτισθέντες ex illo statu, in qvô splenduerunt verè justificatorum Notis ac proprietatibus, qvia de verè justificatis docet Spiritus S. qvod sint φωτισθέντες *Ephes.* 1, 18. *Hebr.* 10, 32. 2. *Cor.* 4, 4. gustantes, qvam suavis sit Dominus *Ps.* 34, 9. 1. *Pet.* 2, 3. Templa S. Spiritus *Rom.* 8, 15. 1. *Corinth.* 3, 16. agnoscentes veritatem 1. *Timoth.* 2, 4. 2. *Tim.* 2, 25. *c.* 3, 7. *Johan.* 14, 17. 4. Exempla Saulis, viduarum lascivientium, & Redeuntium ad mundi sordes, qvas evitârunt; De isto constat, qvod damnatus sit 1. Paralip. 10, 13. & tamen anteqvam receßit ab eo Spiritus Domini, non potuit eum exagitare spiritus neqvam qvi advenire potuisset, si Saul verè Renatus non fuisset 1. *Sam.* 16, 14. De illis asserit Apostolus, qvod damnationem habeant, qvia πρώτην πίστιν ἠθέτησαν, & conversæ sint retrô Sathanam 1. *Timoth.* 5, 11. qvem effugiunt verè renati *Actor.* 6, 18. De his Petrus testatur, qvod illis caligo tenebrarum reservetur, 2. *Pet.* 2, 17. & qvod refugerint coinqvinationes mundi, in cognitione Domini nostri Jesu Christi, hisqve rursus implicati superentur, qvandò agnoverunt viam justitiæ, & retrorsum conversi sunt â Sancto mandato, similes facti *Canibus, qvi revertuntur ad vomitum, & Suibus, qvæ lotæ jacent in volutabro luti. v.* 20, 21, 22.

VI. Allatrantes Exceptiones, qvibus infesti sunt Adversarii allatis dictis atqve exemplis, compescunt hi Aphorismi. 1. Conditionalis Sermo vel profertur in Bibliis ab Exaggerante & Amplificante; vel ab Admonente, promittente & comminationem urgente: Ille nihil ponit, ut *Ps.* 138, 9. *Galat.* 1, 8. *&c.* Hic si nihil ponit in Esse, semper aliqvid ponit in posse; Ridiculus enim foret, qvi præciperet Homini cælibatum, & obedienti promitteret præmium, inobedienti minaretur supplicium, sub hâc conditione, si Homo fiat Angelus. 2. *Actor.* 27, 30. Conditio aliqvid ponit: qvia integra promissio data Paulo, hæc erat: omnes erunt incolumes, fractâ nave: E. navis, antè naufragium, non erat deserenda.

3. Ezechiel

3. Ezechiel de eâ morte loqvitur, qvæ per pœnitentiam potest averti, qvalis non est mors sola temporalis. 4. Ignorant S. literæ diversas illas fidei Species, qvarum alia perseverans, alia temporaria: Fideles alios vocat προσκαίρους, alios perseverantes, non ipsam Fidem, ad cujus essentiam si pertinet perseverantia, ante ultimum vitæ articulum, nemo habet veram fidem; nulliqve credentes erunt in viâ, qvâ tendunt ad patriam, qvam perseverantes in fide attingunt. 5. *Temporarium* non opponitur *Vero*, qvasi temporaria non sit vera fides; sed opponitur τῷ *perseveranti*; Uti autem Rosa est vera substantia, licet non perseverans in hyeme, ita Fides πρόσκαιρος vera fides, licet non persistat in Tentatione. 6. Omnis vera Fides habet radices, ut omnis vera planta: sed uti radices Plantarum semper non sunt in terram profundam defixæ; ita Fidei etiam radices in hominum cordibus non semper altas agunt radices, qvæ maneant & subsistant, cum exterior persequtionum vis Fidei plantam movet, vel agitat. 7. Spiritus Illuminationis describitur etiam ut spiritus Regenerationis *Ephes.* 1, 18. 8 Non statim differunt realiter, qvæ effectis differunt: Alii effectus proficiscuntur â nobis infantibus, alii â nobis, qvando in adultâ sumus ætate; nec tamen alia essentia humana in nobis infantibus, alia in nobis adultis. 9. Differt qvidem fidelis perseverans, â fideli deficiente ut terra fertilis â terrâ petrosâ, sed ideò ipsa fides essentialiter non est alia in illo, alia in hoc: Etsi enim ab hoc excutitur, ab illo conservatur, diversa hæc fidei accidentia non constituunt diversam essentiam.

VII. Hominum justificatorum & sanctificatorum Apostasiam non esse simpliciter impossibilem, Scriptura docet, qvando monstrat Apostasiam 1. qvorundam Angelorum *Joh.* 8, 44. 2. *Pet.* 2, 4. 2. [illegible] Evæ, qvibus concreata fuit sanctitas & justitia *Eph.* 4, 24. qvod si concreata potuit amitti sanctitas, cur non restituta? 3. Salomonis, sapientissimi Hominis, inter peccatores, 1. *Reg.* 11. qvem non absolvit â peccatis, vel promissio 2. *Sam.* 7, 15, qvæ conditionalis fuit, & restricta ad stabilitatem Regni, vel dictum *Eccles.* 2, 9. qvod de sapientiâ civili & politica accipiendum, qvalis etiam in Impiis deprehenditur. 4. Incredulorum judæorum. *Rom.* 11, 20. *seqq.* qvi exciderunt ab illâ fide, qvæ est ipsius DEI donum, inferens Homines in oleam salutis, & conveniens illis, qvi stant in fide. 5. Hominum ab immundo Spiritu liberatorum *Matth.* 12, 44. *Luc.* 11, 24. qvi non sunt Hypocritæ, qvia ab his Spiritus immundus nunqvam fuit ejectus. 6. Galatarum, *Galat.* 3, 1. 4, 5, 4. 7.

Hymenæi & Phileti, 1. *Timoth.* 1, 19. 2. *Tim.* 2, 16. qvi amiserunt non solum doctrinam fidei, sed etiam eam fidem, qvæ conjuncta cum bonâ Conscientiâ adhærente justificatis. 1. *Tim.* 3, 9. 1. *Pet.* 3, 16. *Hebr.* 10, 22. c. 13, 18. cujus naufragium excludit ab æternâ salute, qvæ fuit in Timotheo, & ob cujus amissionem tradendi sunt Homines Sathanæ [Nullum est effugium in (1.) φράσει περὶ τὴν πίστιν, qvæ etiam alibi idem notat, ac si dictum fuisset in fide. 2. *Tim.* 2, 18. 1. *Tim.* 6, 4. sic τῷ περὶ ζητήσεως, 2. *Tim.* 3, 8. correspondet τὸ in qvæstione. (2) in voce ἀπωσάμενοι, qvæ cujuscunqve sit significationis in aliis locis, hoc loco notat excussionem, uti vox opposita ἔχων indicat] 8. Episcopi Ephesini, *Apocal.* 2, 4, 5. qvi ita excidit gratiâ Dei, ut pœnitentiâ indiguerit, si candelabrum de loco moveri, noluit.

VIII. Conclusiones ex his omnibus prosiliunt sequentes, 1. Electi totaliter amittunt gratiam justificantem, cum peccatum in illis regnat 2. Renati & verè justificati totaliter & finaliter aliqvando amittunt gratiam justificantem [ Fidem salvificam, 3. Sanctitatem restitutam amittere totaliter possunt Homines, qvum Concreatam amittere potuerunt qvidam Angeli & Homines.

IX. Electi qvi sunt, finaliter gratiâ DEI non excidunt: Sunt enim electi, qvi finaliter in Fide justificante perseverant, & hinc contradictionem in adjecto profert, qvi affirmat: Electos finaliter amittere fidem ac gratiam justificantem: Hoc est: Perseverantes in fide non esse perseverantes in fide.

X. Spiritus S. non inspiravit eam doctrinam, qvâ vere Renatorum & Electorum apostasia ut impossibilis denunciatur: Potiûs utrisqve tam Renatis qv[illegible] Electis proponit. 1. periculum seductionis *Matth* 24. 12, 13. *cap.* 26, 41. *Johan.* 15, 6. *Rom.* 11, 22. *cap.* 16, 18. 1. *Cor.* 10, 12. 2. *Cor.* 11, 3. 1 *Tim.* 6, 10. 1. *Pet.* 2, 11. 2. adhortationes ad constantiam *Matth.* 10, 22. *Coloss.* 1, 23. *Hebr.* 3, 6, 12. *Apocal.* 3, 11. 3. dehortationes, avocantes â peccatis, securitate, segnitie in pietatis cursu &c. quibus abundant sacræ paginæ: Hæc doctrinæ capita dùm tradit Spiritus S. non vult, ut Electi vel renati doceantur, se non posse ullâ ratione amittere fidem salvificam: Nam hâc positâ doctrina, superv[illegible]anea sunt omnia monita S. Spiritus, quibus nil aliud ageretur, ac si quis Nautam doceret, impossibile esse naufragium, & tamen eundem operosè moneret, ut scopulos evitaret, loca vadosa fugeret &c.

XI. Nil juvat Distinctio Adversariorum, qua distinguunt inter *Apostasiam*

*ſtaſiam verè fidelium* conſideratam *in DEI Electione*, & conſideratam *in viribus humanis*: *Hanc* dicunt *poſſibilem*; *illam impoſſibilem*: Nam *hæc poſſibilitas* nunqvam tranſiret in actum, & æqve poſſibilis eſſet apoſtaſia ſanctorum, ſi impoſſibilis ſtatueretur in Decreto DEI abſoluto, atq; poſſibilis eſſet Scriptio illi, cui manus ſunt amputatæ, vel ambulatio poſſibilis ei qui ferreis ſemper conſtringitur compedibus. Confer D. *Battum l. I. contra Beenfeld. Gerhard tom* 4 *L.* 20. §. 137. *Meiſn. in Anthrop. Dec.* 2. *diſp.* 9. *Remonſtrantes in Defenſ.* 5. *articuli.*

## ANTITHESES.

I. *David* gravia quidem flagitia perpetravit, fidem vero & Spiritum S. penitus non amiſit, ſed Spiritum precum in centro cordis latentem, & occultum timoris DEI ſemen in animo retinuit. *Embdenſ in Syn. Dordr. Judic. provinc. pag*, 806. *Beza part.* 2. *Reſp. ad Acta pag.* 79 *in Coll. Momp. p.* 464.

II. Non-Electi ad ſtatum Adoptionis & juſtificationis nunqvàm perveniunt. *Judic. Exter. pag.* 767.

III. Fides προσκαιρων non eſt vera & juſtificâns fides, ſed differt Fides temporaria à juſtificante, ſpecie, & per omnes cauſas, Efficiente, ſubjecto, forma, fine, effectis, adjunctis. *In Judic. Ext. Thool pag.* 796. 799. 817, 816 *in Judic. prov p.* 397. 444.

IV. Deus in lapſibus Sanctorum conſervat in ſanctis ſemen illud ſuum immortale, ex qvo regeniti ſunt, ne illud pereat aut excutiatur. *Synod. Dordr. artic. cap.* 5. *artic.* 6. 7. Conſentiunt Theologi omnes, *Exteri & Provinciales in ſuis Judiciis de Art.* 5. Confer Syllabum, qvem ex ſcriptis *Contra-Remonſtr.* collegerunt *Remonſtrantes*, in *Declarat.* 5 *artic. pag.* 207. *Wendelinum de Prædeſtin. pag* 160. *ſeqq. Paræum in Iren. pag.* 261. *Poland. 6. Syntagm. cap.* 43.

## HYPOTHESES.

I. Antitheſes recitatæ adverſariis probandas exhibent has Concluſiones. 1. Electi in peccatis regnantibus non amittunt gratiam juſtificantem & fidem ſalvificam. 2. Qvicunqve totaliter & finaliter excidunt Dei gratia, nunqvam verè fuerunt juſtificati. 3. Quibus ſemel data eſt fides juſtificans & gratia Dei regenerans, qvâ facti ſunt Filii Dei, illi nec totaliter nec finaliter, ullis peccatis excutiunt vel excutere poſſunt gratiam S. Spiritus, qvâ habitat in Dei Filiis.

II. Ludificant Eccleſiam Dei Adverſarii παραλογισμοις παρὰ τὴν ἄγνοιαν

ἀγνοιαν ἐλέγχα qvoties evincunt 1. Electos non amittere fidem justificantem finaliter. 2. Renatos peccatis, ex infirmitate subortis, qvibus nec indulgent, nec delectantur, nec immorantur, non excutere Spiritum S. & fidem in Christum. 3. Electos & Renatos custodire, in gravissimis suis lapsibus, Fidem Historicam, 4. Spiritum Sanctum adesse omnibus peccatoribus, præsentiâ potentiæ; de qvâ hic non disputatur, cum qvæstio est de præsentiâ gratiæ. 5. Reditum habere ad gratiam Dei Justificantem & Spiritum S. enormes peccatores, post commissa peccata: Sumus his conclusionibus non adversi.

III. Scripturæ dicta, qvæ describunt sanctos & credentes, ut in fide stantes ac studio bonorum operum decurrentes, non possunt opponi nostris thesibus, qvæ disserunt de Sanctis, ut prolapsis & secundum Carnem viventibus, de qvibus non loqvuntur viri θεόπνευστοι *Ps.* 1. *v.* 3. *Ps.* 111. *v.* 3. *Johan.* 3. *v.* 36. *cap.* 6, 35, 47, 51. *Johann.* 4, 14. *Johann.* 6, 37, 39. *cap.* 17, 15. *Rom.* 8, 30. 1. *Corinth.* 13. *v.* 8. *Epheſ.* 1. *v.* 13, 14. 1. *Johann.* 5. *v.* 4. 18.

IV. Promissiones datæ sunt a Deo fidelibus, qvibus promisit Fidei conservationem, in Tentationibus, Afflictionibus & infirmitate carnis, *Esa.* 42, 3, 4. *Ps.* 37. *v.* 24. *Ps.* 125. *v.* 1. *Cantic.* 8. *v.* 7. *Rom.* 8 *v.* 35. *seqq.* 1. *Corinth.* 10. *v.* 13. Hæ autem promissiones non sunt datæ illis, qvi peccata committunt mortalia.

V. Promissiones datæ toti Ecclesiæ Catholicæ, leguntur *Esa* 54. *v.* 10. *cap.* 59. *v.* 21. *Jerem.* 32. *v.* 40. *Oſea* 2. *v.* 19, 20. *Johan.* 14. *v.* 16. *Matth* 16. *v.* 18. Hæ non sunt detorquendæ ad putrescentia Ecclesiæ membra, qvalia sunt Renati, in qvibus regnat peccatum: Horum membrorum corruptio non impedit, qvo minus Ecclesia Catholica, in sanis & vivis suis membris, illa consequatur, qvæ ipsi sunt promissa.

VI. Resurgentes Sancti, non sunt in eodem statu cum cadentibus: David itaqve petens, ne auferat Deus a se Spiritum S. precatur ut resurgens â peccato, qvi jam recuperarat istum Hospitem, qvem prolapsus ejecerat.

VII. Non omnes promissiones Dei sunt absolutæ, sed multæ conditionatæ, qvarum Exempla manifesta sunt *Num.* 11. *v.* 28. 1. *Sam.* 11. *v.* 30. *cap.* 13. *v* 14. &c. His promissionibus conditionatis annumerandæ sunt etiam illæ, qvæ datæ sunt de Perseverantia *Rom.* 11, 29. 1. *Corinth* 1. *v.* 7, 8. *Philipp.* 1. *v* 6. 1. *Theſſal.* 5. *v* 23. 2. *Theſſ.* 3. *v.* 3. 1. *Pet.* 1. *v.* 5. &c. Nam in his nihil promittitur illis, qvi verbum S. Spiritus abjiciunt & peccato serviunt;

sed

sed qvicqvid promittitur, illis promittitur, qvi Spiritu S. se regi permittunt.

VIII. Apostolus *Johannes* 1. *Ep.* 3. *v.*9,10. de natis ex Deo rectissimè asserit, qvod peccare neqveant, qvia semen Dei manet in ipsis: Si jam vetus noster homo, qvem â parentibus traximus, per παλιγγενεσίαν penitus in hac vita destrueretur & in nihilum redigeretur, nullus renatus peccaret contra Conscientiam: qvia autem alibi scriptura docet, Renatos vivere hic in Corpore mortis *Rom.* 7. *v.*24. Apostoli Johannis sermo de Renatis, secundum novum hominem intelligenda, qvo nunqvam peccant.

IX. Verba Christi *Matth.*24 *v.*24. vel intelligenda de finali seductione Electorum, qvæ impossibilis; vel de consilio conatu & studio Pseudo-Christorum & Pseudo-Prophetarum, qvibus non semper fore possibilem seductionem, dicit Christus, qvam moliuntur: Confer. *Marc.* 13, 22. *Actor.* 20, 16. *Rom.* 12, 18. ubi similis sensus est phraseos, ἐὰ δύναται.

X. Fides vera καθ' ἑαυτὴν est unica, qvæ si consideratur κατ' ἐπιμονὴν & perseverantiam, dicitur Fides Electorum: Si attenditur κατ' ἐπίταξιν, est vel debilis, vel firma & fortis: si consideratur in πρὸς καιρούς, dicitur fides Temporaria.

XI. Dona Dei sunt semper ἀμεταμέλητα ex parte Dei; fiunt autem μεταμέλητα ex parte Hominum, qvi non manent in eo statu, in qvo Deus sua dona ipsis dare decrevit.

XII. Qvi exeunt ê cœtu fidelium, & turbant alios, corruptâ doctrinâ, fuerunt ex cœtu fidelium, vel qvoad externam societatem conversationis, vel qvoad internam societatem sanctificationis: De illis sermonem faciunt Apostoli *Actor.* 15, 24. de his Apostolus 1. *Joh.* 2, 19. qvi non affirmat, qvod illi, qvi crediderunt, omnes permaneant credentes, sed de illis, qvi credunt ut Electi, h. e. usqve ad finem, pronunciat hæc verba: si fuissent ex nobis, mansissent nobiscum.

XIII. Qvalis esse debeat certitudo nostra, secundùm voluntatem Dei revelatam, de nostrâ Electione, dilucidavimus hoc libro *Contr.* 3. & ostendimus certitudinem nostram non esse beatorum; sed viatorum, qvi utcunqve certi sunt, se currere in tramite, quo Electi currunt ad vitam æternam, metuere tamen debent, se posse ab hâc viâ deflectere, & nullibi informantur â Deo, ut impossibilem apostasiam sibi promittant: Deus solus sibi reservavit hanc scientiam, qvâ prævidet, qvinam finaliter sint perseveraturi; Hanc qui sibi arrogant scientiam, antequam finalem perseverantiam agnoverunt, præsumunt intelligere ut revelata, quæ in Dei intuitu sunt abscondita.

XIV. Si dubitetur vel de Salute nobis non præparatâ, ac acqvisitâ, vel de possibilitate ad eam perveniendi, vel de semitâ ad eam nos ducente, datur ἀφορμὴ & occasio ad Desperationem: Si qvis autem dubitet: Utrum semper talis futurus, qvalis nunc est, & utrum semper illum animum servaturus, qvem nunc sentit, laudabile & salutare est hujusmodi Dubitatio. Est enim hujusmodi dubitatio causa attentæ & sollicitæ curæ, de evitandis peccatis.

XV. Christi preces, quibus intercedit pro fidelibus, ut perseverent in fide, includunt obseqvium renatorum: ut perseverantia detur illis, qvi DEO reluctantur peccatis contra Conscientiam, & media respuunt, qvibus intervenientibus excitare DEUS vult perseverantiam; Christus nunqvam petiit. Pro Petro rogavit *Luc.* 22. v. 32. qvia verbum non abjecit ut Judas, sed recordatus est auditi verbi *Matth.* 26 v. 75. Pro omnibus fidelibus orat, ut Deus conservet eos in verbo *Joh.* 17. v. 17. præsupponit igitur, verbi contemptum esse ab iis removendum, quibus donum Perseverantiæ dandum.

XVI. Gustus vitæ æternæ, qvi tribuitur Renatis, non est opponendus veræ fidei sine qua nullus est Gustus vitæ æternæ: sed perfectioni, qvæ futura in Ecclesia triumphante. In hâc demũ manducabimus epulas cœlestes, & qvasi concoqvemus, qvæ his in terris primis qvasi labris degustavimus.

XVII. Ejicitur incola ê suo domicilio 1. per imperium, ut Dominus ejicit servum. 2. per vim majorem ut Fortis armatus expellitur à fortiori, 3. per dissensum & naturalem qvasi ἀντιπαθείαν, uti fumus pellit apes, grunnitus Suum fugat Elephantes, & lapides qvidam pretiosi abigunt Serpentes: Non primo nec secundo modo peccata regnantia pellunt Spiritus S. gratiosam præsentiam; sed tertius ejectionis modus secundum certam ἀναλογίαν intelligi potest, cùm nostræ Ecclesiæ Doctores dicunt qvod peccata Renatorum regnantia expellant Spiritum S. cujus Dominium qvasi ἀντιπαθείαν fovet cum dominio peccati: Non itaqve phrasibus excutere, expellere, ejicere &c. nostræ Ecclesiæ intelligunt violentum qvendam actum, sed privationem potius, qvâ peccantes sibi subtrahunt Spiritum S. qvem Deus sibi contumacitèr non resistentibus promisit: Hanc significationem intendit ipsa scriptura, cum dicit de Spiritu S. qvod contristetur *Ephes.* 4, 30. auferatur *Ps.* 51, 12. & recedat 1. *Sam.* 16, 15. Vide *D. Battum cont. Beenfeld. lib. 2. Remonstrant. d. l. & Gerhard. d. l. §. 144.*

QV. II. *An non pœnitentiam inveniunt Renati, quando primam gratiam DEI per peccata mortalia amiserunt?*

THE-

## THESES.

I. COdex sacer refertus est Exemplis illorum, qui gratiam DEI paternam per peccata enormia amiserunt, eamqve per veram pœnitentiam recuperarunt; Videantur hujusmodi exempla in Historiâ primorum Parentum *Gen.* 3 Aaronis *Exod.* 23. Davidis 2 Reg. 11. Manassis 2. *Paralip.* 33. Publicanorum *Luc.* 15. Matthæi *Matth.* 9. Petri *Matth.* 26. Thomæ *Johan.* 20. Pauli persequutoris *Actor.* 22. Incestuosi 1. *Cor.* 5. qui omnes postquàm in Circumcisione fœderi DEI fuerunt inserti, prolapsi sunt in peccata, vastantia fidem & bonam Conscientiam, quæ tamen remissa sunt, cùm syncerè resipuerunt.

II. DEUS al quoties hortatur peccatores, ut ad se revertantur, quando per peccata regnantia se deseruerunt. *Esa.* 55. *v.* 7. *Jerem.* 3. 12. 14. *Cap.* 4. *v.* 1. *Cap.* 6. *v.* 16. *Ezech.* 18. *v.* 30. *Zach.* 1. *v.* 3. *Actor.* 17. 23. *Luc.* 24. *v.* 47. *Matth.* 3. *v.* 2. 2. *Timoth.* 2. *v.* 25. 26. 2. *Cor.* 5. *v.* 20 *Apocal.* 2. *v.* 5.

III. DEUS promittit suam misericordiam omnibus peccatoribus, qui ad se revertuntur, & veram agunt pœnitentiam *Levit.* 26. *v.* 41. 42. 2. *Paral.* 15. *v.* 4. *Jerem.* 3. *v.* 13. *Ezech.* 33. *v.* 11. *Joel.* 2. *v.* 13. *Malach.* 3. *v.* 7.

IV. Passim in Sacrâ Scripturâ deprædicatur DEUS, ut placabilis & pronus ad reconciliationem, cùm peccatoribus *Exod.* 24. *v.* 7. *Psl.* 78. *v.* 38. *Psl.* 103. *v.* 8, 9. *Nehem.* 9. *v.* 17, 19, 31. *Jonæ* 4. *v.* 2. *Rom.* 2. *v.* 4.

V. Potestas Clavium, Concessa Ecclesiæ, nemini prodesset, si prolapsi post Baptismum in peccata, pœnitentiæ privarentur beneficio. Salomon in Dedicatione templi orat Deum, ut illis det locum pœnitentiæ, qui prolapsi in peccata vindicem Dei manum sentiunt 1. *Reg.* 8. Confer. *Gerh. tom.* 3. *L.* 18. §. 14.

## ANTITHESES.

I. *Novatus* cum Afflictis negavit, qvod peccantes post Baptismum consequi possint misericordiam. *Epiphan. Hæresi* 59.

II. *Cathari* pœnitentiam non admittunt in Renatorum Vitâ. *Augustin. lib. de Hæresib. ad Quod vult D. hæresi* 38.

## HYPOTHESES.

I. Apostolus *Hebr.* 6. v. 3, 4, 5. non concionatur de omnibus peccatoribus, post suam Regenerationem in peccata prolapsis; sed de Certo peccatorum Statu, qvi notatur per (1) φωτισθέντας (2) ἀναστανροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, (3) παραδειγματίζοντες v. 6. (4) terram qvæ profert spinas & tribulos, postqvàm sæpius fuit pluviis irrigata, & Agricolarum laboribus exculta:

II. Παραπίπτοντες dicuntur illi *Apostatæ*, qvi *prolapsi* in alium quasi incurrunt, eique obvios se sistunt, quemadmodum Emphasin hujus vocis evolvit *Budæus Comm. græc. Ling. pag.* 534. Ἀνασταυροῦντες sunt illi, qui CHRISTUM ut maledictum reprobant, quemadmodum mundus Paulo crucifixus, quia â Paulo reprobatus & Paulus mundo crucifixus, quia à mundo ceu περικάθαρμα rejectus *Galat. 6. v.* 14. 1. *Cor.* 4. 13. παραδειγματίζοντες sunt illi, qui per Repudium alicui publicam ignominiam incurrunt qvemadmodum hanc significationem offendimus *Matth.* 1. *v.* 19. Terræ, proferenti spinas & tribulos congruunt illi, qui obstinato animo in peccatis contra Conscientiam perseverant. Proinde peccatores, de quibus d. l. Apostolus disserit non Apostasiam committunt Simplicem, sed mixtam cum 1. actuali contumacia. 2. CHRISTI totali abnegatione. 3. Persequutione & contumeliâ. 4. Perseverantiâ in agnitæ veritatis Rejectione: Hujusmodi Apostasia fuit in illis, qvi ex Fidelibus Christianis facti sunt infideles Judæi; qvorum in Emendatione scopus totius *Epistolæ ad Hebr.* continetur.

III. *Pœnitentia* qvæ *impossibilis* dicitur, est *salutaris*, uti evincit vox ἀνακαινίζειν quæ passim de fructibus veræ pœnitentiæ accipitur *Rom.* 6. *v.* 5, 6. *cap.* 12. 2. *Galat.* 6. *v.* 15. *Ephes.* 4. 23. *Tit.* 3. *v.* 5. Hæc renovatio ad salutarem pœnitentiam dicitur impossibilis, non ex parte gratiæ divinæ, neque ex parte meriti Christi, sed ex parte Hominis repellentis, abnegantis, opprimentis & finaliter rejicientis Doctrinam Evangelicam: Est igitur hic impossibilitas Hypothetica, qvæ quod submotâ incredulitate, tollatur Paulus affirmat *Rom.* 11. 23.

IV. Si Antecedentia & Conseq. in Textu consideres, intelliges facilè, Apostolum suam Epistolam opponere Finali Apostasiæ quæ est in illis, qui habent Cor malum Incredulitatis discedendi â DEO vivo *Cap* 3 *v.* 12. qui obdurantur fallaciâ peccati & initium substantiæ usque ad finem firmum non retinent *v.* 13, 14. qui denique in Exemplum Incredulitatis incidunt, quod Israelitæ in deserto exhibuerunt, quando metu periculi facti â Dei promissione defecerunt *Cap.* 4. *v.* 11. *Seq. v.* 12. his prolapsis opponit Apostolus eos, qvi non Segnes efficiuntur, sed fide & patientiâ hæreditant promissionem.

V. De dicto *ad Hebr.* 10. *v.* 26 *seq.* vide *Controv.* 2. *lib.* 6. quod ut & præcedens, de *Peccato in Spiritum S.* tum demum intelligendum, quando descriptæ Apostasiæ Blasphema accedit Doctrina ejusque pertinax defensio. Vide Controv. 2. citat.

VI. Cum

VI. Cum Esavo *Hebr.* 12. 17. conferendi illi qui ob voluptates hujus seculi negligunt cælestem hæreditatem in hâc vitâ & qværunt pænitentiæ locum, quando Benedicti Patris jam immittuntur in plenariam possessionem Hæreditatis, coram Tribunali Christi, in Extremo judicio: Quemadmodũ enim Esavi intempestiva pænitentia non recuperavit terrenâ prærogativam, jam antè unico edulio divenditam *Genes.* 27. *v.* 33. ita Reprobi coram Judice Vivorum & mortuorum suis postulatis & querelis non reparabunt hæreditatem, ob vanas mundi delicias, his in terris rejectam. *Matth.* 25. *v.* 11. 45. 46. *Luc.* 13. *v.* 25. *seqq.* Esavum veram pænitentiam coram DEO egisse Historia Mosaica negat, de ipso ergo Apostolus affirmare non potest, quod apud Deum pœnitentiæ locum non invenerit.

VII. Non DEUM sed Homines sentire mutationem, quando hi resipiscunt, & ille dat veniam, expositum lege l. 2. Controv. 1. Confer. *Gerh. tom.* 3. *Loc. de Pœnit.* §. 14.

Q. III. *Annòn exspectanda Remissio Peccatorum illis, qui post agnitam Veritatem Habitum Peccati acquisiverunt?*

## THESES.

I. IN qvæstione explicandum *Subjectum*, de quo movetur quæstio, quod non designat 1. eos Homines, qvi veritatem cælestem & voluntatem Dei revelatam nondũ agnoverunt: Hi enim si vel maximè ex habitu peccarunt; tamen sine ullo dubio aditum habent ad pœnitentiam: 2. Renati, peccantes ex infirmitate vel ignorantiâ. 3. novitii & infirmi Christiani, qui peccati jugum penitùs nondum excusserunt. 4. peccatores uno actu, & peccati habitum non acquirentes: Hi omnes removendi, si cum iis, qui de hâc quæstione nobis litem movent, absqve ignoratione Elenchi velimus disputare, qvia qvæstionis Cardo consistit in illis qvi post justificationem & renovationem, peccata regnantia atqve mortalia crebrò committunt, & ex consvetudine, vel habitu eundem peccati actum sœpius iterant vel etiam multis atqve distinctis in peccatis mortalibus perseverant; de his qværitur; An ex verbo DEI possimus ipsis polliceri, qvod DEUS velit eorum pœnitentiam ac Conversionem?

II. Dictis peccatoribus nulla est promittenda DEI gratia, quamdiu 1. in peccatis contra conscientiam perseverant, insqve delectantur & contumaciter Spiritui S. obicem ponunt. 2. differunt pœnitentiam de die in diem, sine expresso DEI verbo sibi promittentes in ultimo mortis articulo DEI gratiam, quam toties repudiarunt, gratiâ oblatâ semper sic abutentes & reapse itidem in impœnitentiâ actualiter perseverantes. Neutris

tris enim DEus promisit gratiam, sed potius patientiam & longanimitatem suam spernentibus inqve impœnitentia actualiter semper perseverantibus justa sua judicia minatus est. *Rom.* 2. *v.* 4. 5. *Rom.* 3. *v.* 8. *Epist. Judæ. v.* 4. *Sirach.* 5. *v.* 6. *seqq. Hebr.* 3. *v.* 13. Quæ istiusmodi impœnitentibus peccatoribus sæpius proponenda sunt, quo ad pœnitentiam tandem adigantur, gratiæqve sic demum participes fieri queant.

III. Deum seriò velle, ut illi, qui post Conversionem suam sunt relapsi in peccata mortalia, iisq; assuefiunt & persistunt, ad se revertantur & pœnitentiam agant, confirmant 1. Dei Invitationes, qvibus illi, qvi in viis perversis ambulârunt invitantur, ut ab illis viis sese convertant ad vias bonas, quibus anteâ ambularunt, qvandô peccata contrâ Conscientiam evitârunt. *Esa* 55. v 7. *cap.* 65 v. 2. *Jerem.* 18. *v.* 11. *cap.* 25. *v.* 5. *cap.* 35. 15. *Ezech.* 18, 31. *Zach.* 1. v. 4. *&c.* In qvibus dictis notanda (1) metaphora, sumpta â Viâ, sæpius pressâ, cui optimè congruunt peccatorum habitus, qvi passim in bibliis viæ calcatæ comparantur 1. *Reg.* 15. *v.* 26, 34. *cap.* 16. *v.* 2. 19 26 *cap.* 22. *v.* 43. 53. 2 *Paralip.* 21. *v.* 6. *Jonæ* 3. *v.* 10. *Matth.* 13. *v.* 4. 2. *Pet.* 2. *v.* 15. *&c.* (2) Conditio illorum, ad quos diriguntur hæ invitationes, quæ docet, per circumcisionem omnes in fœdus DEI fuisse receptos, quorum pœnitentiam DEus expetiit, eosque jubet redire & reverti, ceu homines, qvi à rectâ viâ declinaverant.

IV. 2. DEI exhortationes qvibus Israelitas hortatur ad pœnitentiam, qui similes fuerunt uxoribus adulteris, quæ Viros suos reliqverunt & cum multis sunt fornicatæ *Jerem.* 3. *v.* 1. *Oseæ* 3. *v.* 1. *seqq.* De his tenendum, qvod 1. fuerint aliquando renati, qvia DEus affirmat, qvod sibi ceu Marito Spirituali adhæserint. 2. Habitualiter fuerint mali, qvia cum multis sint fornicati. 3. invitentur ad agendam pœnitentiam.

V. 3. DEI promissiones, quibus pollicetur peccatorum remissionem illis, qui â viis malis redeunt 2. *Paral.* 7. *v.* 14. *Jerem.* 26. *v.* 3. *cap.* 35. *v.* 15. *Ezech.* 18, 21. 23, 24. *cap.* 33, 12, 16. *cap.* 36, 32. Hæ promissiones non possunt restringi ad 1. peccantes ex infirmitate vel uno actu, quia textus sunt generales & nullam restrictionem indicant. 2. eos, qvi nondum agnoverunt voluntatem DEI revelatam; qvia ad Ecclesiam Israelitarum, in qva tonuit DEI verbum, fuerunt directæ.

VI. 4. Dicta & argumenta, qvæ astruunt theses, de DEI φιλανθρωπία, quâ expetit omnium & singulorum hominum æternam salutem, de universali merito CHRISTI, de seriâ vocatione omnium peccatorum ad pœnitentiam; qvæ suis locis videantur, & urgeantur adversarii,

ad-

adferant rationes ex verbo DEI, ob qvas illæ non sunt intelligendæ de iis, qvi post primam gratiam amissam relapsi sunt in peccata, eaq; continuarunt, ut peccatores ex habitu.

VII. Exempla illorum, qvi fuerunt 1. Conversi & renovati 2. peccarunt ex habitu. 3. egerunt pœnitentiam & in gratiam sunt recepti. Sic qvidam Fratres Josephi, qvi eum vendiderunt Ismaelitis, fuerunt verè renati, anteqvam odium conceperunt adversus Fratrem, qvidam etiam ex his sine dubio sunt salvati, & tamen odium adversus Fratrem diu hæsit in illorum cordibus, vereqve fuit habituale: uti patet ex Historiâ *Gen.* 39. *seqq.* Israelitæ in deserto per decem vices tentaverunt Deum, *Num.* 14, 22, & tamen non omnes æternâ morte perierunt, uti colligitur ex verbis *Domini d. l. v.* 20. Anteqvam etiam tentaverunt, fuerunt verè renati. *Exod.* 14, 31. Confer *Ps.* 78, 38. David per integrum ferme annum hæsit in adulterio & homicidio 2. *Sam.* 11, 12. & tamen invénit locum pœnitentiæ: Manasse tempore parentis sui Ezechiæ verum coluit Deum, deinceps habitum in idololatriâ contraxit, & tamen non rejectus, qvando egit pœnitentiam 2. *Paral.* 33. Judæi â vero Dei cultu sæpe defecerunt, fornicati sunt idololatriâ & tamen egerunt pœnitentiam *Lev.* 26, 41. *Ezech.* 16, 63. Israelitas incredulos & ex habitu peccantes confert Apostolus Confractis ramis, & tamen possibile judicat, ut si non permanserint in incredulitate, rursus inserantur *Rom.* 11, 20, 23. Incestuosum Corinthiacum tradidit Paulus Sathanæ, eo fine, ut spiritus salvus fieret 1. *Cor.* 5, 5. De Galatis verè conversis idem affirmat Apostolus, qvod non obediverint veritati *Gal.* 3, 1. qvod sint translati in aliud Evangelium *Gal.* 1, 6. & timet Apostolus, ne fortè sine causâ laborârit *Gal.* 4, 11. interim illos denuò parturit, donec Christus in illis formetur *Gal.* 4, 10.

VIII. Qvamvis in magno versentur periculo, qui freqventer per peccata actualia excidunt ex Dei gratiâ *Matth.* 12. v. 45. 2. *Pet.* 2. *v.* 20. *&c.* tamen absoluto Decreto, quo eorum Induratio sit prædefinita, non astringuntur perseverantiæ in peccatis, sed spontaneâ malitiâ verbo Dei repugnant, peccatis indulgent & delectantur, adeoq; in hoc statu metuenda est obduratio, & Dei desertio: Nam Deus dare vult gratiam illis, non qvi post conversionem suam, in iis perseverant peccatis, qvibus etiam saniores Ethnici abstinuerunt: sed pœnitentibus.

IX. Qvoties peccator, si vel maximè ex habitu peccarit, desistit â malitiosâ repugnantiâ & peccare desinit, quod illi non impossibile, qui fuit aliqvandô renatus & notitiam divinæ voluntatis conservavit; toties expectare potest Dei gratiam, qvâ ipsi peccata remittuntur; qvia 1. fœdus

gratiæ

gratiæ ex parte Dei est immutabile Rom. 3. v. 3. 2. Tim. 2. v. 14. 2. Nihil obstat nostræ pœnitentiæ, semoto studio, gaudio & perseverandi desiderio in peccatis actualibus. 3. Deus non permittit, ut peccatum superabundet gratiam Rom. 5. v. 20. 4. advocatum habemus apud Patrem, qvi propitiatio pro totius mundi peccatis 1. *Joh.* 2. v. 1. *seqq.* qvo in loco non est sermo de iis Peccatoribus, qvi sunt infirmi vel habitum peccati nondum excusserunt, qvia Apostolus in genere loquitur de peccatis pro qvibus Christus satisfecit, & scribit ad illos, qvi noverunt omnia v. 20, 27.

## ANTITHESES.

I. *Ijs, qvi habitum peccati contrahunt, nulla consolatio in sacris literis uspiam est proposita, nec jussi sunt fideles, ejusmodi corrigere, cum impossibile (nempè qvoad Homines & revelatam divinam voluntatem) sit, tales rursus renovari ad pœnitentiam, sed ab ejusmodi sese segregare tenentur.* Smalc. Cont. Frantz. pag. 295.

II. *Spem remissionis Peccatorum habent, qvi 1. in peccatis gravissimis hæserunt, ante primam suam Conversionem. 2. qvi post primam Conversionem uno actu peccârunt, vel etiam ex Infirmitate & ignorantiâ errarunt.* Smalc. d. l. p. 358.

III. *Habitus peccati ex eo cognoscitur, si qvis crebrò, datâ occasione ad eam rem, peccatum committat, qvamvis id doleat atqve deploret.* Smalcius d. l. p. 355.

IV. *Homines, qvi omnium peccatorum habitum & jugum excusserunt, & iterum Habitui alicujus peccati implicantur, Deus interdum non vult, ut unqvam deplorent peccata sua, ut Exempla judæorum tempore Christi docet, interdum vult, ut deplorent, & tamen non vult, ut verè resipiscant, & ad se convertantur, ut Exemplum Judæ ostendit.* Smalz. d. l. pag. 361.

## HYPOTHESES.

I. Pœnitentiæ initium est agnitio & detestatio peccati, qvæ illis, qvi in Ecclesia vivunt & fuerunt aliqvando verè renati, non est impossibilis, qvia Spiritum Sanctum audiunt peccata arguentem, & notitiam de lege & Evangelio non amiserunt, qvando excusserunt gratiam regenerantem & fiduciam, qvæ Christum apprehendit: Qvod si studio & desiderio peccandi habitum peccati non obfirment, semper possibilis est conversio illorum, qvi peccarunt ex Habitu, qvia Deus non vult denegare fidem justificantem & gratiam suam iis, qvi agnoscunt & detestantur peccata sua.

II. Inepte Disputant, qvi concludunt, Deum non velle dare remissionem peccatorum iis, qvi hærent in peccatorum Habitibus: Similes enim sunt concludentibus; Deum non velle justificare Impœnitentes, vel Impœnitentes non esse pœnitentes: Hoc autem nemo sanæ mentis in Ecclesia

cletia affirmat, sed concludendum erat, 1. Deum non velle, ut agant pœnitentiam, qvi habitualiter sunt impœnitentes. 2. illos, qvi habitus peccatorum acqvisiverunt, DEUM absolutè indurare & nunqvam in gratiam recipere velle ideò, qvia post primam abjectam gratiam peccarunt ex habitu. 3. nullam sperare posse remissionem peccatorum, qvi fuerunt aliqvando renati, peccarunt ex habitu, & tandem agnoverunt ac detestati sunt peccata.

III. Pœnitentia non est confundenda cum fructibus pœnitentiæ, qvi seqvuntur pœnitentiam: Etsi ergò nova obedientia & vitiosorum habituum correctio veram pœnitentiam infallibiliter inseqvuntur; Tamen ad ipsam pœnitentiæ constitutionem sufficit contritio & fides in CHRISTUM, qvæ propositum de emendanda vita includit. Uti ergò fructus plane non prorumpentes, monstrant sterilitatem arboris, licet fœcunda sit arbor, cum omni tempore non ferat fructum: ita bonorum operum continua absentia testatur de Hypocriticâ pœnitentia, qvamvis vera sit pœnitentia, cum primo statim tempore non adsint bona opera.

IV. Perfectio renatorum, qvàm Photiniani deprædicant, est mentis humanæ figmentum, quod Spiritus S. non revelavit vel docuit. Vide supra q. 4.

V. Qvod sint justi, qvibus non necessaria pœnitentia, testantur Salvatoris verba Matth. 9. v. 11, 13. Luc. 15. v. 7. qvod autem illi sint in Ecclesia militante, æqi ut in triumphante, ex CHRISTI verbis non seqvitur. Qvales sint illi justi, de qvibus ait Salvator Luc. 15. v. 7. qvod pœnitentia non indigeant; Parabola de filio prodigo dilucide docet; qualis enim erat frater hujus filii, se ipsum æstimans justum, & non putans gaudendum esse, ob pœnitentem prodigum v. 30. tales etiam erant justi, qui suâ opinione nullâ indigebant pœnitentiâ, & non credebant DEO placere posse pœnitentem peccatorem.

VI. Si vel maximè ex Bibliis non posset adduci Exemplum hujusmodi renati, qvi post excussum omnem habitum peccati, in unâ peccati specie denuò creberrimè se exercuisset, & tamen pœnitentiam veram egisset; sufficerent exempla illorum, qvi post suam regenerationem diversis in peccatis actualibus habitum ac consvetudinem peccandi asciverunt: Nam quum multorum peccatorum habitus non præripit omnem spem veniæ & remissionis peccatorum, nec unius peccati habitus illum præripere valebit.

# CAP. III.

## DE CRUCE ET CALAMITATE.

NOn male qvondam *Seneca de Provid. c. 4. calamitatem virtutis esse occasionem* dixit. Eo magis id valet de calamitate piorum qvæ revera virtutis est occasio. Qvamvis alia sit calamitaris ratio in impiis. Qvæ qvantum ad Theologiam Polemicam spectant hoc in capite pertractanda erunt. Reliqva ad Theologiam Practicam referenda sunt.

Qv. I. *Estne omnis calamitas pœna peccati à DEO justo judice immissa?*

## THESES.

I. Causa efficiens omnium calamitatum, qvæ premunt genus humanum, est vel meritoria, vel dirigens vel adjuvans: ista est peccatum primum πρωτόπλαστων *Genes. 3, 16. seqq. Rom. 5, 12, 14.* & ex eo ortum tam Originale, qvàm Actuale Job. 14, 1, 2. *Jerem. 30, 14, 15. Dan. 9, 10, 11. &c.* Illa est justitia DEI vindicatrix, qvæ qualis sit in puniendo peccato, discitur ex lib. 4. Fundatur illa in *cap. 26. Levit. Deut. 28.* & omnibus aliis comminationibus: Hæc est diaboli & mundi depravata voluntas, qvâ augetur miseria & tribulatio *Apocal. 12, 12. Oseæ 13, 9. &c.*

II. Aberrant â Divinæ veritatis tramite, qvi volubilem fortunam ceu omnium ærumnarum in mundo causam accusant: qvia S. Oracula confirmant Divinam providentiam; qvam adstructam vide lib. 4. controv. 2.

III. Non ex fatali necessitate proveniunt calamitates, qvia 1. datur contingentia, uti demonstravimus *d. l. 2.* Deus sæpe prædixit futuras calamitates ut mutabiles & contingentibus ex causis dependentes. 1. *Reg. 13, 2. eqq. Jerem. 25, 12. c. 29. 10. cap. 27, 7. 8.* passim testatur S. Scriptura Dictis & exemplis qvod positâ hominum pœnitentiâ, avertantur afflictiones *Jerem. 18, 8. Jonæ cap. 3. & 4. &c.*

IV. Qvi vel materiam vel astrorum motus, vel deniqve fatales Imperiorum periodos, qvas vocant climactericas, malorum eventuum causas asserunt, in Sacris literis non offendunt harum assertionum fundamenta. Confer. *D. Hutterum Loc. 30. pag. 937. seqq. D. Simonem Pauli Meth. 31. & Pezel. parte 5. object & Respons. pag. 441. seqq.*

## ANTITHESES.

I. Qvotqvot Calvinianorum docuerunt hominem ex absoluto DEI decreto esse lapsum, non tam peccatum qvam DEI decretum constituerunt causam primam & ultimam omnis miseriæ, in hoc mundo: Positô enim immutabili & absoluto decreto DEI, de deserendo homine, ut labatur in peccatũ, ponitur peccatum, qvo posito ponitur ejus pœna.

II.

II. De *Epicuræorum fortuna* & *Stoicorum fato* videatur l. 4. *Controv.* 2. *qv. I. &* 8.

III. Obveniunt adhuc & sæpe obvenerunt Philosophi, qvi ex materia, Astrologi, qvi ex Astrorum motu, & Divinatores, qvi Annorum ex periodis fatalibus de peste, bello, fame & aliis calamitatibus certi qvid prænunciare ausi sunt.

## HYPOTHESES.

I. Qvænam opponenda figmento de Lapsu Hominis qvem Deus absolute decrevit, vide in hoc libro *Controv.* 2.

II. Materia ob privationem formæ est principium mutationis in generatione & corruptione physicâ, non autem in Eventibus adversis, qvos sentit natura humana: Fuit enim materia ante peccatum introductum, mansisset etiam, si nunqvam extitisset peccatum, qvo remoto ceu malo culpæ, removetur omne malum pænæ.

III. Astrorum esse influxum in hæc inferiora libenter largimur, nec inficiamur, qvod sint Astra Signa 1. physica qvæ regunt tempestatem Aeris 2. Chronologica, qvatenûs distinguunt certa intervalla Temporum, qvibus res geruntur in Ecclesia, politiâ & toto mundo. 3. Medica, é qvibus κρίσιν qvandam hauriunt Medici cum in Corporum temperamenta maximam vim demittant Astra. 4. Oeconomica, qvæ observanda in spargendis seminibus, cædendis lignis, colligendis frugibus, faciendis itineribus, per mare sive per terram &c. Qvod autem de adversis hominum fatis certi qvid Astra prænuncient Scriptura non tam affirmat, qvam negat *Esa.* 44, 24. *cap.* 47, 13, 14. *Dan.* 2, 27, 28. *Confer. D. Rung. in Gen. pag.* 55. *Hutt. in L. Theolog. pag.* 214. *Perer. lib.* 2. *in Genes. pag.* 237.

### Qv. II. *Num conveniunt in omnibus causis Calamitates Piorum & Impiorum?*

## THESES.

I. OMnium Afflictionum Causa remota est lapsus primorum parentum, qvi est causa θεοκαπρικὴ omnium ærumnarum in piis, & causa meritoria omnium pænarum, qvas luunt impii. Vide hujus libri Controv. 2.

II. Causa dirigens alia est in Calamitatibus piorum; alia in tribulationibus impiorum; illa est justitia Dei, temperata per misericordiam, qvia peccati respectu sentiunt pii Iram *Esa* 64, 5, 6. *Micha* 7, 9. *Castigationem Ierem.* 30, 11. *Ignem Ps* 66, 10. *Judicium* 1. *Pet.* 4, 16. *Jugum portant Thren.* 3, 27. *bibunt ê calice misto ab Irato Deo Ps.* 75, 9. *Matth.* 20, 23. *& â Domino corripiuntur* 1. *Corinthior.* 11, 32. Respectu autem paterni favoris, qvem obti-

nuerunt per fidem in Christum, calamitates docent justificationes DEI. *Ps.* 119, 71. sunt Flagella dilecti Patris *Hebr.* 12, 6. Ignis probans 1. *Pet.* 1, 7. calix salutaris *Ps.* 116, 13. &c. Hæc est justitia invitans ad misericordiam per pœnas & afflictiones *Levit.* 26, 41. declarans Dei iram *Rom.* 11, 22. & contumaces condignâ pœnâ afficiens *Ps.* 58, 11, 12. *Ps.* 59, 14. *&c.*

III. Materia in qvâ sunt afflictiones, eadem in piis & Impiis, videlicet Anima & corpus; nec non Forma, qvæ est Animæ & Corporis passio.

IV. Causæ Finales Afflictionum vel in Dei, vel in Diaboli, vel in Hominum intentione possunt considerari: Deus cum pœnas sumit ab impiis, intendit 1. justitiæ & potentiæ declarationem *Exod.* 9, 16. *Ps.* 2, 7. *Ps.* 91, 7, 8. 2. Piorum suorum Consolationem. *Ps.* 58, 11, 12. 3. futuri [illegible] suum judicium 2. *Thessal.* 1, 6, 7. Cum autem pios castigat, intendit 1. eorum peccatum circumstans, qvod Crucifigendum & deponendum, ne sibi videantur innocentes, vel securitati studeant. 2. transformationem cum Imagine filii Dei *Rom.* 8, 29. 3. humilitatem, ne in donis concessis efferantur, ac qvasi intumescant 1. *Cor.* 12, 7. 4. desiderium vitæ æternæ *Ps.* 42, 43. 5. Explorationem fidei, invocationis, Patientiæ &c. *Rom.* 5, 3, 4. 1. *Pet.* 1, 7. &c.

V. Diabolus, cum tribulat pios, eorum qværit desperationem, si vexat impios, Dei intendit Contumeliam, qvam Impii irritati solent effundere, ceu canes ad furorem provocati *Apoc.* 16, 21.

VI. Homines qvando persequuntur & affligunt pios, intendunt vel vindictam, uti Haman *Esth.* 3, 6. vel oppressionem veræ Ecclesiæ, ut Nabuchodonosor *Dan.* 3. vel lucrum, uti Laban *Genes.* 31, 23. vel propriam gloriam, uti Saul 1. *Sam.* 20, 31. &c. Horum ut etiam Diaboli intentionem Deus sæpè impedit, & persequutiones ita dirigit, ut pessimè cogitata cedant optime.

VII. Homines Impii si affligant alios impios, intendunt vitiosorum Affectuum oblectamenta, qvatenus vel vindictæ vel regnandi, vel Auri & argenti cupidinem cogitant explere, qvemadmodum sacræ & prophanæ Historiæ testes sunt locupletes. Confer *Sim. Pauli meth.* 31 *pag.* 329. *seqq.*

## Qv. III. *Estne differentia qvædam in afflictionibus piorum?*

## THESES.

I. Ratione durationis calamitates piorum admittunt notabilem differentiam: Etsi enim omnes sunt παθήματα τοῦ τῦ καίρου *Rom.* 8. v. 18. DEUS tamen distincte metas temporum definit, qvibus pii affliguntur; Patriarchæ ante diluvium per aliq vot secula mundi pertulerunt odia. Jacobus per 20. annos molestam servit servitutem *Genes.* 31. 41. Joseph 12.

fermè

fermè annis servit in Ægypto. Per 150. annos duravit Ægyptiaca pressura. Annis 40. Israelitæ peregrinati sunt in deserto. 20. annis fugit David coram Saule. &c.

II. Ratione subjecti calamitates piorum aliæ sunt animi, ut tentatio Jonæ *cap.* 2, 8., Davidis *Ps.* 116, 3. & Hiskiæ *Esa* 38, 15. Aliæ corporis, ut ulcera *Jobi cap.* 2. 7. cæcitas Tobiæ &c. Aliæ bonorum temporalium, qvæ ablata sunt Jobo *cap.* 1, 13. *seqq.* Israelitis *Judic.* 6, 4, 5. Aliæ privatæ, qvæ fermè innumeræ. Aliæ publicæ quæ recensentur *Levit.* 26, 14. *seqq.* *Deuter.* 28, 15. *sqq.* *Ezech.* 14, 21. *Jerem.* 15, 2, 3.

III. Ratione Finis aliæ piorum calamitates sunt πμωρίαι, qvibus peccata corripiuntur *Jerem.* 6, 6. aliæ δοκιμασίαι, qvibus sub Examinis incudem revocatur piorum Fides, Spes, invocatio. *Jacob.* 1, 12, 13. *Ps.* 66, 10. Aliæ μαρτύρια, qvæ Confessores veritatis, & alii, singulari g[illegible] Dei roborati, sustinent, pro Evangelicâ veritate & defensione justitiæ *Philipp* 1. 29.

IV. Δοκιμασίαι piorum etsi respectu peccati pœnæ vicem subeant, tamen non sunt propriè dictæ pœnæ, qvia immittuntur 1. A Deo reconciliato & propitio Patre. 2. non ad destructionem, sed ad salutem. Qvia justitia DEI hîc currit cum misericordiâ: Hoc thema tractat Hiob in Colloqvio cum suis Amicis, qvi pugnabant pro pœnâ propriè dictâ, qvam se non sustinere, Hiob contendebat.

V. De Martyrio nemo facilè glorietur, qvia ad illud singularia & Extraordinaria reqviruntur dona: Insupèr Martyr non est, qvi vel propter scelera patrata, vel propter Religionem â Christi verbo dissonantem, passiones suffert: Non enim pœna, sed causa facit Martyrem, uti cum *Cypriano* docet *Augustinus*. Deniqve neqve illi Martyrum elogio digni, qvi non unicè propter Christum ejusqve doctrinam; sed vel propter immortalem Nominis gloriam vel propter præsentis vitæ tædium, ex impatientiâ morti sese objiciunt.

VI. Martyrium aliud est incruentum, qvo constans Christi testis vel Exilium, vel calumnias, vel carcerem vel alia tolerat, qvibus utcunqve sanguis non evocatur, acerbi tamen imprimuntur dolores: aliud cruentum, qvo sanguinem & vitam profundunt, qvi Christum liberè profitentur, ejus verbo adhærent, moriqve malunt, qvam veritatem abnegare & Regno Christi detrimentum afferre. Vide D. *Hutter. in L. Theol. pag.* 935. *Pezel. parte* 5. *Object. pag.* 465. *D. Sim. Pauli L. Meth.* 31. *p.* 326.

Qv. IV. *Num Ratio humana absq; ductu verbi Dei, pervenire potest ad Fontes Consolationum in Afflictionibus?*

## THESES.

I. SApientia Philosophorum gentilium omni tempore indagavit falcra, qvibus Animus inniteretur in ærumnis & miseriis hujus vitæ, sed nulla invênit in 1. Tentationibus, qvibus Conscientia, metu divinæ vindictæ, ob peccata angitur, qvia sapientiam Dei de Redemptione hominum non agnovit 1. *Cor.* 1, 21. *cap.* 2, 6, 7. 2. Metu & mærore, qvem mors incutit, qvia mortis nec ortum, nec remedium pervestigavit, uti patet ex Consolatione, qvâ Philosophi gentiles vel lugentes, vel seipsos mortis in periculo constitutos erigere sunt conati. 3. Adversis justorum qvi coram mundo innocentes, & ob eximias virtutes omni prosperitate videbantur digni: Non enim agnovit veras causas, ob qvas impii interdum gaudent prosperis, pii vero mærent in adversis.

II. Ratio verbo Dei non illustrata ignorat Consolationis 1. ἄπον κύριον, qvod est juxtâ S. Scripturam, ipse Deus *Ps.* 94, 19. *Esa.* 51, 12. *cap.* 52, 9. 2. *Cor.* 1. *v.* 3, 4, 5. 2. συναίτιον, qvod est verbum â Deo patefactum *Ps.* 119. *v.* 24, 50, 92, 93. 3. συνεργον, qvod est ministerium verbi 1. *Cor.* 14, 3. 4. σκόπον, qvi fixus est in Fidei conservatione, Patientiæ generatione, Spei sustentatione & veræ invocationis multiplicatione.

III. Sola Ecclesia â Spiritu DEI per S. Scripturam instituta monstrat svavissimos, & ad animæ medullam penetrantes, consolationum fontes, qvos aperiunt sacræ literæ, cum erudiunt nos 1. de DEI providentiâ, qvâ DEUS piorum calamitates novit *Exod* 2, 23, 24. *cap.* 3, 7. permittit *Deut.* 32, 39. *Ruth.* 1, 13, 20, 21. *Thren.* 3. 38. regit; iisqve metam præfigit *Job.* 1, 21. *Matth.* 10, 29, 30. *Genes.* 31, 13, 16. 29. 1. *Cor.* 10, 13. 2. de DEI consilio qvò decrevit, ut per multas tribulationes ingrediamur Regnum cœlorum. 1. *Thessal.* 3, 3. *Actor.* 14, 22. 1. *Petr.* 4, 19. 3. de utilitatibus & fructibus, qvos DEUS intendit, qvando pios castigat Hebr. 12, 10, 11. Vide suprà *q.* 1. *th.* 4. 4. de dulcissimis promissionibus, qvibus DEUS afflictis suis filiis promittit paternum favorem *Prov.* 3, 11. *Esa.* 49, 15. *Jerem.* 31, 20. *Hebr.* 12, 6. mitigationem, & remissionem vindicis suæ iræ *Esa.* 27, 7, 8. *Thren.* 3, 32. 33. *Oseæ* 11, 8, 9. roborationem & confortationem *Esa.* 46, 3, 4. 5. *Johan.* 10, 28. 2 *Cor.* 12, 9. *Coloss.* 1, 11. præsentiam gratiosam *Ps.* 91, 15. *Ps.* 23, 4. *Esa.* 43, 2, 3. *Hebr.* 13, 15. & liberationem ab omnibus malis *Ps* 34, 19. *Ps.* 91, 15. *Esa.* 54, 7, 10. *Jerem.* 31, 20. 5. de exemplis imitatione dignissimis, qvalia sunt Christi, Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum. *Matth.* 5, 12. *Joh.* 15, 20. *Hebr.* 11, 36. *seqq.* 6. 12, 5, 1. 2. *Pet.* 2, 21. *cap.* 5, 9. 6. de Spe victoriæ *Rom.* 5, 2, 3, 4. *cap.* 8, 35.

35. *seqq. Hebr.* 9, 19. *Apocal.* 2, 26. 7. de justo judicio, qvo judicabit Christus in fine mundi, condemnando impios, glorificando pios. *Esa.* 65, 13. *seqq.* 2. *Thessal.* 1, 4, 5, 6. 8. de resurrectione mortuorum *Job.* 19, 25, 26. 1. *Thessal.* 4, 13. *seqq.* 9. de æterna piorum afflictorum gloriâ *Rom.* 8, 18. *seqq.* 2. *Cor.* 4, 17. 1. *Pet.* 1, 16. 10. de æternâ & horrendâ persequutorum pœnâ *Esa.* 66, 24. *Sap.* 5, 3. *seqq. Rom.* 2, 8, 9.

IV. Ratio humana suis relicta cogitationibus æstimat bona, qvæ non sunt bona, ut felicitatem terrenam, qvâ impeditur vera pœnitentia & mortificatio veteris Adami. Hæc autem judicio S. Spiritus est infelicitas maxima *Ps.* 49, 19, 20, 21. 2. *Pet.* 2, 12. *seqq.* Vice versa ratio non illuminata judicat afflictiones malas, qvæ κατ' ἀλήθειαν & Spiritus S. judicium non sunt malæ *Jacobi.* 1, 2. *Rom.* 8, 28. 1. *Pet.* 4, 14.

## ANTITHESES.

I. Secta *Stoicorum* miseriis humanæ vitæ mederi studuit, docendo 1. Dolorem esse opinionem. 2. Fato inevitabili, & immutabili, Parcarum lege omnia fieri, facta esse, & futura. 3. ἀπαθείαν hominibus esse possibilem, atqve laudabilem. Vide *Ciceron. l.* 2. & 3. *Tuscul. Qvæst.*

II. *Epicurus* cum affectis â malis ad bona revocavit afflictos, dicens, dolorem in longinqvitate levem, in gravitate brevem fieri. *Cic. l.* 1. *de Finib bon. & mal. lib.* 2. & 5. *Tusc. qvæst.*

III. *Peripathetici* consolati sunt afflictos 1. vitæ humanæ brevitate 2. vicissitudine bonorum & malorum eventuum 3. utilitate calamitatum, qvia παθήματα non solum sint μαθήματα; sed & malorum haud rarò προφυλακτικα 4. communi sorte hominum, qvæ non fugienda, 5. Virtute & bonâ conscientiâ, qvæ etiam in adversis erigit, reficit atq; exhilarat. 6. Nobilitate & præstantiâ patientiæ. 7. Naturâ spei, qvâ homines semper sperant meliora. *Cic. l.* 4. *Tusc. Qvæst.*

IV. *Academici* illum crediderunt solatio plenum, qvi statuat, se dolore & impatientiâ nihil lucrari. Vide *Platon. lib.* 10. *de Rep.* & confer de his omnibus *Grynæum Volum.* 1. *disputat. pag.* 458. *seqq.*

## HYPOTHESES.

I. *Stoicorum* & *Epicuræorum* solatia, ut sunt impia & sacris in literis rejecta, ita Peripateticorum & Academicorum solatia sunt imperfecta: illa repugnant S. Scripturæ dictis, qvæ exhibent testimonium DEI, qvo testatur de doloribus, qvod hi vehementes & acres fuerint in rei veritate, non ex hominum opinione *Esa.* 53., 7. *Jerem* 30, 14. *Thren.* 1, 12. *Job.* 2, 13.

13. 2 confirmant dictis & exemplis DEI providentiam, 3. condemnant ἀπαθίαν *Jerem.* 5, 3. & Epicuræum contemptum calamitatis *Amos* 6, 6. Hæc luctum & mærorem aliqvo modo cohibuerunt, sed vera gaudia in luctu exspectanda non detegunt.

II. Donum eloqventiæ & facundiæ, qvale fuit in multis Ethnicis, non potuit tristitiam ex afflictis mentibus pellere: qvia experientia nos docet, qvod animum dolore exulceratum oratio libera radat, intempestivè faceta, qvasi irridendo offendat; lenis parum afficiat, lugubris dolorem augeat.

III. Vitreæ & ficulneæ sunt consolationes, qvas lugentibus suorum obitum, opposuerunt Ethnici, qvia præsentis vitæ miseriam amplificârunt, de feliciori statu, qvo vivant defuncti, nihil certi affirmârunt; luctum frustraneum ostenderunt, sed cordibus eorum non expulerunt, mortem Naturalem svaserunt, sed ejus formidinem non sustulerunt; immortalem esse animam, fluctuante animo crediderunt, non superantes dubia, ab humana ratione opposita. Vid. *Ciceronem in dialogo de Senect.*

IV. Patientia, qvam commendant Historiæ profanæ in qvibusdam Ethnicis, non fuit ea, qvam commendat. S. scriptura, qvia destituta fuit 1. Fide in Christum, sine qva cum homo non reconcilietur Deo, qvæcunqve etiam sufferat natura humana, semper cor fremit adversus Deum eumqve non amat ut Patrem castigantem. 2. Spe, qvæ expectat à Deo auxilium & liberationem, 3. Sapientia spirituali, qva Christianus videt afflictionum causas & salutarem Catastrophen: In mente itaqve fideli tribulatio operatur patientiam, ex qva spes, non confundit, *Rom. V.* 3. 4. 4. Filialis obedientia, qva homo Dei castigationi sese subjicit, ut voluntati Parentis sese conformet, 2. *Sam. XV.* 25. 26. In mente autem infideli & non renata existit Patientia cæca & fremens, qvam vel gloria inanis, vel inevitabilis necessitas vel præsentis vitæ tædium, vel alius carnalis affectus expressit. Vide *Polanum L. 6. Syntagmat. Theol. cap. 39. Hutter in L. Theol. p. 943. seqq. Pezel. Part. 5. object. p. 470. seqq. Grynæum Volum. 1. disput. Theolog. p. 456. seqq. D. Sim. Pauli meth. 31. p. 334.*

# CONTROVERSIA VIII.

## DE HOMINUM NOVISSIMIS.

IN Novissimorum enumeratione variare qvodammodo solent Theologi. Alii plura, alii pauciora, eademqve alio atqve alio ordine recensere solent. Auctor *Libri de Spec. peccator.* inter opera *Augustini*, c. 5. ad qvæstionem: *qva sunt illa*

*la Novissima?* respondet: *Summa totius providentiæ est utique illa terribilis hora, in qvâ misera anima tua ex hoc corpusculo corruptibili timens est egressura.* Sed ad Novissima in genere accepta, plura omninò pertinent qvàm *mors*, qvippe qvam & alia adhuc consequuntur. Vid. *Gerhard. Loc. de Novissim.* § 6 *seqq.* Nos salvo aliorum judicio in qvinqve capita tractationem hanc dispescimus. I. de morte & sepulturâ. II. de statu animarum post mortem. III. de resurrectione. IV. de extremo judicio. V. de vitâ æternâ, ejusqve opposito in. ferno & morte æternâ. De consummatione seculi egimus jam *lib.* 4. *Controv.* 3.

Disp. VII. Resp. JOH. GEORG. LEHMANN, Prizw. Prigniz March.

# CAP. I.

## DE MORTE ET SEPULTURA.

PRimum locum inter Novissima obtinet mors, per qvam hoc loco intelligitur temporalis illa, cum nimirum anima separatur â corpore. Qvæ ordinariè omnes manet homines *Rom. VI. v.* 12. cum qvâ statim connexa est sepultura, qvâ corpora exuta animabus demandantur terræ, qvæ nostrûm omnium mater est. Qvantum ad Theologiam Polemicam spectat, seqventia observanda erunt.

### Qv. I. *An Mors sit annihilatio qvædam?*

### THESES.

I. Scriptura S. Mortem ita describit ut doceat corpora nostra reverti in pulverem *Genes.* 3. 19. *Eccles.* 12, 7. dormire in pulvere *Jes.* 26, 20. *Dan.* 12, 2. requiescere in cubilibus suis *Jes.* 57, 2. ita ut DEUS omnia ossa defunctorum custodiat *Ps.* 34, 21. Non ergo in nihilum rediguntur demortui.

II. Qvamplurimi demortui per miracula in hanc vitam fuere revocati, qvi revera fuêre mortui, nec tamen in nihilum fuêre redacti. Non ergò mors est annihilatio qvædam.

III. Si mors annihilatio qvædam, resuscitatio nova qvædam erit novorum corporũ creatio. De qvâ tamen in Scriptura S. planè altum est silentium.

IV. Sic & pii veteres olim mortem habuerunt non pro annihilatione, sed pro dissolutione qvadam animæ â corpore. Ita *Hilarius in Ps.* 63. *Qvi prædicabit animæ cum corpore occasum, audiet, animam non esse terrenam, sed ex afflatu DEI ortam elementis corporis admisceri, mortem autem non interitum esse; sed discessum ejus â corpore.* Idem *in Ps.* 140. *Ablatio animæ non abolitio ejus est*

### ANTITHESES.

*Sociniani*, uti negant primum hominem conditum esse immortalem,

ita & definiunt mortē per annihilationem *vid. Smaltz. de divin. Chr. c. 13. p. 79.*

## HYPOTHESIS.

Mortui qvidem dicuntur non amplius esse. *Ps.* 39, 14. *Jer.* 31, 15. *Thren.* 5, 7. At verò id non intelligendum est de totius compositi partibus, sed de integro composito ipso, ut non amplius sint demortui in eo statu ac conditione, qvemadmodum fuerunt scilicet in hâc vitâ. Ex qvo vero annihilatio qvædam planè nullo modo seqvitur. Vide *Gerhard. Loc. de Morte* §. 53. *seqq.*

### Qv. II. *An Hæretici sint sepulturâ Christianâ digni?*

## THESES.

I. Loqvimur 1. de illis qvi in *fundamentalibus* fidei articulis errant, erroremq; pertinaciter defendunt. 2. Non agitur de hæreticis *occultis*, sed de *notoriis* ac *manifestis* impiis, qvi omnibus admonitionibus post habitis, in errore suo persistunt. 3. Neqve de illis agitur, qvi ante finem vitæ errorem revocarunt, & pœnitentiam egerunt, sed de iis qvi in impœnitentiâ obdormiverunt.

II. His omnibus non qvidem *omnem* humationem & funerationem denegamus, sed *illum sepeliendi ritum, qvi in honorificâ & Christianâ piè defunctorum sepulturâ adhiberi solent*, cum psalmodiis, consolatione viventium, & commendatione defuncti conjunctum, hujus modi supradictis concedere non possumus ob seqventes rationes. (1.) qvia verbum DEI in cantilenis & concionibus funebribus comprehensum, ad sepulturam verbi contemptorum adhibitum prophanatur, qvod prohibitum *Exod* 20, 7. *Levit.* 19, 12. *Deut.* 5, 11. & margaritæ projiciuntur canibus, qvod prohibuit Christus. *Matth.* 7, 6. (2) Pii ipso facto debent demonstrare, se abhorrere ab impiorum & impœnitentium conversatione qvod mandatum legitur. *Esa.* 52, 12. 2. *Cor.* 6, 14. 1. *Thess.* 3, 6. 14. 2. *Joh.*, 10. (3) Supradicti sunt Blasphemi juxta præscriptum Apostoli *Rom.* 2, 24. *Tit* 2, 5. Blasphemos verò jussit DEUS ignominiosâ morte affici *Levit.* 24, 14, [4] DEUS ipso facto ostendit, qvod nolit notorie impios honestâ sepulturâ cohonestari. 1 *Reg.* 14, 11. 21. 13. 2. *Reg* 9, 35. *Jerem.* 22., 18. *seqq.* vide plura apud *Gerhard. in Tom.* 8. *de Mort.* §. 91, 92.

# CAP. II.

## DE STATU ANIMARUM POST MORTEM.

Christus

CHristus aperte negat homines qvi occidunt corpus, posse etiam occidere animam *Matth.* X, 28. Ne vero qvis opinetur, a Deo occidi animas, qvas homines neqveunt occidere, Deum defunctorum vocat Deum viventium *Matth.* XXII. 32. Non autem vivunt corpore, Ergo animâ, qvæ sic post mortem â corpore separata existit. Qvamplurimæ autem hic occurrunt disceptationes, qvæ in hoc capite qvoad potiora momenta examinanda sunt.

Qv. I. *Estne status Animæ separatæ, in qvo existit, Naturalis?*

## THESES.

I. QVia latissima & varia est significatio vocis *Naturalis*, non negamus, sano qvodam sensu, Animam Hominis â corpore separatam esse in *statu Naturali*; qvando autem *Naturalis* status iste, in qvo Ens creatum existit ex primâ Intentione ac voluntate Antecedente Naturæ Naturantis seu Creatoris, Scriptura nos docet, *Animam non esse in statu Naturali*, sed potius in *statu præter Naturam*, qvem consequenter demum & præsuppositio Hominis lapsu Creator intendit.

II. Duplex in hâc Thesi occurrit Conclusio: *Negans* & *Affirmans*: *illius* Ἀπόδειξις patet ex qvibusdam significatis vocis *Naturalis*, qvibus notat 1. illud, qvod non est hyperphysicum vel miraculosum. 2. illud qvod non destruit naturam, vel non est contrâ inclinationem naturæ: 3. qvod consequitur Naturam constitutam. His in significatis Animam esse in statu naturali, concedimus, cum non contradicant sacræ literæ. Hujus, sc. *Affirmantis* conclusionis Ἀπόδειξις tali effertur Syllogismo: *In qvem statum Anima nunqvam pervenisset, sublato Hominis lapsu & peccato, ille est præter Naturam, seu consequenter & ex hypothesi â Deo intenditur. Ast in statum Animæ separatæ, Anima nunqvam pervenisset, sublato hominis lapsu & peccato. E. Assumptio* stabilitur â Spiritu S. qvi testatur mortem esse stipendium peccati *Rom.* 6, 23. hominem morti esse obnoxium, qvia Legem est transgressus *Gen.* 2, 17. *cap.* 3, 19. per peccatum esse introductam mortem *Rom.* 5, 12. Non valet hic distinctio inter *mortem* & *statum Animæ post mortem*: Etsi enim differat separatio Animæ *in facto esse* â separatione *in fieri*; tamē qvoad intentionem & voluntatem Dei hic nulla est distinctio, sed uti mors, ita etiam status Animæ post mortem â Deo intenditur. Posito jam Deum antecedenter voluisse, si homo non peccâsset, ut totus Homo Animâ & corpore immortalis esset, uti mors ita status post mortem non nisi consequenter est ex DEI intentione. Confer. *Colleg. Conimbr. lib.* 3. *de generat. & corrupt. cap.* 11, *qv.* 1. *art.* 4. *Disp.* 2. *de Anim. separ. art.* 2.

## ANTITHESES.

I. *Seneca Ep.* 102. & *Rubeus in tr. de Anim. separ. q. 6. &* alii statuunt: Animæ separationem & unionem ita naturalem esse, uti naurale nobis est: latitare aliqvandò in uterô, & deinceps esse extrâ uterum.

II. *Thomás* & alii, simpliciter negant: Animæ statum extrâ corpus esse naturalem, cum sit violentus & qvasi Contrâ Naturam. *Thom. parte 1. sum. q.* 118. *art.* 3. *lib.* 4. *Cont. gent. cap.* 89.

## HYPOTHESES.

I. Animali qvidem *naturale* est *vigilare* & *dormire*; Homini *naturale* est, *existere in utero*, & *extrâ uterum*: qviâ utrumqve simpliciter dependet â Naturâ & voluntate Creatoris. Ast separatio Animæ à corpore præsupponit mortem tanqvam peccati pœnam.

II. Anima qvidem natura immortalis est, sed dupliciter existit immortalis 1. in corpore 2. extrâ corpus: Illud ex naturæ dono; hoc ex peccati vitio. Deus condidit Animam ut immortalem in corpore immortali, qvando jam corpus per mortem destruitur, Animæ qvidem Natura manet immortalis; non autem in eâ existentiâ, in qvâ fuit condita.

III. Qvi utrumqve Animæ statum, in corpore & extrâ corpus connaturalem vocat: non potest in uno eodemqve gradu utrumqve statum appellare Naturalem: Magis enim connaturalis est status in corpore, qvam status extrâ corpus. Confer Scheibl. lib. 2. Metaph. c. 5. n. 36. sqq.

### Qv. II. *Num Animæ â corporibus separatæ in continuo Somno absqve ulla operatione existunt?*

## THESES.

I. SImpliciter *negamus*, animas defunctorum â corporibus separatas opprimi somno, usqve ad extremum judicii diem. *Affirmamus* autem, piorum animas cœlesti beatitudine refici, & impiorum animas cruciatibus internalibus torqveri, qvamprimum â corporibus fuerunt separatæ.

II. Probatur id 1. De *qvibus Animabus Christus affirmat, qvod vel in sinu Abrahæ solatio afficiantur, vel in flamma crucientur, illæ non opprimuntur tali somno, qvali nec pœnam nec latitiam sentiunt. At de animabus â corpore separatis CHRISTUS affirmat, qvod in sinu Abrahæ solatio afficiantur, vel etiam in flamma ignis crucientur Luc.* 16, 23. 2. *Minor* defendetur, si notabis 1. Nos non morosè negare Christum recitare Parabolam, qvod autem ex hâc parabolâ non liceat cognoscere, qvalis sit status Animarum pòst mortem, apertè inficiamur: Alius enim est sensus ex Literâ Parabolæ fluens, qvem non credimus argumentativum: Alius est

sensus

sensus, qvem Parabola exposita de se diffundit: Hunc unicè urgemus. 2. Non posse probari, Christum loqvi de Animabus post Extremum judicium, contrarium patet ex verbis Abrahami, qvibus Fratres Damnati divitis remittit ad Moysen & Prophetas h. e. publicum ministerium Verbi, qvod ceßabit in extremo judicio. II *Qvibus animabus, post corporis dissolutionem, remanet ædificatio ex DEO ἀχειροποίητος & æterna in cœlis, qvâ superinduuntur & postqvam peregrinatæ sunt â corpore habitant apud Dominum: illæ non continuo somno opprimuntur, sed separatæ â corpore sentiunt gaudia in Dei tabernaculo Apocal.* 21, 3. *At de animabus piorum verum est antecedens* 2. Cor. 5, 1. 2. *seqq. E. & consequens. Minor* defenditur his notis. 1. Apostolus non loqvitur de corpore glorificato, qvando terrenæ corporis nostri domui opponit habitationem æternam & cœlestem, qvia dicit in præsenti: ἔχομεν, Corpora autem glorificata nondum habemus, sed exspectamus. 2. Apostolus non loqvitur de statu animæ post resurrectionem, qvia corporis non resuscitati sed soluti describit animam, in eo statu, in qvo anima peregrinatur â corpore: Uti autem anima in corpore mortali peregrinatur a Domino, non â corpore, ita anima in corpore immortali vel resuscitato nec â Domino nec â corpore peregrinatur. 3. Qvemadmodum corpus ψυχικὸν domus terrena vocatur *Job.* 4, 19. 2. *Petr.* 1, 14. ita corpus πνευματικὸν nullibi vocatur οἰκοδομὴ, gloria autem cœlestis ut ædificatio vel habitatio sæpe describitur *Luc.* 16, 9. *Joh.* 14, 2. *Hebr* 11, 10 *&c.* 4. Qvamvis Apostolus v. 10. de corporibus resuscitatis vel transmutatis loqvatur; tamen non cogit hæc ratio, ut in antecedentibus de iisdem corporibus eum loqvi statuamus: Sunt enim hæc duo subordinata 1 animæ piorum post mortem cum DEO habitant. 2. Corpore & animâ coram tribunali Christi stabimus. III. *Cui Salvator promittit Paradisum cœlestem, illi promittit eœl stis gloria communionem* 2. *Cor.* 12, 4. *Apocal.* 2, 7 *At anima pœnitenti Salvator promittit Paradisum cœlestem Luc.* 23, 43. E. *Minorem* non infringit Exceptio 1. de particula HODIE, conjungendâ cum particula DICO, qvasi sensus sit: *Hodie tibi dico, eris mecum in Paradiso*; qvia adverbium σήμερον, respondere debet adverbio ὅταν in petitione latronis. Non autem sollicitus erat Latro, qvando Salvator inciperet loqvi, sed qvando inciperet esse in Paradiso: Sicuti ergo anima latronis avidè desiderabat scire, qvando futurus Christus in suo regno? ita Christus hoc desiderium explet, cum dicit: Hodie eris mecum in paradiso. 2. de regno Christi inchoando in resurrectione mortuorum: Nam statim post mortem CHRISTUM intrasse in re-

gnum suæ gloriæ, ipsemet testatur *Luc.* 34, 26. Posito etiam qvod latro saltèm gratiam in extremo judicii die petivisset, bonitatis & misericordiæ in CHRISTO fuisset argumentum, si plura promisisset, atqve alter optaverat. 3. de corporum conjunctione; qvod si hoc loco notaretur, in sepulchro fuisset Paradysus, & latronis corpus fuisset in sepulchro Christi, qvod non admittit Historia Evangelica. Nos potius ita inferimus: *Qvando anima Christi venit in Paradysum, impleta est promissio Christi, latroni data*: qvia vult ibi esse latronem, ubi post mortem ipse futurus. *At statim post mortem anima Christi venit in Paradisum.* E. IV. *Qvæ animæ sunt cum Christo vident ejus gloriam Joh.* 17, 24. *Aſt animæ piorum post beatam ἀνάλυσιν sunt cum Christo Philipp.* 1, 3. E. & per consequens somno ἀpimenideo non detinentur. V. *Qvi spiritus sunt τετελειωμένοι, in perfecto sunt statu. Aſt Spiritus à corporibus sejuncti sunt τετελειωμένοι Hebr.* 12, 23. E. VI. *Qvalis status animarum piè discedentium sanctis est revelatus, talis est credendus. At status felicissimus & ab omni sopore alienus animarum piè discedentium sanctis est revelatus. Apocal.* 4., 4, 5. *seqq cap.* 5, 8. *seqq. c.* 6, 10. *c.* 7. 10. *sqq.* E. Confer. *Calvin in Psycho pannych. tr. Theolog. pag.* 449. *seqq. Gerhard. tom.* 8. *de Morte* §. 298. *seqq.*

## ANTITHESES.

I. Contrarium docuit *Vigilantius*, de qvo *Hieron. in lib. adv. eum edito.*

II. Et *Græci* & *Armeni*, ideò damnati *in Concil. Flor. sess.* 25. *qvia* docuerunt, qvasvis animas antè extremum judicium nec DEUM videre nec beatas dici posse.

III. De *Johanne XXII.* Papâ, vid. *Gerh. d. l.* §. 304.

IV. De Anabaptistis vid. *Sixt Sen. lib.* 2. *Biblioth. annot.* 169. *Calvin. d. l. Wigand. de Anabapt., & Schlusselburg. in Catalogo Hæret.*

V. De *Photinianis vid. Gerhard d. l.* & *Franz. contra Schmalz. de Extr. jud. sect.* 4.

## HYPOTHESES

I. *Dormire* dicuntur *mortui* in sacris literis ratione corporum, non ratione animæ rationalis: Uti enim hæc in somno suas operationes non suspendit, ita etiam per mortem omnibus operationibus non privatur. Valde insuper ἄτοπον est, asserere somnum animæ intelligentis separatæ, qvi non convenit animæ corpori unitæ: Hæc enim non dormit, ut intelligens, sed ut sensuum exteriorum usu vacans.

II. *Per vesperam Matth.* 20, 8. ultimum notari judicium, non potest probari, cum potius tempus cujuslibet judicii particularis intelligantur: In morte etiam vespera est, qvâ judicatur homo *Hebr.* 9. 27. Posito etiam, qvod vespera extremi judicii sit intelligenda, nihil aliud sequeretur,

retur, qvàm Præmiorum distributionem solennem & publicam, ante extremum judicium non esse exspectandam; planè nullam autem præmiorum distributionem animabus piè defunctorum antè judicii diem ultimum sperandam, nullatenùs seqvitur.

III. Qvalis sit *animarum reqvies*, explicatur *Apocal.* 14, 13. Ineptá autem viciſſim hæc est collectio: Animæ piorum post mortem qviescunt ab operibus hujus seculi permolestis. E. ab omni cessant opere.

IV. Patriarchæ non acceperunt repromissionem. *Hebr.* 11, 39. qvatenus non viderunt Messiam in carne exhibitum, qvi nobis in N. T. reservatus.

V. *Apocal.* 6, 9. Animæ piorum dicuntur esse sub Altari non terrestri, sed cœlesti, qvod notat cœleste arcanum, ad qvod nec oculi nec mentes nostræ penetrare qveunt.

VI. Si vel maximè non possumus rationem videre & modum, qvo anima separata intelligat vel operetur: Si etiam causam indagare non possumus, ob qvam DEUS voluit animam corpori præferre in distributione præmiorum & pœnarum: tamen in voluntate DEI nobis acqviescendum.

VII. Non negamus, præmiorum & pœnarum fore augmentum, qvandò animæ restituentur corporibus in extremo judicio; sed ex hoc augmento vel complemento non debet inferri, qvod ante diem judicii nulla vel pœna vel beatitudo animabus defunctorum contingat. Confer *Gerhard. d. l.* §. 306. *seqq.*

Qv. III. *Circa qvæ Objecta versatur intellectus animæ separatæ?*

## THESES.

I. Thesis hic reqviritur distincta, pro distinctione Objectorum: Dicimus itaqve 1. *intellectum animæ separatæ cognoscere DEUM, Angelos, alias animas, & â Deo revelata.* 2. *Animam separatam non cognoscere omnia particularia, qvæ post suum discessum è corpore hic in terris eveniunt.* 3. *Qvarundam rerum species intelligibiles remanere in anima, qvæ à corpore separata.*

II. Ἀπόδειξις hæc est 1. De animabus separatis in sacris literis legitur, qvod cognoscant 1. DEUM, qvem adorant *Apocal.* 4, 10. cantantes canticum novum *Apocal.* 5, 9. agnoscentes eum, ut Sanctum & verum cap. 6, 10. & ante thronum ejus servientes ei die ac nocte *Apocal.* 7, 15. 2. Angelos & alias animas, cum qvibus qvasi unam societatem in civitate cælesti constituunt *Hebr.* 12, 22. qvod absqve cognitione fieri non potest. Sic divitis damnati anima non solum videt Abrahamum, sed Lazarum

rum in sinu suo *Luc.* 16, 23. Seqvitur ex his infallibiliter prima thesis probanda. II. Continet hoc argumentum: *Quod apertè sanctis defunctis in Sacris literis denegatur, illud & à nobis denegandum. At scientia particularium eventuum, qvi viventibus obveniunt, apertè sanctis defunctis denegatur Job.* 14, 21. *Eccles.* 9, 5. 2. *Reg.* 22, 10. *Esa.* 63. *v.* 16. E. *Minor* contrâ Exceptiones Adversariorum propugnatur his Hypothesibus. 1. Sanctorum Animas particulares eventus in Ecclesia militante cognoscere, vel ex Angelorum relatione, vel ex beatificâ Dei visione, vel etiam ex divinâ revelatione, non potest ex sacris literis probari; ad solam itaq; naturalem scientiam dicta nostra restringi non possunt. 2. Abrahamum saltem eatenus ignorâsse suos posteros, tempore Esaiæ viventes, qvatenus noluit eorum curam agere, iterum dicitur, non probatur. Opponimus nos tale argumentum: *Qvi fuerunt pii, illorum Abraham voluit curam gerere. At qvidam illorum de qvibus loqvitur Propheta, fuerunt pii, qvorum Deus fuit Pater v.* 16. *& qvi fuerunt populus Dei & servi Dei v.* 18. E. 3. Abrahamum & alios Sanctos in V. T. fuisse post mortem in Limbo Patrum, adeoqve non cognovisse ea, qvæ in Ecclesiâ militante contigerunt, futile est Pontificiorum figmentum. 4. in textu Esaiæ 63. diligenter attendatur immediata oppositio inter Deum & Sanctos defunctos: His autem denegatur scientia eorum, qvæ gesta in terris, & illi adscribitur: Idcirco infallibiliter sequitur, solum Deum, non autem defunctos sanctos particularia acta viventium cognoscere.

III. Refutat ex Parabolâ de Divite & Lazaro, in quâ Abraham monet damnatum, ut reminiscatur boni in terris percepti. *Luc* 16, 25. Dives etiam optimè recordatur, qvomodo fratres æterni ignis cruciatus sibi accelerent contemptu Moysis & Prophetarum. *v.* 28, 30.

## ANTITHESES.

Hæc non nisi una, qvæ opponitur thesi secundæ & defenditur à *Jesuitis*, qvi docent & scribunt, dubium nullum esse, Sanctos defunctos in Ecclesia triumphante cognoscere ea, qvæ in terris geruntur. *Coster. in Enchirid. pag.* 388. *Bellarm. lib. de Beatit. Sanct. cap.* 20.

## HYPOTHESES.

I. Distingvimus inter notitiam *generalem* & *specialem*: *illa* generaliter statum Ecclesiæ militantis intuetur: *Hæc* etiam qvævis particularia & cujusvis individui fata cognoscit; illam, non hanc animabus separatis concedimus.

II. Non confundenda præteritorum ἀνάμνησις cum præsentium γνῶσι: illam in tertia Thesi de animabus separatis professi sumus; hanc in secunda Thesi inficiati sumus.

III. Si

III. Si vel maximè probari possit, Deum extraordinarie aliqvando revelare Animabus separatis ea, qvæ fiunt in terris, non tamen sequeretur, hasce Animas ordinarie cognoscere omnia acta particularia, qvæ efficiunt membra Ecclesiæ militantis.

IV. Sanctorum Animæ separatæ Deum qvidem vident, sed eum non comprehendunt, ideòqve mirum non est, qvod omnia non videant qvæ sunt in Deo.

V. Literas Eliæ ad Joramum scriptas 2. *Chron.* 21, 12. in cælo esse scriptas non potest probari. Initiũ enim regni Ioram præcurrisse ascensionem Eliæ in cælum, patet ex 2. *Reg.* 1, 17. potuit ergò has literas scribere *Elias*, antequam fuit assumtus in cælum: Qvodsi vel maxime eo tempore non sunt traditæ literæ Regi, qvo sunt scriptæ, illud nihil habet absurdi: Cum Scriptio & Insinuatio literarum nunqvam ferme in idem incidant tempus. Confer *Gerh. tom.* 3. *de Morte.* §. 421. seqq. *Alsted. tom.* 1. *Encyclop. p.* 662.

Qv. IV. *Estnè in Animâ separatâ qvidam appetitus, qvo desiderat unionem cum Corpore?*

## THESES.

Disceptant de hâc qvæstione *Thomas & Scotus: ille part.* 1. *qv.* 75. *art.* 1. defendit aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis unionem: *Hic. dist.* 4. *qv.* 2. *art.* 3. *Thomæ* contradicit & negat prædictam animæ separatæ inclinationem ad corpus. Utraqve autem pars sine scripturâ loqvitur, in qvâ cum nihil de hoc qvæsito sit traditum, relinqvimus eam discutiendam Philosophis. Vide *Sheibl. lib.* 2. *Metaph. cap.* 5. *num.* 63. *seqq. Conimbr. de An. separ. disp.* 2. *art.* 3. Sunt inter Theologos, qvi clamorem animarum sub Altari *Apocal.* 6, 10. accipiunt de desiderio, qvo resurrectionem & restitutionem corporum exoptant. *Qvid est*, inqvit, *Gregor. M. super cap.* 1. *Jobi, animas sanctorum â Deo vindictam peterè nisi diem extremi judicii & resurrectionis extinctorum corporum desiderare? Magnus qvippe sanctarum animarum clamor, magnum est earum desiderium, earum verba, ipsa sunt earum desideria.* Confer *Winkelmann. part.* 3. *in cap.* 6. *Apoc. & D. Hoë l.* 2. *Com. in Apocal. pag.* 417. Horum sententia etsi non sit impia vel absurda, tamen non est Apodictica, cum ex mysticis visionibus non possint peti Apodictica argumenta, si desunt perspicua scripturæ testimonia. Non etiam desunt alii interpretes qvi per animas sub altari intelligunt animas martyrum in Ecclesia militante. Vide *Gerh. tom.* 8. *L. de Morte* §. 448. Tutissimum ergò est de animarum separatarum desiderio tueri τὸ ἐπέχειν. Qvamcumqve enim Thesin tuam feceris, seu

negativam seu affirmativam, argumentis solidis & Apodicticis te destitui, perieris ipso opere. Vide Alsted. Tom. 1. Encycl. pag. 665.

Qv. V. *Num ex Sacris literis edoceri possumus de potentiis, habitibus, actibus & motu animarum separatarum?*

## THESES.

Pariunt & hanc qvæstionem *Scholasticorum* Disputationes, qvibus disqviruntur: *An animam separatam Comitentur potentia vitales & animales? An Habitus qvidam maneant in animâ separatâ? An anima asportet secum species intelligibiles? An Anima separata seipsam & alia Corpora possit movere? &c.* Nos de his qvæstionibus distincte respondendum putamus. I. Asserimus, per consequentiam, ex illis, qvæ qvæst. 2 l. 3. & 4. allata sunt, probari posse. In Animabus separatis adesse 1. intelligendi & volendi actum 2. qvosdam habitus, illos sc. qvorum adsunt actus, ut dilectio, Dei cognitio &c. 3. qvendam motum liberum & per se illorum statui congruentem. 4. potentias Animæ sensitivæ, qvarum actus in corpore resuscitando revocandi, ut potentia audiendi & videndi. II. Negamus, solide ex sacris literis probari posse: Animas separatas retervare sibi 1. potentias Animæ sensitivæ, qvarum actus an sint restituendi, non omninò certum est, ut est potentia tactus, gustus, olfactus. 2. potentias Animæ vegetativæ, qvarum nullus usus in alterâ vitâ, in qvâ nec edemus nec bibemus, nec cibum concoqvemus, nec sobolem progignemus. III. Negamus itidem, ex sacris literis constare nobis, 1. qvalis sit scientia, qvam habent Animæ separatæ? 2. An aliqvis motus per Accidens sit in Animâ separatâ? 3. An Animæ separatæ possint movere alia corpora? Vide de his, si placet *Scheibl. d. l. num. 91. seqq. & num. 140.*

Qv. VI. *Annon Sanctorum animæ beatæ intercedunt pro Ecclesia militante ejusq. membris apud DEUM?*

## THESES

I. BEatus *Chemnitius parte* 3. *Exam. fol.* 577. de hâc qvæstione ita docet, ut *affirmet & neget. Affirmat* cum *Apologia A Conf. Saxonica & Wyrtenbergensi Confessione*, piam & bonam esse cogitationem, qvod beati in cœlo pro generali statu Ecclesiæ suo qvodam modo sint solliciti, atqve ideò viventibus, utpote membris suis benè velint, & â Christo optima qvæqve optent. *Negat* autem B. *Chemnitius* in Scripturâ Canonicâ extare perspicuum, expressum & certum testimonium. 1. de Sanctis, qvi ex hâc vita discesserunt, pro Ecclesia militante orantibus. 2. de intercessione eâ qvâ in particulari pro qvâvis speciali afflictione cujuslibet fidelis hîc viventis

ventis DEO preces fundant. Utraqve Theſis ut veritati conſona agnoſcitur, cui noſtrum non poſſumus denegare aſſenſum.

II. Primæ Apodixis hauritur 1. ex communione Eccleſiæ triumphantis & militantis, qvæ ſimpliciter non eſt neganda, qvia utriusqve Eccleſiæ unum caput Chriſtus, & una qvaſi Reſp. *Ebr.* 12, 22. 2. ex charitate, qvæ non excidit in altera vita 1. *Corinth.* 13, 8. & exſtimulat haud dubiè beatas animas, ut benè cupiant Eccleſiæ, qvam variis expoſitam malis, ipſæmet in hâc vitâ fuerunt expertæ. 3. ex viſione *Apocal.* 6, 10. qvæ teſtatur, beatos expectare, donec compleantur illorum conſervi. Hæc & ſimilia evincunt, non planè abſurdam, impiam, & damnandâ eſſe opinionẽ in theſi primâ contentâ. Confer *Gerh. tom.* 8. *de Morte* §. 374.

III. Altera theſis, qvia negativa eſt, tamdiu ſubſiſtit, qvamdiu Pontificii non offerunt hujusmodi Scripturæ Canonicæ dicta, qvæ apertè docent, Sanctorum beatas animas in cœleſti gloria particulari etiam interceſſione qvemvis fidelem in Eccleſia militante & velle & poſſe juvare. Hoc qvod ex Scripturis probari non poſſit, ἔλεγχος teſtabitur.

## ANTITHESES.

Pontificii contrarium amplectuntur, qvando docent: Sanctos, qvi regnant cum Chriſto, non ſolum in genere, ſed etiam in particulari pro nobis orare. Videatur *Bellarm. lib.* 1. *de Sanct Beatit. cap.* 18. *Coſterus in Enchir. tit. de Invocat. Sanct. pag.* 468. *ſeqq.* Artur. *de Invoc. Sanct. cap.* 8. *& in Apolog. contra Toſſan. cap.* 8.

## HYPOTHESES.

I. Pleraqve *Pontificiorum* argumenta nobis oppoſita laborant πρὸς τὸν ἄγνωστον ἔλεγχον, qvando probant Sanctorum defunctorum animas 1. generaliter nôſſe ſtatum Eccleſiæ militantis, 2. vivere nobiſcum in ſpirituali ſocietate, qvaſi unâ Republicâ, qvæ ſubeſt Chriſto. 3. diligere eos, qvi ſunt in Eccleſiâ militante; & 4. generaliter intercedere, pro Eccleſia militante. Hæc qvi confirmata videt vel audit, ſimpliciter reſpondebit; Diſputare Pontificios absqve adverſario, qvando nobis objiciunt, qvæ liberaliter conceſſimus.

II. Multi ex Jeſuitis ſceleratè pervertunt *Theſin* noſtram *primam* qvam eo in ſenſu arripiunt ac ſi nos ad ſua caſtra jam transfugiſſemus Cum tamen maxima ſit diſtinctio inter piam cogitationem & aſſertionem fide tenendam: illam, non hanc in primâ Theſi nos defendimus, adeòqve longè diſtamus â *Pontificiorum* turmis, qvæ pro generali interceſſi-

one Beatorum Spirituum, tanqvam pro articulo fidei certo & infallibili qvi absqve æternæ salutis dispendio negari neqveat, decertant.

III. Urgentur *Pontificii*, ut verum exstruant κρινόμενον suis argumentis, sc. Sanctorum Spiritus in altera vita ita pro nobis intercedere. ut 1. cujusqve afflictionem in specie habeant perspectam 2. meritis suis nostris suffragentur precibus 3. sua intercessione nostris precibus addant pondus, & 4. ceu Mediatores CHRISTO subordinatos nobis reddant DEUM propitium ac placatum.

IV. In dicto *Jerem.* 15, 1. attendenda phrasis Hebræa לעמוד לפני qvæ de intercessione viventium in Ecclesia militante accipitur *Genes.* 19. 29. *Ps.* 106, 23. De defunctorum animabus hæc phrasis qvod legatur non apparet, ut dubium nullum sit, de Mose & Samuele, qvatenus in Ecclesia militante vixerunt, Dominum esse loqvutum; & designare voluisse, se ne qvidem posse misereri populi Judaici, si vel maximè in illorum societate adhuc hærerent *Moyses* ac *Samuel*, suamqve intercessionem interponerent. Qvod autem intercessio defuncti Moysis & Samuelis hîc intelligatur, nullo modo ex textu probari potest. Patrum expositiones non sunt infallibiles, & ex ipsis Scripturis dijudicandæ. Urgendi ergò Adversarii, ut probent, qvod in textu de *Moysis* & *Samuelis* animabus beatis verba Domini sint intelligenda: Si dixerint; *Moysen* & *Samuelem* non vixisse eo tempore, qvo hæc loqvutus est Dominus, parata est responsio conditionatam esse enunciationem, qva significatur, non qvales fuerint tunc temporis prædicti Viri: sed qvales esse potuerunt. Sic *Ezechiel.* 14, 14. de Noa & Jobo conditionatè sermocinatur Dominus, qvi in medio populi fuisse potuerunt, cum tamen Ezechielis tempore neuter vixerit.

V. Somnium Judæ *Maccab.* 2. *Maccab.* 15, 12. est n. Apocryphum & ex eo libro desumptum, cujus Auctor d. l. v. 39. petit sibi ignosci, si qvid minus dignè, ab ipso prolatum. 2. alienum à qvæstione, cum probat saltem, Sanctos beatos pro totâ Ecclesia in genere orare, qvod supra nosmetipsi eatenus admisimus, qvatenus illud ut fidei articulus non defenditur.

VI. *Apocal.* 5, 8. Beati repræsentantur ut offerentes orationes sanctorum vel orantes, qvod autem orent 1. in particulari pro Ecclesiæ membris. 2. ut Mediatores Christo subordinati, non legitur in textu.

VII. 2. *Pet.* 1, 15. clarissimè testari *Petrum*, se jam vitâ functum velle pro nobis Deo supplicare, scribit *Arturus d. l. num.* 79. At textum, imprimis græcum si expendamus, clarissimè apparet, *Jesuitam* impudentissimè mentiri,

tiri, cum *Petrus* non suam intercessionem post mortem, sed potius doctrinæ & virtutum monumenta polliceatur, qvibus commonefieri possint sui Auditores de iis, qvæ vivâ voce eos docuerat.

VIII. Epulonis damnati verba, qvibus intercedere creditur â *Pontificiis Luc.* 16, 27. seqq. non sunt intercedentis, sed tentantis: Qvando enim extraordinariam ac plane miraculosam fratrum expetit conversionem, tentat DEum, & non tam benevolum affectum in viventes, qvam immane odium adversus DEum declarat. Ridicula itaqꝫ hæc Papistarum sequela. Damnati orant pro illis, qvi in terris vivunt, ut tentent & offendant DEum E. & beati in cœlis orant in particulari pro veræ Ecclesiæ membris, ut tentent & offendant DEUM.

IX. Ex *Apocal* 8, 18. eruitur Thesis nostra prima, qvam non movent Pontificii, nisi probaverint: Ex solis visionibus non plenè explicatis Articulos fidei elici. Insuper non desunt Interpretes qvi docent: Martyres in Ecclesia militantes vrsos esse, â Johanne, qvi qvod justam vindictam aliqvando expetant, sæpe legitur in sacris literis *Ps.* 28, 4. *Ps.* 59, 6. *Jerem.* 17, 18. *Oseæ.* 9, 14. *Ps.* 69, 23. Confer. *Gerh. L.* 8. §. 441. *seqq.*

Qv. VII. *Num animæ Beatorum occupatæ sunt in regenda & defendenda Ecclesia militante?*

## THESES.

I. NOstra de hâc qvæstione Thesis negat simpliciter, Beatorum animas vel dare nobis beneficia spiritualia ac corporalia, vel gubernare Ecclesiam in terris militantem, & res humanas.

II. Ἀπόδειξιν invenimus 1. in Scripturæ silentio, qvod ἔλεγχῳ adaugebit 2. in dictis de Defunctis qvæ affirmant, qvod Sancti postqvam inservierunt voluntati DEI colligantur ad suos Patres *Actor.* 13, *v.* 36. qvod requiescant â laboribus suis *Apoc.* 14, 13. non videant mala, qvæ Dominus introducit super terram 2. *Reg.* 22. *v.* 10. nesciant qvæ sub Sole fiunt *Eccles.* 9. *v.* 5. & curam eam non agant, qvæ est Defensorum *Esa.* 63. *v.* 6. 3. in defectu potentiæ, â qꝫ â gubernatio Ecclesiæ & beneficia omnia ad nos dimanant: Hanc infinitam & divinam esse, scriptura, hinc indè ostendit, *Psalm.* 124. *v.* 1. *Jacob.* 1. *v.* 17. *&c.* At Beatos Spiritus Omnipotentes esse, neqvaqvam credendum est, qvando nec de divinâ naturâ participant, nec DEO personaliter uniti. Qvæ obvertunt Jesuitæ his argumentis, facilè corruunt, si admoveatur hæc Hypothesis ceu Aries.

III. Petunt principium Pontificii, qvando dicitant 1. Beatis communicatam esse Omnipotentiam, 2. Beatos esse ἔργανα DEI, per qvæ benefaciat

metaciat Ecclesiæ, eamqve liberet vel defendat. 3. se verbis qvidem Sanctos defunctos honorare ut opitulatores, non autem sensu. Dicuntur hæc qvidem facili opera, sed nunqvam solidè probantur Adversariis.

## ANTITHESES.

Hæc rectè & verè adjudicata est *Pontificiis* qvi qvod doceant, Beatorum Animas esse 1. Omni potentes. 2. Datores beneficiorum tam Spiritualium, qvam corporalium. 2. Præsides ac gubernatores rerum humanarum, imprimis Ecclesiæ, nervo se demonstravit *D. Gerh. d. l. §. 344. 348. 353. Alsted. tom. 1. Encycl. pag. 666.*

## HYPOTHESES.

I. Plurima congerunt Scripturæ testimonia *Pontificii*, qvæ qvod de Beatis in Cælo sint intelligenda, nulla ratione probari potest. Hujus generis sunt dicta *Psalm. 45, v. 17. Ps. 149. v. 5. Apocal. 1. v. 6 &c* qvæ sine ullâ absurditate de Sanctis militantibus possunt accipi, qvi principes & Reges spirituales constituti qvatenus regale sacerdotium *1. Petr. 2. v. 9.* qvod utitur armis spiritualibus *2. Cor. 10. v. 4.* qvibus vincunt Sathanam, *1. Joh. 2. v. 13.* mundum *1. Johan. 5. v. 4.* Carnem *Colos. 3. v. 5.* mortem & infernum *Johan. 5. v. 24.*

II. Qvod Salvator *Matth. 24. v. 47.* fidelibus piè defunctis promittat totius mundi & Ecclesiæ regimen, non potest probari ex textu: Nam ὑπάρχοντα Domini notant hoc loco præmia vitæ æternæ, qvibus opponuntur v. 51. cruciatus infernales. Antecedentia etiam docent Christum de illis bonis hîc disserere, qvorum Domini plenè & ultimatè demum in ultimo suo adventu ad judicium, constituendi erunt pii; Si ergo Jesuitarum expositio valet, in extremo judicio plenè & ultimatè Animæ beatorum erunt præsides in Ecclesia militante & mundo jam consummato & destructo, qvod maximè absurdum.

III. Terra illa, in qvâ regnare dicuntur Beati *Apocal. 5. v. 10.* est terra nova, cujus hæreditas promissa mitibus *Matth. 5. v. 5.* Nam hæreditas piorum est immarcessibilis & incorruptibilis *1 Petr. 1. v. 4.* At nostra terra non est immarcessibilis & incorruptibilis E.

IV. Dictum *Apocal. 2. v. 26. 27.* perfide depravant *Jesuitæ*, qvibus resistendum his Aphorismis. 1. Filium DEI hoc in loco cum Spiritibus defunctorum loqvi, non potest ex textu evinci: Qvamvis enim promissio includat perseverantiam ac constantiam, tamen non ut præteritæ, sed ut præsenti victoriæ ac perseverantiæ datur promissio: Verba enim νικῶν, & τηρῶν sunt verba præsentis temporis, adeoqve indicant promissionem cum cursu

curſu, palæſtrâ & victoriâ copulandam. 2. phraſin ποιμανεῖν ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ ſignificare hoc loco non pœnam, ſed gratiam ſeu virgam paſtoralem, nec conſequentia verba, nec dicta parallela *Pſalm.* 2. *v.* 9. *Apocal.* 12, *v.* 5. *Cap.* 19. *v.* 15. permittunt. Nullum etiam ſcripturæ dictum poterit proferri, in qvo virga ferrea notet ſolam virgam paſtoralem. Teneatur igitur hoc Axioma: Virga comminuens & frangens, qvæ ſimilis ferro conterenti vaſa figuli eſt virga puniens & perdens: 3. aliud eſt virgâ ferreâ paſcere, aliud, virgâ ferreâ conterere, hoc vindictam, illud gratiam deſignat: Per omnes gentes igitur in citatis locis deſignatur totus mundus, in qvo pœnitentes paſcuntur, impœnitentes conteruntur. 4. Uti de Beatis Spiritibus non poteſt dici, qvod in ſocietate illorum vivant, qvibus admixti impœnitentes, qvi virgâ ferreâ comminuendi, ita nec exercitium prædictæ virgæ illis competit, qvod locum ſaltem habet 1. in Eccleſia militante, cujus non ſunt amplius membra Beati Spiritus 2. in extremo judicio, qvo ſeparandi hædi ab ovibus, ut hæ paſcantur, illi conterantur. Summa ergo verborum Chriſti hæc eſt: Conſtantes in fide & pietate qvi permanſerint bonamq; militiam militaverint, mundum vi meæ Victoriæ in his terris devincent & tandem in extremo judicio judicabunt. 2. *Cor.* 6. *v.* 2.

V. *Apocal.* 3, 12. Beatos dici columnas, concedimus, ideò autem dici columnas, qvia ſuſtentant Eccleſiam militantem, negamus: Cum alia hujus nominis ratio ſit in textu, ſc. immutabilis ſtatus gloriæ, qvo æq; ornati erunt titulo ac nomine Regis ſui, atq; columnæ in Regum palatiis ornantur, qvando nomina Regum ac Principum illis inſcribuntur. Ornatus itaq; non ſuſtentationis Columnæ erunt Beati, qvi nominibus in textu expreſſis ſplendeſcent.

VI. Sedere in throno Chriſti *Apocal.* 3, 21. idem eſſe, ac ſi dictum fuiſſet; Beatos cum Chriſto præſidere toti mundo & regere Eccleſiam, nondum ex textu evicerunt Adverſarii: Præterqvam etiâ qvod magna differentia ſit inter thronum Patris, & thronum Chriſti, uti ſuo loco dictum fuit, de regno gloriæ, qvo pii Chriſto conregnabunt 2 *Tim.* 2, 12. ſatis apertè Filius Dei loqvitur, qvando ſuum thronum promittat vincenti; cui debetur corona vitæ æternæ, qvæ qvod conjuncta ſit cum guberhatione Eccleſiæ, præconcepta eſt Jeſuitarum opinio.

VII. Paralogiſmi παρὰ τὸ ἐπόμενον committuntur ab Adverſariis, qvi ita ratiocinantur: Si Beatorum gloria eſt ſumma & excellentiſſima, ſi poſſunt illi præſtare in cælis, qvod Reges, Divites & alii poſſunt in terris, ſi Angeli miniſtrant Eccleſiæ militanti, cur non Beati regerent mundum

dum & Ecclesiam. Ratio in his consequentiis valdè lubrica, qvando non qværitur, qvid fieri possit, sed qvid Deus fieri velit. Concedimus ergò, Sanctos beatos spiritus æqve ac Angelos posse adesse & præesse tàm Ecclesiæ qvam mundo, si nimirum Deus hoc ordinet atqve jubeat; Dei autem voluntatem qvia de beatis Spiritibus Ecclesiæ ac mundo præsciendis nondum demonstrarunt Jesuitæ discursibus de possibili nostram non infringunt thesin. Confer. *Gerh. d. l.* §. 351. *seqq.*

## Qv. VIII. *Annon Beati Spiritus sunt omnipræsentes?*

### THESES.

I. Sive ex dono beatitudinis, sive per se, sive qvocunqve alio modo defunctorum animæ statuantur omnipræsentes, ita, ut ubiqve omnium se adorantium preces exaudirè qveant, purum putum nos credimus figmentum esse beatorum Spirituum omnipræsentiam.

II. Hanc thesin nostram evincimus sequenti κατάδειξει: Qvam omnipræsentiam 1. Scriptura tacet. 2. negat & 3. Omnipræsentiæ natura recusat; illa haud dubiè conficta est. At Beatorum Spirituum omnipræsentiam 1. Scriptura tacet, uti ἔλεγχος probabit 2. negat, qvia assignat beatis animabus definitum aliqvod τόπος nimirum Paradisum *Luc.* 23, 43. domum Patris *Joh.* 14, 1, 2. patriam *Hebr.* 11, 14, 16. sinum Abrahæ *Luc.* 16, 22. qvæ habitacula, qvod sint ubiqve dici non facile potest, & 3. omnipræsentiæ natura recusat, qvia hæc reqvirit vel essentiam divinam ac infinitam, vel etiam naturam personæ infinitæ unitam: Neutram invenit in Beatis animabus. E. Vide *Gerhard. tom.* 8. *de Morte.* §. 334.

### ANTITHESES.

In hoc qvoqve luto peditant *Pontificii*, qvorum mentem *Coster. in Enchirid. p.* 390. his explicavit verbis: *Dicimus defunctorum animas naturaliter nec adesse nobis, nec nostra contemplari; dono tamen beatitudinis & gloriæ non ex cœlis modo nostra intueri posse; sed divino etiam permissu qvandoqꝫ, nobis adesse.* Titubante itaqꝫ conscientiâ hic *Jesuita Omnipræsentiam* beatorum Spirituum asserit, qvando non continuam, sed temporariam audet profiteri omnipræsentiâ, qvâ possunt adesse, qvando volunt, & Deus permittit.

### HYPOTHESES.

I. Insignis est ea impudentia *Pontificiorum*, qvâ cum *Calvinianis* negant, carnem Christi esse *omnipræsentem*, & contra affirmant, Sanctorum animas posse esse *omnipræsentes*.

II. Justorum animas *esse in manu Dei* concedimus: Consequentiam autem negamus, qvâ ita infertur: Qvi sunt in manu Dei, illi statim sunt,

sunt, ubi manus Dei est. Etiam justi hoc seculo superstites sunt in manu Dei *Deut.* 33, 3. *Esa.* 49, 16. 17. & omnes homines in manu sua consignatos habet Deus *Hiob.* 37, 7. Num ergò & hos omnes dicemus omnipræsentes?

III. Ex *Apocal.* 11, 17. & *cap.* 19, 2. nihil aliud sequitur, quàm beatos in cœlo triumphare de justis DEI judiciis, quæ quod perspecta ipsis non sint, nisi adsint semper, quando ea in terris exercentur, ad calendas græcas probabunt Adversarii.

IV. *Apocal.* 14, 4. describuntur vel militantes vel triumphantes Sancti: Si illi, docetur hâc visione; Credentes insistere Christi vestigiis in doctrinâ vitâ & cruce relictis, adeòq; nihil lucri accedit Adversariis ex hoc textu. Si autem hi sunt intelligendi, mons Sion erit Ecclesia triumphans, & sic quocunque in hâc Ecclesiâ & vita æterna ierit Agnus, comites sibi semper habebit beatos Spiritus, quod nos sponte nostra largimur. Confer *Gerh. d. l.* §. 39.

## Qv. IX. *Annon separatæ à corporibus animæ in alia transeunt corpora?*

## THESES.

I. ANimam humanam corpore solutam non ingredi in alia Corpora, ut ea informet, credimus ac profitemur, adeoque prodigiosam μετεμψύχωσιν explodimus atq; damnamus.

II. Persvadent nobis præmissam thesin 1. aperta verba *Ecclesiastis cap.* 9. *v.* 6. & *cap.* 12. *v.* 7. 2. argumenta pro immortalitate Animæ adducta, quibus Animarum μετεμψύχωσις ê diametro adversatur. 3. Exemplum Davidis 2. *Sam.* 12. *v.* 13. qui fatetur, non posse revocari spiritum defuncti in hanc vitam. 4. Verba Ep. ad *Hebr.* 9. *v.* 27, quæ statim post mortem hominem submittunt judicio, quod Anima effugeret, si in alia corpora transmigraret. 5. Verba Apostoli *Pauli* 2. *Cor.* 5. *v.* 10. ê quibus fluit hic Syllogismus: Qvæcunqve Animæ restituendæ propriis corporibus, illæ multis Corporibus nõ potuerunt esse communes. At singulorum Hominum, bonorum & malorum Animæ restituendæ propriis Corporibus E. *Confer. Gerh. d. l.* §. 55.

## ANTITHESES.

Sententia illa, qva docetur, Animas â corpore separatas transmigrare vel in brutorum, vel aliorum Hominum corpora, complacuit 1. *Ægyptiis* 2. *Pythagoræ* aliisqve *Philosophis gentilibus* 3. *Pharisæis*, â qvibus & *Herodem* fuisse seductum, patet ex Matth. 14. *v.* 2. Marci 6. *v.* 14. 4. *Carpocratianis*, *Marcionitis* ac *Manichæis*, de qvibus vide *Cent.* 1. *Magd. lib.* 1. *col.* 230. *Cent.* 3, *col.* 116. & *Gerh. d. l.* §. 154. 5. *Albiensibus*, de qvibus *Cent.* 13. *Magd.*

*Cap. 5. col. 555. ex Cæsario* refertur, qvod nugati fuerint, Animas defunctorum Hominum transire per diversa corpora, etiam animalium & serpentum, sin malè vixerint; sin bene, in Principis aut alterius illustris Personæ corpus.

## HYPOTHESES.

I. In *Nebucadnezare* non fuit Exemplum μεϱεμψυχώσεως: Qvamvis enim de ipso legatur, qvod cor bestiæ ei sit datum *Dan. 4. v. 13*, tamen v. 34, & 36. hæc ita explicantur, ut notetur usus Rationis ad tempus subtractus, & animi furor, qvo tanqvam Phreneticus & rabiosus hominum consortio ejectus, ut ferarum more vixerit formamq; corporis abominabilem contraxerit. Præterea *Nebucadnezaris* Anima proprio â Corpore non fuit soluta, qvia non fuit mortuus, sed sanâ mente privatus. Exemplum igitur non qvadrat ad qvæstionem.

II. Animam Eliæ transmigrasse in Animam Johannis Baptistæ, non probatur ex Dictis *Malach. 4. v. 5. Matth. 11. v. 4. Matth. 17, 12. 9. v. 13.* Nam 1. ipse Baptista negat, se esse Eliam ratione Personæ Johan. 1. v. 21. 2. Angelus *Gabriel* satis manifestè docet, Johannem esse Eliam ratione donorum & Officii *Luc. 1. v. 17.* non ratione Personæ.

III. Qvicqvid de ἀνακαθαϱσίᾳ referant Historici, certum tamen est 1. hanc esse præstigiis Sathanæ provocatam non realem atqve veram. 2. non evenire in mortuis, sed viventibus: Qvæstio autem nostra est: An defunctorum Animæ transeant in alia corpora. Vide *Gerh. d. l. §. 156. seqq.*

## Qv. X. *Suntne Receptacula vel ψυχοδοχεῖα qvædam intermedia inter cœlum & Infernum, qvibus vel recepta sint, vel adhuc recipiantur Defunctorum Animæ?*

## THESES.

I. ORthodoxas de hac qvæstione reliqvit Theses B. *Pater Augustinus, qvi lib. 1. de peccator. merit. & remiss. Cap. 28.* scribit: *Non esse ullum ulli locum medium, ut possit esse non nisi cum Diabolo, qvi non est cum Christo, & lib. 4. de Bapt. Cap. 28.* addit mentione dignissima verba: *Fides catholica*, inqvit, *non novit nisi duo loca, ubi homines sunt futuri perpetuo, cœlum beatorum & infernum Damnatorum.* Duo hæc cum *Augustino* approbamus ac docemus receptacula, qvibus omnes Animæ corporibus solutæ, & solvendæ vel jam receptæ, vel recipiendæ; Econtrà inane figmentum Cerebri humani profitemur omnem Animarum separatarum statum, qvo nec beati, nec damnati, nec in cœlo nec in Inferno, sed in loco intermedio.

II. Qvia negativa est conclusio, â nobis demonstranda in Ἀποδείξει unicum

unicum hoc sufficere potest argumentum : *Quæcunq; receptacula separatarum Animarum fide tenenda, illa in sacris literis revelata. At intermedia receptacula, diversa â Cœlo & inferno in sacris literis non sunt revelata. E. Major est* certa, qvia nullum potest monstrari Principium, ex qvo rectius innotescant Animarum receptatula, qvam scriptura sacra, qvam qvi negligit, Animarum receptacula post mortem nunqvam sine errore inveniet: Qvæcunqve enim vel Traditiones, vel Conciliorum Decisiones, vel Patrum Expositiones, vel consequentiæ afferantur, nunqvam fluctus dubitantis Conscientiæ his solis absqve scripturis sacris poterunt sedari. *Minorem* tenaci animo tuemur, & jure nostro petimus probationem ab illis, qvi Receptacula intermedia approbant: Iniqvum enim postulatum est, si qvis â nobis exigat, ut probemus, non dari Plura Receptacula qvam duo: Cum Affirmanti incumbat probatio, uti omnes qvi artem benè differendi didicerunt, concedere coguntur.

III. Interim ne de nobis ullâ ratione possint conqveri Adversarii, cedemus aliqvod de nostro jure, & ex liberalitate Thesin nostram uno alterove argumento evincemus; qvorum sit hoc: 1.) *Qvæcunq; Receptacula Animarum ἀληθῶς existunt, illa vel credentibus pœnitentibus & piis, vel incredulis impœnitentibus & impiis præparata. At receptacula Animarum extrâ Cœlum & infernum, nec credentibus pœnitentibus & piis, nec incredulis, impœnitentibus & impiis præparata E. Receptacula Animarum extrâ cœlum & terram ἀληθῶς non existunt. Major* haud indiget probatione, cum nullus possit nominari homo, qui non sub alterutro disjunctionis membro comprehendatur. Minorem salvant testimonia sacra de credentibus salvandis & incredulis damnandis *Matth.16. v. 16. Johann.3.v.18,36. Matth.7.v. 13. Joh. 15.v.2. Gal.6.v.8* in his dictis est immediata oppositio, nullusqve homo peccator potest nominari, qvi non ad unam classem ex his pertineat. Qvando enim aliqvam fidem, pœnitentiam & pietatem in aliqvo admittis, excludis eum ê classe oppositâ: Vicissim qvando aliqvam incredulitatem, impœnitentiam & impietatem agnoscis, hunc rursus ut oppositum priori classi deprehendes: De perfectè credentibus & imperfecte credentibus, perfectè pœnitentibus & imperfecte pœnitentibus; perfectè piis & imperfecte piis nulla videmus vestigia in allatis dictis. (2) *Qvæcunqve ἀληθῶς existunt Animarum receptacula, post Hominum mortem; illa vel peccato introducta, vel â Christo reparata. At receptacula extra cœlum & Infernum, nec sunt â peccato introducta, nec â Christo reparata. E. Propositionis* membra sunt immediatè opposita. Nam sine peccato nulla mors & nulla anima-

rum receptacula post mortem: Sine Christo post lapsum non nisi æterna mors & unum Animarum receptaculum, sc. Infernus, cui, ut habet fides Catholica, omnes traditi fuissent Homines, si non interveniset Christi medium. Impossibile itaqve est nominare aliqvod Animarum receptaculum, qvod nec â peccato introductum, nec â Christo reparatum. *Assumtio* liqvet ex scripturæ dictis, qvæ affirmant, â peccato introductam esse æternam damnationem *Deut. 27. v. 26. Rom. 2. v. 9. cap. 5. v. 18. cap. 8, 13.* & Christum venisse in mundum, non ut judicet, sed ut salvet *Johann. 3. v. 17.* non ut perdat, sed ut servet animas Hominum *Luc. 9. v. 24.* Imo ut habeant vitam æternam *Johann. 3. v. 16. Cap. 6. v. 39, 40. cap 10, 28. 1. Timoth. 1 v. 15. 2. Timoth. 1. v. 10.* Qvæcunqve ergò Animarum receptacula â peccato invecta juxta S. scripturæ doctrinam, comprehendenda sub Inferno, & qvæ receptacula â Christo reparata continentur, juxta eandem scripturam sub vitâ æternâ: Alia receptacula vel â peccato invecta vel â Christo reparata esse nunqvam evincetur (3) *Si est extrà Cœlum & Infernum aliqvod Animarum receptaculum, illud vel erit locus â gentilibus confictus, vel terrenus Paradisus, vel limbus Infantum, vel limbus Patrum vel Purgatorium.* Plura enim qvod ulla Hominum ætas crediderit ψυχοδοχεῖα, non apparet. At ne unicum scripturæ dictum de prædictis ψυχοδοχείοις potest nominari, qvod in Ecclesia de duobus primis est undiqvaqve concessum, de postremis autem infrâ demonstrabitur. E. Qvæ de Antithesi & ἐλέγχῳ hic essent addenda, spectant ad seqq. qvæstiones: Idcircò & ea his reservamus.

Qv. XI. *Estne aliqvis limbus, in qvo receptæ sunt animæ Patrum & aliorum, piè ante Christi mortem defunctorum?*

## THESES.

I. UT qvæstio hæc rectius decidatur, explicandum, qvid intelligatur per *limbum patrum.* Audi mus ergò *Bellarm. qvi lib. 2. de Purgat. cap. 7.* Limbum Patrum definit *sinum inferni intrà terræ viscera, in qvo animæ Patriarcharum pœnam damni sustinuerunt, ac liberationem per Christi descensum ad inferos cupidè exspectarunt, qvinimò de sua liberatione certi qvippiam à Johanne Baptista audire desiderarunt.* Hunc *Limbum* jàm descriptum in V. T. antè Christi passionem & mortem extitisse, nos simpliciter inficiamur, & confictum pronunciamus 1. Sinum inferri, intrà terræ viscera, in qvo animæ Patriarcharum pœnam damni sustinuerunt. 2. modum liberationis, qvo animæ prædictæ ex prædicto limbo ereptæ 3. desiderium, qvo desiderarunt animæ liberationem ex Limbo.

II. Ad ἀπόδειξιν vicissim nos non sumus obstricti, qvàm à parte affirmante

firmante exspectamus: Ex abundanti urgemus S. Scripturæ dicta, qvibus Limbus Patrum non consentit: Talia sunt testimonia de beato statu illorum, qvi piè antè Christi mortem fuêre demortui: Hi dicuntur per gratiam Christi salvati, qvemadmodum & nos per gratiam Christi salvamur; *Actor.* 15, 11. collecti antè faciem malitiæ, ut sint in pace *Esa.* 57, 1. requiescentes *Dan.* 12, 13. dimissi in pacem *Luc* 2, 29. & solatium accipientes in sinu Abraham *Luc.* 16, 22., 25. Hæc qvomodo dici possint, de iis, qvi in inferni sinu sentiunt pœnam damni, & exspectant liberationem, pro nostrâ Lutherana simplicitate non intelligimus. Obvertit qvidem *Becanus*; Sanctos defunctos in V. T. percepisse gaudium de superatis miseriis hujus vitæ, & æterna beatitudine obtinenda, non obtenta: At principium petit, dum dictis suis nullo argumento facit fidem: Phrases supra annotatæ si obtinendam saltem depingunt beatitudinem, nullæ erunt obviæ in Sacris literis, qvæ describere possint obtentam. Confer *Gerh. d. l.* §. 172.

## ANTITHESIS.

Qvænam hæc sit, patet ex verbis *Bellarm. in Thesi* adscriptis. Conferatur *Becanus in Append. Purgat. Calviniſt. & Bellar. l.* 4. *de Christo cap.* 10.

## HYPOTHESES.

I. Promissiones, qvas non acceperunt Patres V. T. teste *Epist. ad Hebr cap.* 11, 13, 39. non fuerunt promissiones de vita æterna; sed de terra Canaan & adventu Messiæ in carnem, uti ipse contextus edocet: Nam terra Chanaan vocatur terra repromissionis *Hebr.* 11, 9. & *seqq. cap.* 13, 2. nominatur, ille, qvi promissus in V. T., datus autem in Novo.

II. Passionem & mortem Christi non profuisse piis Patribus in V. T. anteqvam tempus advenerit, qvo passus & mortuus est Christus, nulla ratione solida potest probari.

III. In dicto *Genes.* 37, 35. vox שאל potest notare 1. sepulchrum, cum etiam â feris peremptæ corpora fuerunt in V. T. sepulta 1. *Reg.* 13, 29. 2. ipsum statum in morte, qvem hæc vox designat *Genes.* 44, 29. *Joh.* 7, 9. *Psl.* 89, 49. Optima expositio sumitur ex fontibus Hebraicis, in qvibus legitur אל בני שאלה Hîc qvia ה ultimum est nota loci, præpositio præcedens commodè potest verti *propter*, & sic est sensus; propter filium meum ego descendam ad sepulchrum.

IV. Historia Saulis & defuncti Samuelis 1. *Sam.* 28. non probat, qvod Pythonissa Samuelis animam è Limbo Patrum in hanc vitam revocarit. Vide de his prolixius dicta in *lib.* 5. *s. Angelol. controv.* 2 *qv.* 1. *Hypoth.* 5. *& 6.*

V. Qvod in dicto *Zachar.* 9, 11. agatur de descensu Christi ad inferos & Patribus in limbo detentis, non apparet ex textu, qvin potius omnes

homines sunt vincti in peccatis *Rom.6*, 20. *c.* 11, 32. *Galat.3*, 22. & sangvis Testamenti nõ solos Patres in V.T. sed nos omnes eduxit é lacu inferni *Colos.1*, 13.

VI. Animam divitis Epulonis & Lazari, fuisse in unâ inferni voragine, non probatur ex hiatu illo, cujus mentionem facit Abraham *Luc.* 16, 26. qvia distantiam qvidem notat Abraham eamq; summam, inter locũ beatorum & locum damnatorum, qvod autem fuerit distantia in unâ inferni circumferentia, non permittit status Lazari: qvi describitur, ut solatio & gaudio abundans.

VII. Qvicqvid etiam notet illa φυλακὴ, in qvâ Spiritibus prædicavit Christus, referente *Petro* 1. *Ep.* 3, 19. nunqvam evincent *Pontificii*, qvod notet Limbum Patrum à *Bellarm.* descriptum. Semper enim manet dubium 1. de salute æternâ illorum, qvi à Petro vocantur ἀπειθῆς h. e. *incredduli & impœnitentes tempore Noæ.* 2. de liberatione ex hâc φυλακῇ, qvam *Petrus* nullo designat verbo, & *prædicationem* duntaxat exprimit. 3. de Anima Christi, qvam ad dictum descendisse Limbum, opinantur *Pontificii*: hæc qvomodo â Petro dici possit ζωοποιηθεῖσα, non apparet: Etsi enim aliqvando vivificatus dicatur, qvi nunqvam fuit mortuus; tamen hoc in loco est oppositio inter ζωοποιηθεὶς & θανατωθεὶς: Sicuti ergò hæc vitæ amissionem, ita illa vitæ restitutionem indicat. 4. de tempore liberationis, qvod haud dubiè tunc qvando *Petrus* scripsit, juxta mentem *Pontificiorum*, præteritum fuit. Verba autem *Petri*, respiciunt non illos, qvi extiterunt, sed illos qvi adhuc existunt in carcere; Aut ergò hic locus de Limbo Patrum non loqvitur, aut etiam tempore eo, qvo scripsit Petrus, qvidam adhuc fuerunt Spiritus è Limbo Patrum educendi. Hoc rejiciunt Adversarii: E. illud eligant.

VIII. Abraham qvando defunctus, ivit qvidem ad Patres Genes. 15, 15. sed 1. in pace, qvæ non est in limbo Patrum. 2. non idololatricos, qvi fuerunt in inferno, sed vel ad Thare, qvi fuit conversus, Genes. 11, 31. vel ad majores remotiores, in pietate defunctos.

IX. Qvamvis sit infernum inferius *Deuter.* 32. v. 22. tamen non potest probari, vocem תחתיות distingvere infernum inferiorem â superiori, qvi fuerit *Patrum Limbus*: cum potius hæc vox sit πατικὴ statum ac conditionem Inferni describens.

X. Qvod mortui illi, qvibus prædicatum Evangelium, fuerint in Limbo Patrum, non dicit *Petrus* 1. *Ep.* 4, 6. Ex contextu autem apparet, non solum iis, qvi tempore Petri vixerunt, sed etiam aliis, qvi jam tunc

temporis

temporis obdormiverunt prædicatum fuisse Evangelium, qvando sc. vixerunt. Uti enim Christus judicabit mortuos qvando reviviscent, ita prædicatum est mortuis Evangelium, qvando vixerunt.

XI. Christus fuit πρόδρομος & præcursor in cœlum Hebr. 6, 20. respectu sui meriti & singularis prærogativæ, uti etiam ἀπαρχὴ resurrectionis vocatur 1. *Cor.* 15, 20. Proinde rectè inferunt, qvi ex adductis locis concludunt; Neminem propria virtute vi meriti sui resurrexisse & cœlum intrasse antè Christum. Falluntur autem, qvi ex his dictis inferunt: Neminem in V. T. antè Christum incarnatum vel resurrexisse vel vitam æternam intrasse.

XII. Viam cœlorum per sacrificia Levitica in V. T. nondum fuisse propalatam, docet Apostolus *Hebr.* 9, 8. Patres autem in V. T. non fuisse ingressos in vitam æternam antè sacrificiū â Christo oblatū, non est in textu.

XIII. Licet via ad cœlum non fuit eo sensu in V. T. nova, atq; fuit in N.T. ob novum Christi sacrificium Hebr. 10, 19 tamen non seqvitur, qvod in V.T. fuerit planè nulla via ad cœlum: pari ratione ego inferrem, jam nullum esse Test. qvia non est V. sed Novum Testamentum

XIV. In omnibus argumentis Pontificii oberrant *Ignoratione Elenchi*: Semper itaq; urgenda hæc conclusio: Extitit in V.T. *Limbus inferni*, in qvo animæ piè defunctorum 1. sustinuerunt pœnam inferni. 2. expectarunt liberationem per Descensum Christi ad Inferos. Confer *Gerh. d. l.* §. 173 *seqq.*

Qv. XII. *Estne in Inferno aliqvis Limbus, in qvo recipiuntur Animæ Infantum, qvi absq; Baptismo moriuntur?*

## THESES.

I. Limbus infantum ne â nobis oppugnetur, anteqvam intelligatur, dicendum erit â Pontificiis, qvid notet *Limbus Infantum?* Instituit autem nos *Bellarm.* qvando de loco Infantum non Baptizatorum scribit; qvod iste sit *Carcer Inferni, locus horridus ac tenebricosus, in qvo sine Baptismo decedentes dolorem animi habituri, qvod intelligant, se beatitudine privatos, â consortio piorum alienos, in carcerem Inferni detrusos & in tenebris perpetuis vitam acturos. lib. 6. de Amiss. grat. cap. 2. & 6.*

II. His præmissis, negamus simpliciter, ex sacris literis probari posse: 1. Infantibus absqve Baptismo in Ecclesiâ decedentibus paratum esse carcerem Inferni vel locum horridum ac tenebricosum. 2. Prædictorum Infantium animas habituras dolorem animi â *Bellarm.* descriptum, Ἀπόδειξιν nos iterum expectamus ab Adversariis, qvi dum non solidè demonstrant ex sacris literis thesin nobis oppositam, negantibus nobis firmissimam

mam

mam ſuppeditant Ἀπόδειξιν, cujus eſt concluſio: Non legitur in ſacris literis, qvod de Animabus Infantum absqve Baptismo decedentium aſſeritur â Pontificiis. Argumenta, qvæ probant, Deum *Extraordinarie* ſuccurrere ſaluti eorum, qvi Ordinariis mediis privantur, Controverſiæ de Sacram. Baptiſmi inſerta ſunt. Vide interim *D. Gerh. tom. 8 L. de Morte* §. 169.

## ANTITHESIS.

Hæc patet ex *theſi*, Confer. *Becan. in Append. de Purgator. Calvin.*

## HYPOTHESES.

I. Baptismum ita abſolute & ſimpliciter eſſe neceſſarium, ut nec privatis eodem Extraordinariè ſuperſit Dei gratia, qva promoventur ad vitam æternam, ſolidè probandum, non autem præſupponendum.

II. Infantes non Baptiſati, ſi precibus piorum Parentum & Eccleſiæ Deo ante mortem fuerint oblati, vigore promiſſionum de exaudiendis precibus, non poſſunt relegari ad inferni Carcerem: Etſi enim nexibus peccati Originalis conſtricti, adeoqve Damnationi obnoxii, tamen gratia Dei qvod denegetur iis, ſi non contemnunt media Converſionis Ordinaria, neqvaqvam permittunt S. ſcripturæ teſtimonia, qvibus Dei propenſa Voluntas in omnium hominum ſalutem declaratur, uti dicta Controv. plenius explicatum fuit.

III. *Peccato Originali* aliam eſſe deputatam pœnam poſt hanc vitam atqve eſt mors æterna, iterum fingitur â Pontificiis. Aut ergo Infantes antè Baptismum defuncti omni damnatione eximendi, aut etiam Cruciatibus Infernalibus committendi; Cum ſcriptura ignoret aliam pœnam peccato Originali infligendam. *Gerh. d. l.* §. 170. 171.

## QV. XIII. *Eſtne aliqvis Ignis Purgatorius, qvo repurgandæ piorum Animæ â Corpore ſolutæ?*

## THESES.

I. *Gregor. de Valent. lib. de Purgat cap.* 1. Purgatorium explicat ut 1. locum aliqvem, qvo poſt mortem fidelium animæ, qvæ vel obſtrictæ adhuc reatu alicujus pœnæ temporalis, vel etiam aliqvibus peccatis venialibus ex corpore migrarunt, ſecundum juſtitiæ divinæ rationem cruciantur. 2. expiationem peccatorum venialium, qvâ animæ promoventur ad cæleſtem beatitudinem. 3. Ignem verum ſeu corporeum, & 4. ut locum ſubterraneum, qvi vicinus ipſi loco damnatorum. Nos opponimus Valentino & aſſeclis hanc theſin: In ſacris & Canonicis libris alrum eſt ſilentium de loco qvodam, qvo animæ juſtorum, qvæ in hâc vitâ ſufficienter

purgatæ

purgatæ non sunt, purgentur post hanc vitam, antequam ad cœlum & claram DEI visionem admittantur.

II. Ἀπόδειξις cautè & circumspectè comportanda, ne nostro ex idamus jure, quod in Disput. de *Purgatorio* acquisivimus: Stetimus hactenus â partibus negantium, quibus nullo jure obtrudi potest officium probationis, quo affirmantes ut primum defungantur legesLogicorum deposcunt: Negativæ itaq; proferendæ Conclusiones, è quibus eluceat, â parte affirmante nulla solida exspectanda esse argumenta. Urgemus enim. (I.) Sacræ S. Canonicæ silentium, de Purgatorii 1. *Nomine*, quod prorsus ἀγραφον, uti ostendit *D. Meisn. in Opusc. de Purgator. cap.* 1. *pag.* 12. 2. *causa* προκαθαρτικὴ, quæ est vera satisfactio pro pœnis, remissâ culpâ, & in Scripturâ ignoratur, uti Meisn. in opusc. 1. de Indulgent. docuit 3. *Causis instrumentalibus* seu tortoribus, de quibus ipsimet *Pontificii* nondum consentiunt, uti probat *Meisn. in Opusc. de Purgator. cap.* 12. *pag.* 1266. 4. *causâ finali*, quæ est relaxatio pœnæ temporalis, & remissio peccati venialis, quæ quod à solis animabus corpore separatis sit expectanda, ne unico quidem Scripturæ dicto evinci potest 5. *subjecto vel materia circa quam* h. e. conditione illarum animarum, quæ flammis Purgatorii ustulandæ 6. *loco* 7. *Durantibus pœnis* 8. *remedio* quo animæ liberantur ex illo 9. *gravitate* in pœnis 10. *mitigatione* per suffragia quibus juvantur animæ in Purgatorio. De his & multis aliis nulla perspicua dicta ex scriptis Canonicis proferunt *Jesuitæ*; sed Andabatarum more contradicentes fovent sententias, uti fuse ostendit *D. Gerh. Loc. de Morte §. 123. & D. Meisn. in Opusc. de Purg c.* 2. *p.* 23. *& c.* 12. *p.* 1152. *seqq.* (II.) Confessiones Papistarum, quibus ipsimet fateantur, non posse è sacris literis demonstrari Purgatorium. Vide *Gerh. d. l §.* 121. *Meisn. d. l. cap.* 2. *pag.* 25. (III.) Descriptiones piorum & verè credentium in scripturis obvias: Ex his tale nectimus argumentum: *Quæcunq; doctrina asserit ignem Purgatorium, statuit & concedit, credentibus & piis expectandum judicium & supplicium, quo cruciandi, antequam ingrediuntur Vitam æternam. At Doctrina Prophetica & Apostolica non statuit & concedit, credentibus atq; piis expectandum judicium & supplicium &c. E. Propositio patet* ex Descriptione Purgatorii. *Assumtioni* favent omnia S. scripturæ dicta, quibus legitur, credentes in Dei filium, non judicari *Joh.* 3. v. 38, eum qui facit veritatem venire ad lucem v. 20. credentes in filium Dei habere vitam æternam v. 36. & non venire in judicium, sed transire de morte in vitam *Johann.* 5. *v.* 24. pœnitentibus & culpam & pœnam remitti in hac vitâ *Matth.* 18. *v.* 27. ita ut Deus non recordetur amplius peccatorum

catorum remissorum. *Ps.* 25. *v.* 7. *Jerem.* 31, 34. *Ezech.* 18. *v.* 22. sed removeat tam longè, qvam longè distat Oriens ab Occidente *Ps.* 103. *v.* 22, projiciat in profundum maris & post tergum *Esa.* 38. *v.* 17. *Mich.* 7. *v.* 19. Justificatos in fide pacem habere cum Deo *Rom.* 5. *v.* 1. nullum κατάκριμα esse in iis, qvi sunt in Christo *Rom.* 8. *v.* 1. sed spe illos esse salvos, nec qvenqvam esse, qvi eos accuset vel damnet *v.* 24. 33. Excipiunt qvidem, & instantias varias afferunt Papicolæ: Verum Principium petunt, dum præsupponunt 1. inter judicium æternæ mortis & vitam æternâ esse aliqvod intermedium, qvod ad certum saltem tempus duret in purgatorio. Probent hoc prius, & deinceps excipiant, Dicta allata saltem ab æternâ damnatione credentes eximere. 2. Qvosdam credentes & pœnitentes esse imperfectè justos: Probent enim prius, fidem duntaxat dispositive justificare, & ad pœnitentiam reqviri satisfactionem propriè dictam & contritionis meritum (IV.) Statum piorum post mortem, qvi in S. literis depingitur ut exoptatus, qvem Sancti desiderant *Luc.* 2. *v.* 29. 2. *Corinth.* 5. *v.* 8. *Philipp.* 1, *v.* 23. beatus & svavissimus *Ps.* 27, 13. *Ps.* 116. *v.* 7. ceu Paradisus *Luc.* 23, 43. in qvo pax *Sap.* 3. 1. *Luc.* 2, 29. reqvies *Hebr.* 4. *v.* 3. *Apoc.* 14, 13. & refrigerium *Sap* 4. *v.* 1. nullumqz tormentum *Sap.* 4. *v.* 1. Ad hunc statum pii deveniunt statim, qvando Anima peregrinatur â Corpore, & corpus morte ab animâ separatur 2. *Cor.* 5. *v.* 1. *seqq.* *Apocal.* 14. *v.* 13. *Luc.* 23 *v.* 43. Colligi hæc possunt tali Syllogismo: *Qvæcunqz Doctrina profitetur Purgatorium, admittit etiam,* 1. *ut pii post mortem expectent locum judicii, juxta Bellarm. lib.* 1. *de Indulg. cap.* 14. *in qvo non est locus misericordiæ sed justitiæ d. l. Cap.* 9. 2. *ut piè defuncti sint miseri & cruciandi igne Corporeo, in qvo dolor, mœror,* κάτω & πόνος 3. *ut piorum Anima post longum temporis intervallum deveniant demum ad sedem Beatorum.* At *Doctrina Prophetica & Apostolica in S. literis Contenta non admittit tria in Majore expressa, sed his potius contradicit.* E. Vana *sunt Jesuitarum* κρησφύγετα, qvæ excogitarunt de 1. Singulari Prærogativâ qvorundam piorum, qvi absqve purgatione possunt ingredi regnum gloriæ 2. satisfactione propriâ, qvâ Martyres & alii, ut Latro in Patibulo, pœnas in Purgatorio luendas declinarunt: Fures itaqve & alii malefici violentâ morte puniti, in Papatu longè feliciores, atq; alii, qvi in lectulis suis obdormiunt & adhuc præstolantur Purgatorii flammas, qvas illi secundum Jesuwitarum Hypothesin effugiunt. 3. veste meritorum, qvam nec Paulus 2. *Cor.* 5. ne culla scriptura approbat: Vestem autem fidei & Paulus & alii στόμιγξι commendant. *Galat.* 3. *v.* 26. *Esa.* 61. *v.* 10. 4. voce ἀπάρσι *Apocal.* 4. *v.* 13. qvæ qvod respiciat

respiciat Extremum judicium nullo modo probari potest ex textu, qvia non Resurgentes, sed mortui dicuntur beati ἀναστῆναι. Mortui autem in Domino non soli Martyres & perfecti, sed etiam omnes in Christum credentes 1 Cor. 15. v. 18. 1. Thessal. 4. v. 14, 16. 5. beatitudine in Spe, qvalis etiam Viventibus sanctis convenit Ps. 1. v. 1. Ps. 119. v. 1. Rom. 8. v. 24. Mortui autem dicuntur beati â modô, h. e. vel â puncto auditæ vocis, vel â tempore mortis, vel â tempore repurgatæ doctrinæ: Qvomodocunq; enim hic terminus accipiatur, sensus est, qvod morientes in Domino ipsa re & possessione, non solâ spe beati, qvando pie obdormiverunt. (V.) Ineptas Scripturæ applicationes, qvibus ut Ignis Purgatorii Figura & Typus commendatur gladius flammeus Genes. 3. v. ult. clibanus fumans apparens Abrahamo Gen. 15. v. 17. sulphur & ignis, devastans Sodomitas Genes. 19. v. 24. sermo Josephi Genes. 40. v. 14, 15. civitates refugii Jos. 20. v. 2, 3. Ablalon per biennium non videns faciem Patris Davidis 2. Samuel. 14, 23, 24. Adhæc de Purgatorio exponitur furor Domini Psalm. 6. v. 1. Ps. 38. v 1. manus Inferni Ps. 49, 16. Ignis & aqva Ps. 66. v. 12. Internum inferius Ps. 86. v. 12. Umbra mortis Ps. 107. v. 13: custodia Ps. 142. v. 8. Carcer Eccles. 4. v. 14. Ablutio filiæ Sion Esa. 4. v. 3. Ignis veprem & spinam vorans Esa. 9. v. 18. Esa. 10, 16. Olla succensa Jerem. 1. v. 13. Ignis ab Ezechiele conspectus Ezech. 1. v. 27. Olla super prunas vacua Eezch. 24, 11. fornax Babylonica Dan. 3, 92. fluvius igneus Dan. 7. v. 9, 10. Hæc & multa alia scripturæ dicta qvod funibus qvasi trahantur ad Purgatorium, vel sola citatio edocet: Conferatur. D. Meisn. in Opusc. de Purgat. Cap. 4. & apparebit, desperatam esse causam Papisticam, qvando ex sacris literis demonstrandus est ignis Purgatorius. Alia argumenta Purgatorio opposita repetantur ex Chemn. parte 3. Exam. pag. 546. seqq. Gerhard. d. l. §. 182. seqq. D. Meisn. in Opusc. de Purg. Cap. 10. 11. & 12. D. Mentz. Disp. Anti Pistor. 12. th. 10. seqq.

## ANTITHESES.

Hanc *Pontificii* profitentur, qvando docent 1. Existere revera locum deputatum Animabus piorum, igne cruciandis. Vide *Concil. Trident. sess. 6. can. 30. & sess. 25. pag. 301. Bellarm. 2. libb. de Purgat. Gregor. de Valent. tom. 4. Becanum in Manuali, Coster. in Enchir. Pist.* im Wegweiser. *Vigverium in Institut. Fevardentium lib. 11. 12. & 13. Theomach. Calvin. Forner.* im ausgezogenen Goliaths-Schwerth/ *Canisium in opere Catechet. &c.* 2. esse articulum fidei ad salutem scitu necessarium, qvo credimus, esse Purgatorium. *Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 15. Fevard. d. l. lib. 11. cap. 3. pag. 6.* 3 Purgatorii pœnas effugere Baptisatos Infantes, Martyres & perfectè justos *Bellarm. lib. 1.*

*de Purgat. cap. 5. lib. 2. de Purgat. Cap. 1. Peltanus cap. 6. de Purgator. p. 252.*

4. Tria Animarum genera subjecta esse Purgatorio igni (1.) illorum, qvi mortui sine qvacunqve culpâ veniali aut mortali, & avehunt reatum pœnæ, de remisso peccato mortali. (2) illorum qvi moriuntur cum solo peccato veniali (3.) illorum, qvi moriuntur cum culpâ veniali & reatu pœnæ de peccatis mortalibus remissis. *Vigver in Instit. cap.* 16, §. 4. 5. Infidelium, Hæreticorum schismaticorum & impœnitentium Animas non recipi in Purgatorium. *Staplet, parte* 2. *Prompt. Cathol. pag.* 286. Confer. *Meisn. d. l. Cap.* 2.

## HYPOTHESES.

I. Accensus est ignis purgatorius â satisfactionibus pro culpa veniali, & pro pœnis, remissâ culpa: Hujusmodi satisfactiones confictas esse â Pontificiis, nullamq; pœnam propriè dictam â nobis exigi, qvando culpa est remissa, in *Controv. de Pœnit.* solidè evincitur.

II. Argumenta ex Libris Apocryphis derivata nullam merentur responsionem: Siqvidem Controv. de SS. nos docuit; in dogmatibus & Articulis fidei confirmandis, prædictos libros nullam obtinere authoritatẽ.

III. Dictum 2. *Maccab.* 12, 46. præterqvam qvod sit Apocryphum, nec de Purgatorio loqvitur, nec ab erroribus, qvos ipsi Pontificii detestantur, est immune: Approbat enim remissionem peccatorum mortalium (in qvibus occubuerunt illi milites, de qvibus sermo est) post mortem, liberationem ex inferno damnatorum, qvibus dicti milites ut impœnitentes annumerandi, nec non resurrectionem particularem & qvorundam hominum: Siqvidem propter resurrectionis spem sacrificium dicitur oblatum. Proinde qvia manifesti errores in citato dicto obveniunt, nullatenus illud idoneum, ut probet articulum fidei, qvem si illo stabiliri, credunt Romanenses; superius adductos errores qvod itidem habeant pro fidei articulis, fateri coguntur.

IV. Verba Christi *Matth.* 5, 22 non possunt intelligi 1. de qvibusdam peccatis, natura sua venialibus, qvæ æternam non mereantur mortem: Hæc enim non dari in *Controv. de Peccato probatur* 2. de iræ & gestus hostilis pœnâ saltem temporali: Nam Scriptura pravos hosce affectus æternæ damnationi subjicit *Eccles.* 7, 10. *Gal.* 5. 10. *Col.* 3, 8 1. *Tim.* 2, 8. *Jacob.* 1, 19, 20. 1. *Joh.* 3, 15. 3. de distinctione judicii & consilii ab æterna pœna. Nam & judicium & concilium & gehenna notant æternæ damnationis distinctos gradus, uti patet ex v. 21: & 22. (in qvibus vox judicium non potest non habere unam significationem.) & oppositione inter doctrinam Christi & Pharisæorum

Pharisæorum, qvæ foret nulla, si qvædam peccata temporali duntaxat pœnâ Christus pronunciasset digna.

V. In parabolâ qvam Christus urget *Matth.*5,25,26. Solutio æstimanda est ex debito: Uti ergò debito respondet animus implacabilis, ita solutio novissimi qvadrantis notat æternæ damnationis passionem, qvam Animus inplacabilis judici Christo debet *Galat.* 5,20. 1. *Joh* 3,5. *Matth.*18,17. Similis pœna simili delicto deputatur *Matth.* 18, 34. & explicatur dilucidè, qvis sit ultimus qvadrans, qvi exsolvendus â vindictæ cupido, & condonationem nolente: Ita enim inferimus: Omne qvod debet Deo implacabilis, tenetur solvere. At debet implacabilis DEO non solum temporalem, sed etiam æternam pœnam. E.

VI. Qvædam peccata remitti in futuro seculo, non potest colligi ex verbis Christi Matth.12,31. qvia de remissione simpliciter impossibili loqvitur Christus, uti & natura peccati in Spiritum S. & alii Evangelistæ testantur *Marc.* 3,13. *Luc.* 12,10. Qvando autem negatur simpliciter, aliqvid possibile in futuro & præsenti seculo, non potest nec debet contraria affirmatio subintelligi. E.g. rectè dico, superbiam nec placere Deo in hoc, nec in futuro seculo: Non autem licet inferre: Qvoddam peccatum placere Deo, & in hoc & in futuro seculo. Prorsus etiam falsa esset opposita Enunciatio, qvâ statueretur: Qvædam peccata & in hoc seculo & in altero remitti, cum ea qvæ in hoc seculo remittuntur, non indigeant remissione in futuro: Exempla qvæ afferuntur à Pontificiis sunt aliena: Etsi enim contingat aliqvando, ut ex negatione possit inferri affirmatio, qvando sc. id qvod negatur, non est simpliciter impossibile. Tamen qvando id qvod negatur simpliciter impossibile & nunqvam fit, non licet inferre ex negatione contrariam affirmationem. Probetur ergò prius, qvorundam peccatorum remissionem in alterâ vitâ fieri posse & tunc ex Christi negatione inferatur contraria affirmatio. Posito autem, qvod possit probari, dari remissionem peccatorum in altero seculo, non statim seqveretur Purgatorium, in qvo non peccatorum remissio, sed pro peccatis satisfactio, qvalis nunqvam evincetur ex hoc textu, si vel maximè evinci posset remissio peccatorum in altero seculo.

VII. Locus 1. *Corinth.* 3,15. facile eripitur Adversariis, si teneantur hæ regulæ 1. qvæstioni probandæ, si applicandus est hic locus, hæc referenda conclusio: Ignis corporeus, in loco subterraneo purgabit fideles animas postqvam è corpore emigrarunt, â reatu peccati venialis vel pœnæ temporalis. Urgeantur Adversarii, ut hanc conclusionem eruant

ex textu, & Augiæ aperietur ipsis repurgandum stabulum 2. Nulla solida ratione potest probari; Apostolum loqvi vel de animabus qvorumvis fidelium, à corpore solutis, vel de igne corporeo cruciante ac purgante animas fideles. 3. Occurrunt multa in hoc loco, qvæ cum doctrina de purgatorio non conspirant: Paulus enim non de omnibus Christianis, sed solis Ecclesiæ Doctoribus affirmat, qvod salvi futuri, qvasi per ignē: Accuratè etiam distingvit inter οἰκοδομὴν, qvam Auditores esse ipsemet affirmat v. 9. & ἐποικοδομοῦντας, qvos sibi ut ἀρχιτέκτονι, in officio docendi subordinat. Præterea, non affirmat Apostolus, ipsas animas igne adurendas, sed opera dicit, adurenda. Deniqve qvia v. 13. non potest ignis *materialis*, sed *metaphoricus*, hoc est, *ignis examinis & judicii divini* intelligi, nullam videmus rationem, ob qvam *ignis metaphoricus* itidem non sit intelligendus v. 15. 4. Communiter in hoc loco interpretes *ignem* accipiunt, de *igne verbi divini, persequutionum tentationum & ultimi agonis*, qvo dogmata fundamentum fidei non satis ornantia examinantur ac absumuntur. Vide Balduin. in com. super h. Loc. *Chemnit. part. 3. Exam pag. 569. Gerh. d. l. §. 253. seqq. D. Meisn. in Opusc. de Purgat. cap. 5. p. 454.* 5. Satis vicina textui videtur expositio ea, qvæ exponit 1. opera superædificata per Auditores, qvi in textu vocantur οἰκοδομὴ & ναὸς τοῦ Θεοῦ v. 9. & 16. 2. *Superadificantes* per Ecclesiæ doctores, qvi uti superius dicuntur plantantes & rigantes, qvando Auditores vocantur Dei agricultura: Ita in hoc loco dicuntur architecti & superædificantes 3. *Aurum, argentum & lapides pretiosos* per Christianos in fide perseverantes & fructum ferentes in patientiâ, qvi superædificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum *Ephes. 2. v. 20.* sunt opus Pastorum Ecclesiæ in Domino 1. *Corinth. 9. v. 1.* superædificatum in Christo *Coloss. 2. v. 7.* & lapides vivi 1. *Petr. 2. v. 5.* qvi tentatione & cruce, ut aurum & argentum probantur *Ps. 66, 10. 1. Pet. 1, 7.* 4. *Ligna fœnum, stipulam*, ξύλα, χόρτος, καλάμη, qvi ad tempus qvidem credunt, tempore autem tentationis scandalizantur & recedunt. *Matth. 13, 21. Luc. 8, 13.* qvorum fides qvia ab *igne* tentationis, crucis & persequutionis absumitur, rectissimè conferuntur, ligno, fœno & stipulæ. Simplicissimus igitur sensus textus Apostolici hic est: *Videat qvilibet Ecclesiæ doctor, qvomodo Auditores fundamento Christo inserat. Erit enim Dies, qvâ aderit ignis examinans & probans corda fidelium: Si tunc auditores constantes in fide ac pietate manserint, mercede suâ non privabitur* Doctor: *Si autem qvorundam auditorum fides igne probationis fuerit combusta, detrimentum habebit Doctor, ut qvi frustra laboravit Galat. 4, 11. Ipse nihilominus salvus erit, sed itidem*

igni

*ignitentationum atq; erumnarum subjectus, cum inconstantia suorum auditorum haud parum turbabitur & offendetur.*

VIII. Quomodocunq; exponantur verba Apost. 1. *Cor.* 15, 29. non possunt accendere Purgatorium, nisi probetur 1. τὸ *baptizare* in S. literis notare *lachrymas, jejunia, orationes, Eleemosynas & alia opera laboriosa sponte suscepta* 2. βαπτιζομένους ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, notare eos qui affliguntur ut liberent alios ê Purgatorio. De variis Expositionibus hujus dicti consule *Meisn. d. l. p.* 481.

IX. Radicem *peccati Originalis* non posse ex Animâ evelli, antequam purgetur Igne Purgatorio, inepta est Monachorum speculatio. Quod tollatur hæc radix antequam homo ingrediatur in regnum gloriæ, ipsimet fatemur, quod autem ideò Anima purganda per Ignem, quia Corpus in putrefactione & cinerefactione demum â radice peccati liberatur, nequaquam concedimus: Nam 1. Hac ratione Infantum, Martyrum & perfectè justorum Animæ itidem inferendæ Purgatorio, quia horum Corpora corrumpuntur, quod ipsimet Adversarii inficiantur. 2. Corpus in Cinerefactione sentiret dolores, uti Anima sentit Cruciatus in igne Purgatorio, si prorsus eodem modo extirpanda Radix peccati, ê corpore & anima. 3. etsi radix peccati anefacta in animâ, quando â corpore separatur, tamen mors non est causa sed tempus separationis, causa est Dei ordinatio, quâ constitutum, ut Corpus in Cinerem resolvatur & Anima in separatione purgetur sordibus peccati.

X. Consvetudo, qva preces fusæ pro mortuis, 1. non est in sacris Canonicis literis Exemplo vel præcepto commendata 2. non patrocinatur Purgatorio, quia & pro Martyribus & perfecte Sanctis orarunt Antiqui, cum tamen prædicti non sunt in Purgatorio 3. ob alios pios fines conservata, ut fc. viventes Corporibus requiem & gloriosam resurrectionem, Animabus autem Beatitudinis continuationem, apprecarentur. Etsi enim de utrisque non dubitarunt viventes, tamen ad exhibendum Deo cultum & contestandum suum ergâ defunctos affectum vota conceperunt: Uti nos etiam petimus, ut sanctificetur nomen Dei, & adveniat regnum ejus, quamvis de his non dubitemus 4. adhuc hodiê potest retineri, ut publi ũ testimoniũ de beatâ requie defunctorum, exhortatio viventium ad similẽ in fide constantiam nec non declaratio pii affectus ergâ Defunctos.

XI. Frivola est hæc *Jesuwitarum* Sophisticatio: *Quicquid non habetur in Scripturis, id non est credendum. At non esse Purgatorium, non habetur in sacris literis. E. non esse Purgatorium, non est credendum. Respond.* est ambiguitas in Phrasi *Non haberi in sacris literis*, qvæ vel notat *negationem per eloquium*,

qvium: vel *negationem per silentium*: De *illa* si major intelligatur, falsa est. Multa enim negativa sunt credenda, licet qvoad eloqvium in scripturis non legantur: Sic non lego hæc eloqvia in scripturis: *Deus non est Author peccati, Angeli non crearunt mundum, mundus non est ab æterno, non datur remedium lapsis Angelis, qvo salventur, Nulla datur ex inferno redemptio*, &c. qvæ tamen omnia credunt ipsimet *Pontificii*. Si autem de *hâc* negatione *Major* loqvitur; *Minor* est falsissima: Etsi enim in scripturis non legatur hæc enunciatio: *Non datur purgatorium*: Scriptura tamen tacet de *purgatorio*, & sic tacendo negat, qvia omnes articuli fidei ad salutem scitu necessarii vel κατὰ τὸ ῥητὸν, vel κατὰ τὴν διάνοιαν extant in S. literis: Proinde qvatuor sunt termini in argumento. *Major* tantum vera de negatione qvoad silentium: Minor duntaxat vera, de negatione qvoad Eloqviũ.

XII. Ubicunq; reservatæ fuerunt animæ illorum, qvi â Prophetis, Christo & Apostolis in hanc vitam revocatæ, (qvas in extraordinario qvodam receptaculo fuisse, morosè non negabimus) nullâ solida ratione probari potest, qvod extiterunt in purgatorio.

XIII. Exempla illorum, de qvibus legitur, qvod jejunio, luctu & lachrymis funera defunctorum sint prosequuti 1. *Sam.* 31, 13. 2 *Sam.* 1, 12. tum demum stabilient Purgatorium, qvando monstrabitur ex S. literis, eam ob causam jejunasse & luctui indulsisse viventes, ut mortuorum animæ evaderent flammas Purgatorii.

XIV Si *Apocal.* 5, 13. designatur Purgatorium, sequitur 1. qvod etiam in mari sit purgatorium. 2. qvod animæ ustulatæ in purgatorio unâ cum beatis in cœlo DEUM celebrent. 3. qvod omnes Creaturæ sub terrâ sint in Purgatorio.

XV. De *Apparitionibus Spirituum*, prolixè disserit D. *Meisn. in Opusc. de purgat. cap.* 8. ex qvo gratâ mente hos Aphorismos excerpsimus: 1. Nos non simpliciter negamus, qvendam Spiritum ê suo receptaculo posse egredi: si Deus velit & jubeat. 2. Qvia de voluntate Dei non sumus certi, qvâ expetat, ut mortuorum Spiritus nobis appareant, & insuper â mortuis petere responsa, prohibemur, *Deuteron.* 18, 11. *Esa.* 8, 19, 20. *Luc* 16, 29. non credimus, veras fuisse defunctorum animas, qvas apparuisse, scripsitant Pontificii. 3. Spiritum hominis corporis ergastulo egressum ita posse apparere viventibus, ut videatur, audiatur, imo certis in coloribus & actibus conspiciatur, nec S. scriptura nec recta ratio svadet. Vide de Elencho *Chemnit. in Exam. parte* 3. *pag* 528. *seqq. Gerh. tom.* 8. *L. Theol. de morte* §. 224. *seqq. D. Meisn. in Opusc. de Purgat. cap.* 4. §. 6. 7. & 8. D. *Menzer in Disp.* 12. *Antipistor.*

Qv. XIV.

Disp. VIII. Resp. JOH. HENR. STOLTENBERG. Lubecens.

Qv. XIV. *Qva sunt eadem duo illa ψυχοδοχῖα, in qvibus animæ defunctorum hominum recipiuntur?*

## THESES.

I. Noa assentimur illis, qvi vel omnium animarum separatarum unum omnino receptaculum profitentur, vel etiam terrestrem Paradisum & campum Elysium piorum, lacum autem Acharontis malorum Animabus post mortem assignant, sed cum *Justino qv.75.* docemus, Justorum Animas post exitum è corpore statim in Paradysum ab Angelis duci; Injustorum autem animas in loca Inferni pervenire, qvibus locis asservatur unaqvæqve usq; ad resurrectionis & compensationis diem.

II. Ἀπόδειξις unico potest comprehendi Syllogismo, qvi talis est: *Qvacunq; Animarum separatarum receptacula S. scriptura ostendit, illa sunt statuenda. At Scriptura S. nec Commune Omnium Animarum receptaculum, nec terrestrem Paradisum, nec Campum Elysium, nec lacum Acharontis, sed cœlum & Infernum ostendit.* E. *Minor*, qvatenus negans, per se est firma, donec probetur contrarium: qvatenus autem affirmans, roboratur perspicuis testimoniis de Receptaculo diverso credentium & Incredularum mentium. *Illarum* receptaculum describitur, ut fasciculus viventium *1.Samuel.25,29* regio viventium *Psalm. 27, 13.* manus Dei *Sap.3, 1. Luc. 23. 46.* sinus Abrahæ. *Luc.16.v.22.* Paradisus *Luc. 23 v.43. 1.Corinth.12.v. 5. Apocal. 2. 7.* domus Patris *Johann. 14, 2.* οἰκία ἀχειροποίητος ἐν οὐρανοῖς *2.Corinth.5,2.* civitas, cujus Architectus est Deus. *Hebr.11.v. 10.* & patria cœlestis *v. 14. 15. Harum sc. incredularum* diversorium vocatur curvatura fundæ *1.Sam. 25. v. 29.* gehenna *Matth. 10,28.* ἅδης καὶ τάρταρος *Luc. 16.v. 23.* Caligo, in qva non videbunt lumen in æternum *Psalm. 49. v. 20.* Vide *Alsted. in Encyclop. lib. 12. Tom. 1. pag. 666. 667.*

## ANTITHESES.

I. Gentiles Philosophi opinati sunt, vel in tumulis versari Animas defunctorum, vel si justæ fuerint surſum evadere, vel si injustæ, circa sepulchra & hinc indè oberrare.

II. Qvidam Patres docuerunt, Animas piorum in terrestrem deduci Paradisum. *Gerhard. d. l. §. 163.*

III. *Essæi* fabulati sunt, Bonas Animàs ultrà Oceanum degere, in regione, qvæ neqve nivibus, neqve Imbribus, neqve æstibus aggravatur: Malis autem præparata esse loca procellosa & hyberna, plena gemitibus sine fine exercendarum pœnarum. *Joseph. lib. 2. de Bell. Judic. cap. 7. p. 649.*

IV. Poetæ de *Campis Elysiis*, *Unda Acharontis*, variisq; *Inferorum claustris* sua canunt figmenta.

V. De Manichæis, *Ephiphan. lib. 2. tom. 2. Hæres. 66. & August de Hæresib. ad Quod vult hæres. 46.* referunt, qvod docuerint; *Animas assumi in Lunam & Lunam accrescere, qvando impletur Animabus, decrescere autem qvando Luna devehit animas in Solem, per qvam vehantur in* DEI *regnum.* Huic opinioni affine est qvorundam *Ethnicorum* somnium, de Animabus, qvæ in *ætheris* ac *Stellarum naturam revertuntur.* Vide *Sueton. de Jul. Cæs.*

VI. *Tertullianistæ* finxerunt, Animas Hominum malas converti in Dæmones *Cent. 5. Magd. col. 552.*

## HYPOTHESES.

I. Aliud est receptaculum Animarum, qvo transeunt, aliud qvo commorantur. Illud est status & conditio mortis, seu ipsa separatio Animæ à Corpore, qvæ, si receptaculum dici meretur, piis & Impiis est commune receptaculum. Hoc autem est distinctum.

II. Adhuc superesse terrestrem Paradisum, seu Hortum Eden, non potest solidè demonstrari. Maxime probabilis illorum Opinio, qvi putant, Diluvii aqvis illum fuisse eversum.

III. Christus non promisit *terrestrem*, sed *cœlestem Paradisum Latroni* pœnitenti *Luc. 23. v. 43.* Nam in illum Paradisum venit latronis Anima, in qvo fuit Christi regnum. Atqvi in terrestri Paradiso non fuit Christi regnum, qvia per passionem & mortem intravit in regnum gloriæ, hoc est in ipsum cœlum *Hebr. 9. v. 24.* Qvod autem regnum gloriæ Paradisus vocetur, patet ex *1. Corinth. 12. v. 5. Apocal. 2. v. 7.* Confer. D. *Gerhard. d. l. §. 165. 163. & in Harmon. de Pass. Cap. 15. pag. 255.*

## Qv. XV. *Annon Animæ Sanctorum Defunctorum religioso Cultu afficiendæ?*

## THESES.

I. QVid notet *cultus Religiosus* in hac qvæstione, ex doctrina & *Praxi Papisticâ* addiscendum, qvæ testatur, cultum religiosum designare in Papatu 1. professionem de Divinâ majestate Sanctis communicatâ 2. religiosam Invocationē 3. fidē & spem, recumbentem in Sanctorum defunctorum merita 4. preces expetentes Sanctorum defunctorum Intercessiones. 5. Vota Sanctis defunctis nuncupata 6. Juramenta in nomine Sanctorum deposita 7. Templa & altaria in honorem Sanctorum erecta 8 Festa in religiosum Sanctorum honorem celebrata. 9. Honorem oblatum sanctis defunctis in Missis, jejuniis, peregrinationibus, donariis &c. & 10. diversas

sas præfecturas, qvibus Sancti Defuncti: ut Patroni præficiuntur vel certis Nationibus & Dynastiis, vel Episcopatibus vel Urbibus, vel Templi atqve Sacellis, vel certis vitæ generibus, vel certis depellendis morbis, vel certis averruncandis malis, vel certis obtinendis Bonis, &c. Hujusmodi religioso cultu Sanctorum defunctorum Animas esse venerandas; diserte & simpliciter negamus.

II. Ἀποδείξεως conclusiones diversi sunt generis, *Generales* & *Speciales*. *Generales* duobus Syllogismis possunt convinci, qvorum hic est *primus*: Qvicunqve cultus Religiosus Deo gratus & acceptus, expresso Dei verbo innititur. At præscriptus Cultus Religiosus Beatorum Spirituum, non innititur expresso DEI verbo E. hic cultus non est Deo gratus & acceptus. Major apparet ex Contradictorie oppositâ propositione, qvam Scriptura damnat, qvando 1. prohibet, ne seqvamur cogitationes nostras *Num.* 15. *v.* 39. vel adinventiones nostras *Ps.* 106. *v.* 19. (2) rejicit cultum â Deo non præceptum *Esa* 1. *v.* 12. *cap.* 29, 13. *Jerem.* 7. *v.* 31. *Matth.* 15. *v.* 9. *Colos.* 2. *v.* 23. 3. fidem reqvirit in cultu Deo placente *Rom.* 10, 14. *Jacob.* 1. *v* 5. 6. 7. qvæ non potest esse sine Dei verbo *Rom.* 10. *v*, 17. *Johan.* 17. 20. 4. Infidelium pronunciat notam, Cultum sine Dei verbo & revelatione *Joh.* 4. *v.* 22. *Ps.* 70. v. 6. *Jerem.* 10, 25. *Minorem* qvod ipsi fateantur *Pontificii*, probat *Gerhard. d. l.* §. 433. & præterea nullum mandatum, vel Exemplum de præmisso Sanctorum cultu potest ostendi, uti evidentius edocebit Elenchus. *Secundus* Syllogismus *generalis* hic est: De qvibus nemo ex sententiâ Pontificiorum, potest esse certus, qvod sint in gloriâ, illis meritô denegatur prædictus cultus religiosus. At de Defunctis Sanctis nemo ex sententiâ Pontificiorum potest esse certus, qvod sint in gloriâ. E. *Major* est immota, cum nemo possit esse capax religiosi hujus Cultus, nisi sit in cœlesti gloriâ. *Minorem* eatenus approbant ipsi *Pontificii*, qvatenus docent, neminẽ posse esse certũ qvod sit in Dei gratia: *Concil. Trid. sess.* 6. *cap.* 9. *Can.* 13. Dubitantes autem de propriâ gratia, multo magis dubitabunt de aliorũ gratia: Si ergò dubitamus: An alii & qvidem defuncti sint in Dei gratiâ, merito etiam dubitamus: an sint illi in cœlesti gloriâ? cum nemo sit in gloriâ, qvi non anteâ apud Deum fuit in gratiâ. Notentur insuper verba *Bellarmin.* qvibus *lib.* 3. *de Eccles. Cap.* 10. fatetur Pontificios non esse certos; An ullus Patrum veram fidem habuerit in corde: Dubitant ergò an fuerint in gratiâ, an sint in gloriâ, & an religioso cultu afficiendi? Qvod si tanta est dubitatio de S. Patribus, major adhuc dubitandi ratio, An *Gangolfus*, *Hippolytus*, *Damias*, *Georgius*, *Christophorus*, & alii

sint in gloriâ, cum æq; minus simus certi de horum vitâ gratiâ & gloria. Confer *Schroder. in Ench. Theol. Apod. 6. v. 319.*

III. Speciales conclusiones denegant beatis defunctorum Spiritibus (I.) *majestatem divinam*, qvia supra evictum, qvod nec omnipræsentia nec omniscientia, nec gubernatio divina iis congruat. Addatur etiam dictum *Esa. 42, 8.* qvod illis qvi extra Dei Hypostasin subsistunt, communicationem divinæ majestatis denegat. (II.) *Invocationem religiosam*, qvia 1. Solus Deus religiosè invocandus *Deut. 6, 13. Matth. 4, 10. Luc. 4, 6.* 2. gentiles qvæ coluerunt eos, qvi naturâ non fuerunt Deus, infideles censentur ab Apostolo *Gal. 4, 8.* 3. nulla inter tot precum formulas, qvas sacræ literæ exhibent, delineat formam & rationem, qvâ invocandi sancti: Si ergò revelatio non docuit formulas, qvibus invocantur defuncti sancti, humana ratio qvod invenerit eas nullum est dubium, certum autem est, qvod ratio ex suis principiis non possit invenire cultum Deo gratum. *Johan. 4, 22. Actor. 17, 23. Rom 1. 22. seqq. cap. 8, 26. 1. Cor. 2, 14.* 4. Christus præscribens discipulis orandi formulam *Luc. 11, 1, 2. Matth. 6, 9. seqq.* de Sanctis defunctis nullam facit mentionem: Neqvaqvam autem Deo displicebunt, qvi eâ in formâ orant, qvâ Christus eos orare docuit. *Exceptiones* corruunt si regeramus 1. Voces δουλεύειν atq; δουλείαν in scripturis sæpissimè significare cultum verè divinum *Actor. 20. 19. Rom. 7, 6. c. 12, 11. 1. Thessal. 1, 9.* 2. Qvamvis non negemus, cultum Deo debitum rectè distingvi, â cultu, qvo afficiuntur creaturæ, non tamen admittimus vocibus δουλείας & λατρείας hoc discrimen aptè exprimi. 3. Cultum adorationis & invocationis non nisi unum agnoscimus, qvia adoratio civilis, compellatio honorifica, &c. ad secundam spectant legis tabulam: Nostra verò conclusio loqvitur de cultu invocationis, qvi spectat ad primam tabulam, & nemini potest competere, nisi divinâ gaudeat majestate. Hæc enim religiosæ invocationis fundamentum, & religiosa invocatio hujus necessarium conseqvens. 4. Qvoties prætendunt Jesuitæ; Cultu qvodam inferiori & non divino, qvicunq; ille dicatur, defunctorum beatos Spiritus afficiendos, toties victas dant manus & omnem religiosam invocationem hic Spiritibus denegant (III.) *Fidem & Spem* recumbentem in illorū merita; qvia 1. objurgantur in sacris literis, qvi homines fidei ac spei suæ statuunt objecta *Ps. 118, 8, 9. Ps. 146, 3. Esa. 31, 1. Paral. 16. 12. Jerem. 17, 5.* 2. nec mandatum, nec exemplum, nec promissum de spe, ac fiducia in Sanctos defunctos collocanda proferri potest 3. Spes ac fiducia, qvæ ponitur in hominem nec ad primam, nec ad secundam legis tabulam

Iam potest referri. 4. merita Sanctorum nulla sunt, E. fiducia ac spes in illa recumbere neqvit, uti suo loco docetur. Confer. *Gerh. d. l.* §. 366. (IV.) *Officium Mediatorum & intercessorum*, qvia 1. non possunt iram Dei placare, qvæ nostris precibus obstat, ut non exaudiantur. 2. Christus est unus Mediator noster, ut est unus Deus, dans semetipsum in redemptionem nostram 1. *Tim.* 2, 5, 6. Uti ergò plures non sunt Dii veri & uti multi non dederunt animas suas in redemtionem: ita plures non sunt mediatores 3. intercessio Christi sufficit nobis, ut placeamus Deo, qvia Pater omnia dedit in manus ejus *Johann.* 3, 35. & qvia ipse interpellat pro nobis, non possumus condemnari *Rom.* 8. 34. sed possumus cum παῤῥησίᾳ accedere thronum gratiæ Hebr. 4, 15, 16. qvia habemus Advocatum apud Patrem, qvi justus est, & propitiatio pro peccatis totius mundi 1. Joh. 2, 2, 3. Non cedunt hæc argumenta distinctiunculæ inter intercessores *mediatos* & *immediatos*; Nam utcunq; in terris nostri confratres pro nobis mediantè merito Christi intercedunt; tamen in cœlis non nisi unus intercessor, qvi Christus: Qvod si negent Adversarii, Sanctos defunctos tales esse intercessores ac Mediatores, qvalis est Christus: negant omnem Sanctorum defunctorum intercessionem: qvia in cœlis non nisi una valet intercessio, qvæ est Christi: In terris autem qvia non amplius existunt defuncti Sancti, qvomodo more illorum Sanctorum, qvi in terris militant, intercedere poterunt? (V.) *Nuncupanda vota*, qvia nullo exemplo vel mandato Biblico possumus convinci, Deum velle, ut nuncupemus vota defunctis sanctis 2. Iste, cui vota nuncupantur, habet potestatem in animas hominum *Levit.* 24, 2. *Num.* 30, 9. vindictam potest exercere, nisi serventur vota *Deut.* 23, 21. *Eccles.* 5, 3. audit & præsens est, qvando nuncupantur vota Jud. c. 11, 30. 1. Sam. 1, 11. Qvæ omnia defunctis Sanctis non conveniunt. Confer. *Balduin. in Cas. consc. lib.* 1, *c.* 8. *cas.* 2. (VI.) *Juramentorum religionem*, qvam soli competere Deo, haud obscurè innuitur *Deut.* 10, 20. *Esa.* 19. 18. *cap.* 65, 16 *Jerem.* 4, 2. Unde & improbantur Juramenta nomine creaturarum aut idolorum facta *Jerem.* 5, 7. *Zophan.* 1, 5. *Matth.* 5, 34. Exempla qvæ afferuntur ex *Genes.* 42, 15. *Deut.* 30, 19. 2. *Reg.* 2, 4. &c. non agunt de veris Juramentis, qvibus Deus ut Vindex invocatur, sed sunt seriæ & graves obtestationes. Vide *Bald. d. l. cap.* 9. *cas.* 2. (VII.) *Templa & altaria*, qvia nec cultus, ob qvem extruuntur templa, nec sacrificium, ob qvod eriguntur Altaria, ulli Sanctorum defunctorum convenit (VIII.) *Festa suæ veneration deputata*: qvia nec preces, nec gratiarum actiones, nec ullum religiosum cultum ad defunctos Sanctos dirigere, Deus jussit. (IX.) *Jejuniorum, Missarum & similium operum*

*demtionem*, qvia nec jejunia papistica, nec missæ, nec peregrinationes & similia iis possunt annumerari, qvibus Deus verè colitur. (X.) Diversæ præfecturæ, qvæ concidunt, cadente gubernatione Ecclesiæ visibilis, afficta Sanctis defunctis, uti supra fuit demonstratum. Fusiorem Apodixin vide ap. *Chemnit. parte 3. Exam. pag. 611. seqq. Schrod. in Enchir. Theol. Apod. 6. Mentz. Disp. 6. Antipistor. th. 25. Hutter. in L. Theol. p. 971. Gerh. tom. 8. Loc. de Morte §. 379. seqq. Giesen. tom. 6. Disp. Giess. pag. 410.*

## ANTITHESES.

Pontificiorum Sententia est partim *crassa*, partim *emollita*: Crassa defenditur ab antiqvioribus *Pontificiis*, qvi ausi sunt διαρρήδην affirmare, qvæ nostra thesis negat. Vide *Chemnit. d. l. p. 573. seqq. Schroder. d. l. §. 133. seqq. Gerh. d. l. §. 435. Hulsemann. in Manuali* A. *Confess. Disp. 18. pag. 867.* *Emollitam* Antithesin *Cassander in consult. artic. 21.* & Jesuitæ adornarunt, prætendentes 1. Sanctos non invocari cultu λατρείας sed δουλείας vel ὑπερδουλείας qvo condeprecatores eos ascisimus, ut tanqvam amici Dei una nobiscum coram Deo & Christo compareant. 2. Sanctos defunctos non aliter compellari, ut pro nobis intercedant, atq; compellantur viventes sancti, ut pro nobis orent 3. Festa Sanctorum peragi, qvatenus celebrantur eorum natalitia. 4. Ædes sacras Deo dicatas in memoriam Sanctorum exstrui 5. Vota nuncupari Sanctis, qvatenus ipsi Deo pollicemur, nos aliqvid honoris Sanctorum gratiâ facturos. 6. Certas præfecturas Sanctis defunctis committi, qvia ex signis & miraculis innotuit, huic vel illi sancto peculiare munus esse concessum. Vide *Gerh. d. l. §. 414.* & conser. *Laurent. Artur. Invocat. Sanctor. c. 1, 12, 13, 14.* & *de Veneral. cap. 1.* & *2.*

## HYPOTHESES.

I. In thesi Adversariorum emollita desideramus 1. Candorem, qvia errores suorum Præceptorum, qvos coguntur agnoscere, nec aperte damnant, nec sincere deserunt, sed potius palliare & fucatis coloribus depingere laborant. Si sincere improbant *Jesuitæ* cultum Defunctorum sanctorum, qvem in Scholasticorum scriptis, & precum Formulis in Ecclesia papisticâ usu receptis nos condemnamus, Errores Rom. Ecclesiæ, tandem concedendi, & orthodoxia nostrarum Ecclesiarum in hoc capite approbanda 2. veritatem; Nondum enim videmus solidè evictum; Sanctos Defunctos eo modo esse colendos, qvem in *emollitâ Thesi* deprehendimus. Neqve modus divini cultus vel ex Ingenii humani speculationibus vel distinctis Excellentiarum gradibus, sed ex divinis oraculis derivandus est. 3. sufficientem purgationem; qvia non solum ille est Idololatra,

qvi

qvi Creaturas religioso cultu afficit, sed iste etiam, qvi vel in creaturas fiduciam collocat, easqve supra modum amat, ut Avarus *Ephes.*5.*v* 5. vel non solum Deum, cultu religioso adorat 1.*Reg.*18,21. 2.*Reg.*17,33. vel etiam eo modo colit Deum, qvem Deus non præcepit *judic.*17.*v.*3.13 *cap.*18,*v.* 24. *Exod.*32, 4. 1.*Reg.* 12, 28. 4. verborum proprietatem. Nam impropriè dicuntur *invocari* & *adorari*, qvi non cultu divino invocantur vel adorantur: *Propriissima* autem significatio harum vocum inventa est, ut cultum κυρίως divinum designet. 5. Praxin verbis & professioni consonam: Inanis enim ista est verbalis protestatio, cui contrariatur factum: Si ergò ea mens est Pontificiis, qvam suprâ exposuerunt, cur indies antiqvas istas precum formulas recitant, qvibus verba immediatè signunt sensum qvem â se non intendi, cupiunt Jesuitæ: Inepta etiam est distinctio *Bellarm.* qvâ distingvit inter *verba* & *sensum*, qvia verba signa sensus, & conceptus est signum Rei. Sicut ergò conceptus non referens Imaginem rei errorem, sic verba non convenientia cum sensu mendacia pariunt. Exemplum de Pastore Ecclesiæ salvante Auditores, â qvæstione est alienum, qvia sensus horum verborum in aliis Scripturæ dictis dilucidè revelatur, qvod autem in hâc phrasi: Petre salva me, hic sit sensus; Petre intercede pro mea salute nulla scriptura sacra docet.

II. A civili reverentia, qvæ legitur exhibita sanctis viventibus 1.*Reg.* 18. *v.*7. 2.*Reg.* 2. *v.*14. *Dan.* 2. *v.* 46. *Actor.* 10. *v* 25. ad cultum religiosum sanctorum Defunctorum nulla est consequentia: Nec cultus religiosus in his Exemplis designatur: Qvamvis enim adorantes qvoad dignitatem civilem illis, qvos adorarunt, fuerint excellentiores, tamen dona Prophetica & officia singularia etiam in infimæ sortis hominibus Reges ac principes civiliter possunt honorare. Insuper nullum exemplum potest adduci, qvod doceat, Sanctos viventes eo cultu fuisse honoratos, qvi in Thesi exprimitur. Saulis exemplum 1. *Samuel.* 23. v. 14. est ἀπόκρυφον, cum verus Samuel non apparuerit, uti diximus jam supra. Non etiam Saulis impii & Nebucadnezaris Paganismo infecti Exempla piis & Christianis sigunt legem.

III. Cœlestes virtutes in Beatis Animabus agnoscimus, qvibus etiam honorem qvendam haud inviti concedimus. Probandus autem cultus iste, qvi in Thesi nostra rejectus est,

IV. Qvalis sit Sanctorum defunctorum intercessio & gubernatio suprà exposuimus, nulliqve dubitamus, ex intercessione & gubernatione dictis locis evictâ religiosum istum cultum pro qvo pugnant Adversarii,

sarii, demonstrari non posse. De intercessione Angelorum repetantur, qvæ diximus suo loco.

V. Distingvenda est Sanctorum defunctorum nominatio ab eorundem invocatione: Non enim in precibus statim invocantur, qvorum nomina recitantur: Etsi ergò nominentur haud rarò defuncti sancti in precibus viventium, uti Exod. 32, 13. Deut. 9, 27. Ps. 132, 21, 10. non tamen ex hac nominatione seqvitur invocatio, nec ostendi potest; Ad defunctorum merita & intercessionem provocasse viventes: Respexerunt potius pactum Dei cum piis suis majoribus olim sancitum *Deut.* 9, 5, *cap.* 26. 15. 1. *Reg.* 8, 25, 26. *Ps.* 105, 8, 9.

VI. An ita compellandi defuncti, ut compellantur viventes Sancti, qvando contendimus ut pro nobis intercedant, seqvent. qv. ἀνάλυσις rectius docebit.

VII. Sicuti Christus spem Judæorum in Moysen non approbat *Joh.* 5, 44. ita Paulus ad Philem. v. 5. fidei objectum Christum, charitatis autem objectum statuit omnes Sanctos. conf. D. *Bald. inh. loc.* & D. *Gerh. d. l.* §. 367, 368. Similis modus loqvendi extat *Matth.* 12, 22. Dicta parallela sunt *Ephes.* 1, 15. *Coloss.* 1, 4.

VIII. Detorqventur miserè dicta qvædam ad religiosum cultum Sanctorum, in qvibus vel de nominis non invocatione, sed impositione ut *Genes.* 48, 16. vel de Sanctis viventibus ut Ps. 32, 6. Ps. 135, 14. Ps. 139, 17. *Sirac.* 39, 17. 2. *Pet.* 1, 4. vel de montibus Jerosolymitanis ut Ps. 120, 1. vel de viventibus propter miseriam comparatis cum mortuis ut Baruch. 3, 4. fermonem esse, & litera & textus συνέκδικα manifeste arguit: Confer *Chemnit. parte* 3. *Exam. pag.* 1746 17. *Hutt. in Loc. Theol. pag.* 989. *seqq. Gerh. d. l.* §. 436. *seqq.*

## Qv. XVI. *Si non religiosè invocandi defunctorum beati Spiritus, annon officiosè compellandi & monendi, ut pro nobis intercedant* §

## THESES.

I. COnstrictos cum se senserunt nostris argumentis Pontificii, rimam qvâ elaberentur, anxiè qvæsiverunt, & tandem invenerunt exceptionem, qvâ in hunc usq; diem è nostris vinculis erumpere laborant: Dicunt enim se eo modo ac fine compellare defunctos Sanctos, qvo nos viventes & συνοδεύοντες nobiscum compellamus Christianos, eosq; amicè invitamus atqve rogamus, ut suis precibus nostram causam Deo offerant, adeoqve

adeoq; nobiscum auxilia à Deo impetrent. Qværitur jam: *Annon prædicta compellatio & invitatio ad defunctorum Sanctorum animas sit dirigenda?* Respondemus nos hac thesi: *Qvamdiu manet distinctio inter Ecclesiam triumphantem & militantem, non concedimus, ut eo modo compellent militantis membra membra triumphantis, qvo modo compellant se ii, qvi sunt commilitones in Ecclesia militante.*

II. Ἀπόδειξις hæc est: I. *Qvicunq; officiose compellandi & invitandi, ut pro aliis intercedant, illi in hoc mundo conspiciuntur & cum aliis sic conversantur in corpore ut* Abraham cum Abimelech. *Gen.* 20, 7. Joh cum amicis suis *Job.* 42, 8. Samuel cum Judæis 1. *Sam.* 7, 8. sani cum infirmis *Jacob.* 5, 16. auditores cum Pastoribus *Eph.* 6, 19. *Colos.* 4, 3. 1. *Thess.* 5, 25. 2. *Thess.* 3, 1. *Hebr.* 13, 18. subditi cum imperantibus 1. *Timoth.* 2, v. 1. & ἀδελφοὶ συναγωνιζώμενοι *Rom.* 15, v. 30. *At Beati defunctorum Spiritus in hoc mundo non conspiciuntur, & cum aliis hic non conversantur in corpore ut Abraham cum Abimelecho &c. E. Beati Defunctorum Spiritus non sunt officiose compellandi & invitandi, ut pro aliis intercedant. Assumptio* sensuum etiam judicio vera agnoscitur. Propositionem eripi nobis non patimur, nisi ostendant Adversarii 1. qvomodo iste â me officiose possit compellari & invitari, qvem ego non video, qvi etiam mecum non conversatur, 2. quo *præcepto*, Exemplo & promisso innitatur ea officiosa compellatio qvæ dirigitur ad Animam solam invisibilem, corpore exemptam & in cœlesti habitaculo subsistentem. II. *De qvibus sumus incerti, an sciant particulares nostras afflictiones, & an audiant nostram compellationem, illos frustra compellamus, ut pro nobis intercedant. At de Sanctis Defunctis sumus incerti, an sciant particulares nostras Afflictiones, &c. E. Propositionem* tuetur Finis ob qvem alios compellamus, ut pro nobis intercedant, qvi nunqvam obtinetur, ab iis, qvos latet noster status. Assumtio tamdiu nostra, qvamdiu non edocent Antagonistæ, qvomodo particulares eventus & compellationes nostræ in notitiam Defunctorum deveniant. III. *Qvorum memoriam recolimus, illos ut absentes laudare, non autem officiose compellare possumus. At Sanctorum Defunctorum memoriam recolimus. E. Assumptio* ipsis Adversariis placet: *Propositio* ita potest adstrui. Qvos officiosè compellare possumus, ad illos loqvi possumus. Atqvi ad eos, qvorum memoriam recolimus, non loqvi possumus, qvia loqvimur de illis, non ad illos. Ergo ad eos qvorum memoriam recolimus, nullam compellationem dirigere valemus. Si excipiant Jesuitæ, se recolere memoriam illorum, qvi invisibiliter sibi sunt præsentes, ubiqvitatem tribuunt sanctis, qvam denegant corpori, qvod subsistit in Personâ

Filii Dei. Insuper petunt principium & præsupponunt id qvod nunqvam evicerunt. Confer. Supra.

## ANTITHESES.

*Jesuitæ in Censur. Colon pag.* 219. his proloqvuntur verbis: *Nos nullum Sanctis divinum honorem decernimus, non magis qvam D. Paulum iisdem detulisse constat, qvorum ipse vivus adhuc preces ambiebat. Nam honorem, qvem ille vivis impertiebatur, ab eis orationes efflagitando, nos jam Sanctis vitâ defunctis deferimus invocando eos.* Confer. *Becan. in manuali & Bellarm. de Beat. Sanct. c.* 20. Item *Cassand. in Consult. artic.* 21. *pag.* 966. *Coster. in Enchirid. pag.* 396.

## HYPOTHESES.

I. In precibus & exercitio Invocationis non est recedendum à Dei verbo: Preces enim qvibus dubitat & fluctuat animus, non placent Deo *Jacob. I. v.* 67. Dubitare autem cogitur, qvi precatur sine Dei verbo, cui soli Fides inhæret.

II. Qvamvis expresse non prohibuerit Deus Compellationem Sanctorum Defunctorum, tamen ut Ritus indifferens hæc compellatio tolerari neqvit, qvia non pertinet ad ceremoniam orantis, nec ad circumstantiam orationis, sed ad orationis obiectum, de qvo qvi sine Dei verbo statuit, ἐθελοθρησκείαν invehit.

III. Compellatio Sanctorum viventium sustinetur præceptis atqve Exemplis in sacrâ Scripturâ obviis, adeoqve toto genere differt ab Invocatione Sanctorum Defunctorum.

IV. Desiderium & votum, qvo qvis exoptat, ut Sancti Defuncti pro se intercedant in cœlis, non potest esse conjunctum cum fiducia πληροφορίᾳ, qvia dubitare cogimur: Num hoc desiderium & votum Deo placeat.

V. Honor civilis, qvi confertur Sanctis viventibus resultat ex Dilectione proximi, qvem videmus *1. Joh. 4. v.* 20. & cui misericor iam viciſſim exhibere possumus *Luc.* 10. *v.* 36. 37. Ediſſerant autem nobis *Jesuwitæ*, qvo sensu, Spiritus Corporibus exuti sint nostri proximi, qvos nec videmus, nec misericordia juvare possumus. Qvalis etiam dilectio sit, qvâ Beati Defunctorũ spiritus complectuntur viventes, in hâc vitâ vix declarabitur.

Qv. XVII. *Num ergo omnis simpliciter Honor Sanctis Animabus à Corpore separatis est denegandus* §

## THESES.

1 *Apologia A. Confess.* Iamdudum protestata est, nostras Ecclesias non aspernari

aspernari, vel ignominia afficere Sanctos Defunctos, sed exhibere illis honorem sacris literis congruum, qvatenus 1. Deus in Donis Sanctorum laudatur 2. sanctorum dona & opera commendantur 3. Exempla Virtutum, qvæ Sanctos qvondam ornarunt, viventibus ad imitationem proponuntur. Hanc memorialem reverentiam Sanctis defunctis exhibendam esse, profitemur atqve docemus.

II. Ἀπόδειξιν Scripturæ continent dicta, qvæ docent (1.) Deum promisisse Sanctis benedictam memoriam *Ps.* 112, 6. *Prov.* 10, 7. *Sirach.* 45, 1, *cap.* 46, 14. *Sap.* 4, 1. *Marc.* 14, 9. *Luc.* 1, 48. (2.) mortem Sanctorum esse pretiosam in oculis Domini *Ps.* 116, 15. & glorificare Deum *Joh.* 21, 9. Qvando ergò hujusmodi mors deprædicatur, Dei φιλανθρωπία, veritas, justitia, misericordia & potentia concelebratur. (3) Viventes Sanctos modestè laudasse dona & acta defunctorum. *Ps.* 105. & 106. *Sirac. c.* 44. 45. *seqq.* Act. 7. *Hebr.* 11. (4) Exempla Sanctorum ad imitationem extare scripta *Rom.* 4, 1. *Hebr.* 6, 12. *cap.* 13, 7. 1. *Pet.* 3, 7. Vide *Chemnit. parte* 3. *Exam. p.* 574. *Gerhard. d. l.* §. 372.

## ANTITHESIS.

Hæc extat 1. in adversariorum calumniis, qvibus convitiantur, qvod nostræ Ecclesiæ nullum deferant honorem Sanctis defunctis, vide illorum verba ap. *Gerh. d. l.* §. 373. 2. in scriptis quorundam *Calvinianorum* & *Photinianorum*, qvi non putant utile vel necessarium, ut certis anni temporibus historiæ sanctorum explicentur *Dan. lib.* 2. *Eth. Christian. cap.* 10. *col.* 121. *Catech. Racov. p.* 152. *seqq.*

## HYPOTHESES.

Ἔλεγχος propter *fallaciam consequentis* nihil invenit, qvod confutet: Scopas enim objiciunt diffo'utas, qvi ita argumentantur: *Qvicunq; religiosum cultum & officiosam compellationem Sanctis defunctis denegant illi despiciunt Sanctos nullumq; honorem illis deferunt.* Præterea oberrant Adversarii παραλογίσμῳ περὶ τὸ ἄτοπον μὴ ἄρτιον, non enim ideò prædictum cultum Sanctis defunctis detrahimus, qvasi illos despiciamus; sed qvia conscientia nostra non potest convinci, hujusmodi cultum Sanctorum DEO esse gratum atqve acceptum.

### Qv. XVIII. *Num approbanda ea Sanctorum defunctorum veneratio qva canonisantur à Pontificiis?*

## THESES.

I. *Bellarm. lib.* 1. *de Sanct. Beatit. cap.* 7. Canonisationem Sanctorum describit

scribit ut publicum testimonium Eccle[illegible]e de vera sanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti, ut cui ac[illegible]exum judicium, qvo decernuntur honores, qvi debentur cum Deo feliciter regnantibus, sc. ut 1. habeantur ac dicantur publicè ab omnibus Sancti. 2. invocentur in publicis Ecclesiæ precibus 3. templa & aræ in eorum memoriam dicentur. 4. sacrificia in honorem eorum Deo offerantur 5. dies festi in eorum memoriam celebrentur. 6 pingantur eorum imagines certo qvodam signo gloriæ, qvam habent in cœlis 7. eorum reliqviæ pretiosis thecis includantur & publicè honorentur. Hujusmodi canonisationem Sanctorum defunctorum nos nec piam nec possibilem, nec utilem credimus.

II. Ἀπόδειξις nostra hæc est: Qvicunq; actus 1. nulli officio divinitùs deputatus 2. transcendit scientiam humanam & 3. ad ἐθελοθρησκείας ac superstitiones dirigitur: ille nec pius nec possibilis nec utilis est. At Canonisationis actus est 1. nulli officio divinitùs deputatus; Multa enim passim Deus in verbo suo dedit præcepta de variis officiis dextrè administrandis. Verum nec in Ecclesia, nec in Politia nec in Oeconomia ullum nominari potest officium, cum qvo Deus canonisationem supra descriptam copulasset. 2. transcendit scientiam humanam; qvia nemo hominum καρδιογνώστης est, ut de vera sanctitate, qvæ interior est, judicare possit. 1. Cor. 2, 11. Unde etiam factum, ut ipsi Rom. Pontifices haud rarò in canonisandis Sanctis erraverint, uti monstravit *Gerhard.* §. 417. *d. l.* Nec diffiteri hoc poterit ipse *Bellarminus* qvi *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 12. concedit: in qvæstionibus facti, adeóq; in iis, in qvibus ab aliorum hominum testificatione pendere necesse habet, Pontificem Rom. errare posse. Libenter etiam audirem medium, per qvod evidenter sint edocti de gratia & gloria aliorum, qvi dubitant de sua propria gratia & justificatione. Immediatam nisi revelationem ostendunt in Rom. Pontif. non apparet, qvî experiri qveat, qvandam animam non solum verè justificatam sed & glorificatam fuisse. 3 ad ἐθελοθρησκείας atq; superstitiones dirigitur, videlicet ad religiosum Sanctorum cultum, Rom. Pontif. primatum & immunitatem ab errore &c. E. sequitur qvod canonisatio sanctorum prædicta nec pia nec possibilis, nec utilis sit.

## ANTITHESIS.

Hæc jam patet ex thesi, cui adde assertiones *Bellarmini*, qvibus affirmat 1. utilem esse Sanctorum canonisationem. 2. Solum Rom. Pontificem posse canonisare Sanctos 3. Pontificem Rom. non posse errare in canoni-

canonisatione Sanctorum 4. Sanctos non canonisatos privato, non publico cultu esse honorandos *cap. 8, 9, 10. lib. 5. de Sanct. Beatit.*

## HYPOTHESES.

Ἔλεγχος non erit difficilis, si teneatur, qvid sit ἀγνοεῖ ἐλέγχειν & τὸ λαμβάνειν ἐν ἀρχῇ. In his enim Sophismatibus strenuè sese exercet Bellarm. qvi in Disp. de canonisatione Sanctorum d. l. concludit 1. utilem esse Sanctorum memoriam, qvâ historiæ illorum vel literis mandantur vel publicè recitantur, vel virtutes ad imitationem proponuntur. 2. Sanctos esse honorandos, qvia donis Dei fideliter fuerint usi 3. Veros Sanctos à diaboli martyribus esse distingvendos. 4. Spectare ad Rom. Pontificem, ut proponat toti Ecclesiæ, qvid sit credendum, & qvid sit agendum in iis, qvæ sunt religionis. 5. omnes veteres sine ullâ dubitatione coluisse Sanctos. 6. obediendum esse Rom. Pontifici, qvando indicit diem festum. 7. Sanctos non canonisari à Rom. Pontifice, nisi claruerunt magnis ac multis miraculis 8. Non esse credibile, Deum non adesse canonisationi, cui præmittuntur jejunia, preces &c. 9. Nullum in canonisatione Sanctorum deprehensum fuisse errorem. Tres priores conclusiones versantur extra litem, è qvibus tamen non seqvitur Necessitas canonisationis, qvia illi Sancti, qvorum sanctitas in Sacris literis est confirmata, non indigent Rom. Pontificis canonisatione. Sex postremæ conclusiones probant incertum incerto, hoc est mendacia superaddunt mendacio. Deniq; procedit tota hæc disputatio ex præconcepta opinione falsa, qvâ statui ur; Ecclesiam non posse acqvievscere exemplis illorum Sanctorum, qvorum fides, & sanctitas ex Sacris Scripturis & indubitatis Ecclesiæ testimoniis potest demonstrari: Sed lubindè in canonem prædictorum Sanctorum alios esse recipiendos, & judicio Rom. Pontificis æqvè hîc esse standum, atqve stamus judicio S. Scripturæ & primitivæ purioris Ecclesiæ. Conter. *Gerhard. d. l. §. 479. 480.*

## CAP. III.

## DE RESURRECTIONE.

BEne judicavit qvondam *Tertullian. de resurr.* qvando dicit: *Resurrectio mortuorum est unica fiducia Christianorum.* Et omnino si non esset, miserrima homo foret creatura. *Tolle spem resurrectionis & resoluta erit omnis observantia pietatis,* inqvit *Chrysostom. Hom. 42. in Matth.* Qvæ autem in Theologia polemica de ea potissimum controvertuntur, seqventibus duabus qvæstionibus includimus,

Qv. I. *An etiam Impii virtute meriti Christi resurgant ad judicium?*

## THESES.

I. Meritum Christi ratione acqvisitionis & sufficientiæ ratione Intentionis divinæ, tam pertinet ad impios, qvam ad pios. Resurrectio autem Impiorum non dependet ex Christi merito, passione & resurectione sed ex ipsius Omnipotentia. *Gerh. Tom. 8 de Res. §. 55.*

II. Ἀπόδειξις hæc est: (1) Qvod ex Christi merito descendit, illud remoto Christi merito locum non habet. Atqve etiam Resuscitatio mortuorum Impiorum locum habet remoto Christi merito. E. *Major* certa est ex axiomate immoto: *Remota causa propriâ & adæqvatâ, tollitur ac removetur Effectus.* *Minorem prob.* Ex pœna lapsis hominibus indicata *Genes. 2, 17.* qvâ non solum temporalem, sed etiam æternam mortem comprehendi alibi probatur. Jam vero qvi æternâ morte debent puniri illorum corpora non possunt in terrâ putrescere, sed necesse est, ut ad æternam pœnam revocentur. Hinc argumentamur: Qvicqvid lapsum hominis & peccatum ex divina justitia sponte seqvitur, illud non dependet ex Christi merito. At Resurrectio mortuorum lapsum hominis sponte ex justitia DEI seqvitur. E. *Minor* est probata ex præd. *Major* liqvet ex eo qvod ex oppositis causis non possit seqvi idem numero effectus *Gerh. d. l. Bald. in Com. super. 1. Cor. 15, part. 2. qv. 2. p. 813.* (2.) Qvicunqve effectus in sacris literis ita describitur, ut non sit punitorius, sed salutaris ac salvificus, illi effectui non potest annumerari resuscitatio Impiorum â mortuis. At Effectus Resurrectionis Christi & totius ipsius meriti ita describitur ut sit salutaris, nunqvam vero ita ut sit damnatorius E. *Major* est certa, cum Resurrectio Impiorum non sit salutaris ut notum. Minorem vero confirmant omnia scripturæ dicta, qvæ de Effectibus Resurrectionis Christi loqvuntur. *Gerhard. d. l. §. 57. Bald. d. l.* (3.) Qvicqvid ad membra Christi & fideles in sacris literis astringitur hoc non competit Impiis, & infidelibus. At resurrrectio qvæ fit vi meriti & resurrectionis Christi, ad membra Christi astringitur, E. *Major* probatione non indiget, cum nulla sit communio fidelium & infidelium, qvatenus illos scriptura separat & distingvit. *Minor* est certa *ex 1. Cor. 5, 22.* (4) Ex qvacunqve sententia multa seqvuntur Inconvenientia & absurda, illa non admittenda in Theologiâ. Atqve ex sententia, Impios resurgere vi meriti Chtisti multa seqvuntur absurda. E. *Majorem* inde confirmamus, qvod Theologia sit sibi semper similis, nec ulla falsitate laboret. *Minor* constat. Seqveretur enim 1. Resurrectionem Impiorum per resurrectionem Christi esse Sanctificatam cum Paulus 1. *Cor. 15*, Christum appellet

primi-

*primitias Resurgentium.* 2. seqveretur nullum hominem resurgere potuisse, nisi Christus passus fuisset, & sic nullum corpus æternis pœnis fuisset traditum. 3. Impii æterno judicio adjudicandi non solum qvoad acqvisitionem, sed & qvoad applicationem erunt participes meriti Christi: Qvi enim aliqvem fructum meriti Christi accipit, illi certe meritum Christi applicatur & hinc seqveretur: 4. qvod applicatio meriti Christi possit fieri absqve fide cui tota Scriptura reclamat. *Gerhard. l. d. l. §. 5. 9. Bald. d. l.* (5.) Qvicqvid repugnat naturæ fructuum meriti Christi, illud inter fructus meriti Christi recenseri non debet. Atqvi Impiorum resurrectio repugnat naturæ meriti Christi fructuum. E. *Minor* prob. qvia fructus meriti Christi omnes ab omnibus expetuntur, sunt Spiritualia non corporalia bona (qvale bonum est restitutio vitæ naturalis apud impios) semper sunt salutares, sunt acqvisiti mundo toti &c. Et sic sunt omnes fructus meriti Christi comparati, nec contrarium exemplum de ullo fructu potest proferri. E. Resurrectio Impiorum, cui hæc reqvisita nullatenus conveniunt, Fructus meriti Christi dici non potest. *Bald. d. l. pag. 850.*

## ANTITHESES.

*Henric. Boetius Profess. Helmstadiensis* docuit contrarium peculiari tractatu de *resurrectione impiorum*: Qvem autem refutavit *Balduin. in 1. ad Cor. cap. XV.*

## HYPOTHESES.

I. Hypotheses sunt seqventes. Initio docetur: Omnem Resurrectionem fieri virtute ac efficacia Christi. Voluntatem autem Dei esse saltem causam subordinatam non simplicem. Sed *Resp.* 1. omnem resurrectionem fieri virtute ac merito Christi probandum erit, non nudè cum principii petitione asseverandũ 2. Nos non dicimus nudam voluntatem esse causam ut impii resurgant, sed adjungimus justitiam & potentiam. *Bald. p. 832.*

II. Deinde hoc opponitur (1.) Christum etiam ideô resurrexisse ut mortuis ac viventibus dominaretur. Rom. 14, 9. (2) Non omnis resurrectio qvæ fit virtute atqi efficacia meriti Christi salutaris est; Multa enim Christus efficit, qvæ non sunt salutaria 3. impiis eatenus prodest meritũ Christi, qvatenus ad vitam naturalem revocantur & restituuntur. Propter Christum autem non solum bona spiritualia sed etiam corporalia sunt promissa, qvo pertinet qvod etiã impii in vitâ corporali conserventur & ad eã restituentur *Resp. 1. Rom. 14.* agit Apost. de fidelibus ut liqvet ex v. 7. ne verbum autem legitur de *impiis*, & qvæ esset consl. *Impiis Christus post suam resurrectionẽ dominabitur E. ipsi impii resurgent vi resurrectionis Christi.* 2. Nos hîc non qværimus de illis, qvæ Christus efficit, sed de iis, qvæ meritus fuit. Efficientiam enim ejus scimus esse latius qviddam, qvam meritum, Efficientia Christi ex-

sti extendit se ad omnes creaturas, non autem meritum. Omnes enim tàm pii, qvam impii virtute Christi suscitantur. Sed pii & *virtute efficiente & virtute promerente.* Impii verò saltem *virtute efficiente:* 3. Beneficia corporalia etiam impiis data propriè loqvendo ad dilectionem DEI generalem spectat, qvæ etiam ad creaturas alias se extendit. Si verò qvis velit referre ad dilectionem & gratiam, qvæ est in Christo, commodè id faciet in hac vita, non post hanc vitam: Nam hæc vita est tempus gratiæ, qvo Deus hujusmodi beneficiis impios ad pœnitentiam invitat, & sic possunt habere rationem beneficiorum. Post hanc vitam verò non datur amplius tempus gratiæ, nec beneficia ulla impiis dantur. Sed qvæcunq; illis attribuuntur, sunt pœnæ & non actus misericordiæ vel gratiæ, sed justi judicii & iræ in illis exercetur. 4. ipsum τὸ resurgere pertinet qvidem ad vitam naturalem & bonum corporale, sed resurgere ad vitam æternam complectitur fructum spiritualem, qvi unicè ex Christi merito dependet. *Gerh. d. l. §. 57. Baldu. d. l. p. 812. 823.*

III. Ut alia taceamus, & hoc excipiunt 1. impios esse membra Christi non qvidem spiritualia respectu unionis mysticæ; sed naturalia respectu unionis naturalis. 2. 1. *Cor.* 15, 23. agi de omnium indistinctè hominum resurrectione, non de solorum fidelium qvod probatur 1. ex particula universali *Omnes* 2. ex paritate oppositorum Adami & Christi, ut autem in Adamo omnes homines moriuntur; Sic in Christo omnes vivificantur. 3. ex collatione dictorum 1. *Cor.* 15. 52. 2 *Cor.* 5, 10. 4 ex scopo Apostoli, qvi est contra eos velle demonstrare resurrectionem mortuorum, qvi negabant omnes mortuos resurgere, hinc non dicit, qvomodo dicunt aliqvi mortui (non dicit pii) non resurgent *Resp.* 1. Impios dici & esse membra Christi naturalia nondum probatum est ex Scripturis; Nam membra Christi dicuntur non ob identitatem naturæ Christi, qvæ piis cum impiis communis est: sed propter unionem mysticam qvæ fit in fide, ita enim describit Scriptura membra Christi ut crescant in Christo *Eph.* 4, 16, ut habeant Spiritum Christi *Rom.* 8, 9. Hæc autem impiis non conveniunt. Præterea Christus est caput nostrum non propter identitatem suæ & nostræ naturæ, sed propter suum officium ob spiritualem unionem cum ipso, qvæ fit per fidem *Eph.* 3, 17. *Gal* 2, 20. Alia membra Christi Scriptura nescit. *Eph.* 5, 29. agitur 1. de fidelibus 2. non tantum respicitur ad identitatem naturæ, qvæ neminem facit membrum Christi, sed etiam ad communionem fidei, qvia dicitur expressè, qvod Christus foveat & nutriat Ecclesiam &c. Si valet hæc conseq. Pii sunt membra Christi naturalia E. vi meriti Christi resurgunt. Qvidni & ego ita argumentarer, Christi sunt membra naturalia Christi E. cum illo ascendent in cœlum & participes erunt æternæ gloriæ. II. 1. Cor. 15, non

agitu

agitur de resurrectione omnium hominum sed fidelium, qvia 1. antecedentia & consequentia illud monstrant. considera v. 1, 3, 18, 19, 20, 23, 29, 30. 32, 43. 50, 52, 55. 2. Paulus non solum vouit demonstrare resurrectionem hominum possibilem esse: sed etiam per certam ἀπόδειξιν vult evincere resurrectionem omninò esse necessariam, idq; ex necessario nexu resurrectionis Christi cum resurrectione fidelium: ille nexus autẽ non potest esse inter resurrectionem Christi & impiorum ut jam supra est evictum. 3. qvalis est resurrectio Christi, talis etiam est Resurrectio hominũ qvia hæc duo indiviso nexu cohærent. Sed Resurrectio Christi est ad gloriam; impiorum vero ad Ignominiam. E. Resurrecto Impiorum hic non intelligitur. Qvæ in contrarium afferuntur, facilè solvuntur per seqq. hypoth. 1. Nos non facimus propositionem particularem, interim tamen novimus, qvod etiam universales loqvutiones ad certam interdum speciem restringantur. ut *Joh.* 3, 16 Omnis qvi credit &c ita & hoc loco ut explic. *v.* 23. 2. oppositio inter *Adamum* & *Christum* non potest semper fieri qvoad omnes partes, neqve in scripturâ semper sit, ut vel ex unico loco *Rom.* 5, 12. *seqq.* apparet. Opponuntur itaqve saltem & hoc loco Christus & Adamus non qvoad totam latitudinem suam, sed saltem qvoad sunt capita, principia & fontes. Adam mortis: Christus vero vitæ, qvam latè vero uterqve effectus se extendat hoc propositum non est Apostolo in præsenti loco, qvia neqve de beatæ vitæ acqvisitione agit, neqve de restitutione corporum in genere. Sed de restitutione corporum ad vitam, & qvidem illorum, qvi Christi sunt *v.* 23. 3. Loci conjuncti nihil ad rem faciunt, cum non sint Paralleli, neqve de Resurrectione eodem modo agant. 4. Apostolus refellit qvidem eos, qvi nullos mortuos resurgere asserebant, sed nihilominus argumenta petit ex piorum resurrectione ob seqq. rationes 1. qvia demonstratâ piorum resurrectione, sponte seqvitur impiorum resurrectio: neqve tunc temporis reperiebantur qvi resurrectionem piorum concedebant, Impiorum vero negabant 2. qvia potissimum de Resurrectione piorum disceptabatur, qvos resurrectione non indigere, cum sint regenerati, nugabantur Pseudo Apostoli. 3. vult imitari exemplum Christi, qvi refutabat Saducæos dicto qvod saltem piorum resurrectionem probabat. *Matth.* 22. *Luc.* 10. *Gerh. l. l.* §. 62. *Bald. d. l. qv.* 1. *& pag.* 823.

Qv. II. *An Idem numero corpus, qvod sepelitur, in novissimo die resurrecturum sit?*

## THESES.

I. COrpora hominum in Extremo die alias qvidem qvalitates ac affectiones habebunt, non vero ipsa substantia immutabitur, sed idem

corpus, qvod terræ demandatum rursus ex pulvere resuscitabitur, & eadem substantialia principia habebit, & eandem essentialem constitutionem cum his nostris Corporibus.

II. Ἀνάδειξις hæc est qvia 1. dictæ scripturæ ita de Resurrectione corporum loqvuntur, ut idem numero corpus qvod hic animæ in terris fuit unitum, ei in extremo die sit rursus unientum *Job.* 19, 25. *seqq. Psal.* 34. 21. *Esai* 66. 14. *Ezech.* 37, 4, 5, 6. *Luc.* 21, 18. *Rom.* 8, 11. *1. Cor.* 15. 53. *Phil.* 3, 21. 2. Illud dicitur resurgere qvod cecidit, si autem aliud qvod surgit qvam cecidit, non est Resurrectio, sed nova Creatio 3. Dicuntur corpora ex eo loco suscitari, qvo sunt in hac vitâ reposita *Dan.* 12, 2. *Joh.* 5, 28. *Esa.* 26. 19. 57, 2. *Apoc.* 20, 13. 4. Finis resurrectionis 2. *Cor.* 5, 10. ita describitur ut unusqvisqve recipiat ea, qvæ per corpus proprium gessit. Necesse itaq; illud ipsum corpus resurgere. 5. Nostra corpora conformia reddentur corpori Christi *Phil.* 3, 21. At Christi corpus post Resurrectionem habuit Carnem & ossa *Luc.* 24, 39. E. nostra itidem non erunt puri Spiritus 6. Si corpora nostra post resurrectionem qvoad substantiam ab his nostris erunt distincta, aliud erit, qvod certavit, aliud qvod coronatur: aliud qvod peccavit; aliud, qvod punitur, qvod est contra Dei justitiam *Gerh. d. l. §. 67. 68. 69.*

## ANTITHESES.

*I. Socinus in resp. ad Pucc. p. 20.* ita loqvitur: *Mori debet corpus hoc qvod habemus ut aliud novum inde nascatur* item *p. 57. Corpora hæc qvæ nunc circumferimus resurrectura non credimus sed alia nobis danda esse ab Apostolo edocti sumus.* Sic & *Smalz. disp. 7. contr. D. Frantz. pag. 415* ita scribit. *Stante eo qvod corpora nostra futura sint glorioſa impossibile est corpora talia olim extitura qva carnem & sanguinem habeant, toto enim genere differunt & caro & sanguis & Spiritus.*

II. Idem statuunt *Anabaptistæ* vid. *Colloqv. Franckenthal art. 28.*

III. *Weigeliani* qvoq; sic docent. vid. *Weigel.* in Tr. *de loco mundi c. 22.*

IV. *Arminianorum* itidem hoc est dogma. vid. *Armin. in Apol. c. 19. p. 217.*

## HYPOTHESES.

I. Impugnantur in hâc qvæstione potissimum duo dicta, qvæ erunt vindicanda. *Primum* est *Job.* 19. 25. *seqq.* Ubi *Jobum* non de resurrectione corporum agere autumant, qvia 1. nemo Rabinorum hunc locum de resurrectione acceperit 2. Grammatica phrasiũ & verborum significatio non admittit. 3. visio illa Dei qvam Jobus sperat, in hac vita ipsi contigit, ut apparet ex complemento ultimis capp. descripto. 4. Non dicit: videbo Deum in carne mea, sed de carne mea. 5. de tali visione loqvitur, qvæ futura sit ipsi soli; visio autem Christi in extremo judicio communis erit multis

tis aliis, imò omnibus hominibus. *Vesp.* 1. Job. in hoc loco non loqvitur de restitutione sanitatis, nec de felicitate temporali in hâc vita. Nam 1. ex præcedenti capite liqvet, qvod *Baldad. de Suah* omnem resurrectionis spem voluerit præcidere *Hiobo*! Nisi itaq; in *cap.* 19. de resurrectione ageretur, nihil ad has Φαντασίας *Hiob.* respondisset 2. non opus fuisset pathetico illo exordio v. 24. si saltem de temporali felicitate loqvi animum induxisset. 3. Utitur *Job.* voce ידע qvæ notat *plenariam scientiam & certitudinem*, de temporali autem felicitate ita certus non esse poterat, imò de restitutione temporalium honorum planè desperaverat. *c.* 7, 7, 8. c. 13, 27, 28. c. 16, 22. c. 17, 1, 14, 15. c. 19, 10. *seqq.* 4. utitur voce אחרון qvæ notat *tempus postremum & novissimum*, ideòq; talem visionem intelligit, qvæ post intervallum multi temporis futura est: qvod sanè de restitutione sanitatis ac bonorum temporalium affirmari non potest. 5. verba: stabit super pulverem nullo modo cohærent, nisi de resurrectione corporum præsens dictum accipias 6. verba hæc: postqvam corroserint carnem meam, utcunqve exponantur, non aliter qvam de totali corruptione qveunt intelligi. II. Scriptura non est privatæ interpretationis, multò minus petenda ejus interpretatio á Rabbinis, qvorum oculis velamen est impositum. III. *Lutherus* fidelis interpretis officio functus, non singulas voces de verbo ad verbum reddere, sed sensum exprimere studuit: De grammatica expositione vidè *Meisn. super h. loc. & Gerh. d. l.* §. 50. IV. Magna est distinctio inter *visionem* qvâ de *Hiob* loqvitur *c.* 19. & eam qvæ describitur *c.* 42. *Illa* fuit *Jobo* promissa, ideoqve eam certò sperabat: *Hæc* fuit ipsi ignota nec ullibi promissa; *Illa* habuit objectum redemptorem naturaliter vivum & resuscitatum. *Hæc* speciem visibilem ad tempus saltem apparentem. *Illa* ferenda in stantem super pulverem: *Hæc* DEum ex nube & caligine ê sublimi loqventem respexit: *Illa* debuit fieri in novissimo tempore. *Hæc* brevi tempore interjecto. V. Præpositio מן non solum de, sed etiam ex de notat ut *Genes.* 15, 4. *Micah.* 5, 1. interdum *in Ps.* 68, 30, 72, 16. *Jerem.* 3, 20. *Ezech.* 48, 29. etiam *cum Esa.* 57, 8. VI. Novissimum seu אחריות qvod legitur *c.* 42, 12. non convenit cum illo *c.* 19. qvia in *c.* 19. *Job.* nondum certus erat de benedictione temporali, imò paulò antè planè desperaverat. Hoc itaqve notat novissimum mundi seu primùm Messiæ adventum: illud novissimum Jobi, seu extremam ejus partem. VII. Verba illa *videbo illum & non alius*, non minus sententiæ nobis adversæ possunt opponi: Non negant autem reliqvis piis hanc visionem, sed omnibus impiis & peregrinis, ut notat vox זר

II. Alterum dictum qvod impugnatur, legitur *Ezech.* 37. 1. *seqq.*

qvam visionem saltem captivitatem Babylonicam, non verò universalem mortuorum resurrectionem notare autumant, qvia 1. Propheta dubitative loqvatur v. 3. 2. dicatur per ossa intelligi domus Israelis E. non omnes homines. 3. visio sit qvæ nihil probare possit *Resp. I.* Hanc visionem adumbrasse & confirmasse ê captivitate liberationem non negamus, cum v. 11, 12. id innuatur, qvod verò tantum hoc notet & non insimul resurrectionem mortuorum adumbret negamus. qvia 1. dicitur qvod Spiritus in ossa arida venerit â 4. ventis. E. captivitate Babylonicâ ducti, non venerunt â qvatuor ventis Confer. *Mar.* 13, 37. *Matth.* 24, 31. 2. Beneficia Dei ita sunt subordinata, ut non rarò corporalia spiritualia repræsentent, ut in liberatione ex servitute Ægyptiaca videre est. 3. Alia V. ac N. T. iisdem phrasibus & resurrectionem mortuorum describunt. vide *Gerh. d. l.* §. 997. II. Propheta non dubitabat de mortuorum resurrectione; sed de illorum qvæ ipsi tùm ostendebantur ossium vivificatione. III. Concedimus in hâc visione agi de resurrectione piorum & fidelium, sed unius inclusio, non est alterius exclusio. IV. Visio hæc non est humana, sed divina qvâ in probatione uti possumus. *Gerh. d l.* §. 1002.

III. 1. *Cor.* 15. *v.* 50 distingv. inter Carnem & sangvinem *substantialiter* intellectum, & carnem ac sangvinem pro *vitiosa adhærente qvalitate* acceptum. *Posteriori* modo sumit Apostolus: qvia 1. hoc expresse innuit *v.* 43. *seqq.* 2. v. 53. distingvit inter φθορὰν *Corruptionem*, & φθαρτὸν *Corruptibile*, seu *corruptum*. *Illud* abstractum: *hoc* Concretum dici meruit *Gerhard. d. l.* §. 71. 75.

IV. Christus habet corpus post resurrectionem Spirituale & cœleste qvoad *qvalitates*, non vero qvoad *substantiam*, qvæ post resurrectionem, Carne & sangvine constat. *Luc.* 24. 39. *Gerhard. d. l.* §. 71.

V. Absentia propriorum non statim tollit essentiam subjecti. Sic abest jam justitia Originalis, mansit essentia subjecti. Ab aqva separatur frigus, manet nihilominus aqva. Item Affectiones & qvalitates in Glorificatione amissæ non sunt Corporis, *qvâ Corporis, sed Corporis Corruptibilis & Physici.* Item â variatione *qvalitatum* ad variationem *substantiæ* nulla est consequentia. *Meisn. part.* 1. *Phil. S. p.* 470.

VI. ὁμοιότης & ἰσότης non est continuo ταυτότης. Si itaq; sunt Beati saltem similes Angelis non sunt ipsi Angeli. Sic & colligitur ex scopo Disputationis *Matth.* 22. qvod Christus voluit docere, non *identitatem Naturæ* sed identitatem *qvalitatum & gloriæ Gerhard. d. l.* §. 75.

VII. Similitudines extra tertium, in qvo â proferente conferuntur, non sunt extendendæ. Corpora autem nostra ab Apostolo 1. *Cor.* 15. conferuntur

tur *Semini* videlicet 1. in utriusq; & seminis & corporũ nostrorum Putrefactione in terrâ. In his membris 2. in utriusq; & Seminis & Corporũ nostrorum putrefactione in terra 2. in utriusqve reparatione ex terræ pulvere, 3. in qvalitatum mutatione ; Non autem per omnia hoc simile vult qvadrare Apostolus, ut eleganter colligitur ex ἀποδώσει hujus & aliarum similitudinum, qvæ continetur v. 42. *seqq.* ubi accommodat ad mutationem qvalitatum præmissas similitudines, non vero in ipsius substantiæ Immutatione *Gerhard. d. l. §. 76*

VIII. *1. Cor.* 15. 52. dicit qvidem Apostolus, qvod *immutabimur*, qvalis autem futura sit immutatio, hoc ibi non explicat. A genere itaqve indeterminato statim non potest colligi certa species. Mutatio qvippe duplex est, alia *essentialis*; alia *accidentalis*, de qvâ hoc loco agitur. *Gerh. d. l. §. 77.*

## CAP. IV.

## DE EXTREMO JUDICIO.

CUm Resurrectione mortuorum connexum est Extremum Judicium. Qvando illam meditor, utiq; & hoc menti meæ obversatur. Hinc recte *Hieronymus in regulis c. 30. sive edo sive bibo, sive surgo, sive cubitum eo, semper sonat vox in auribus meis surgite mortui, venite ad judicium.* Varia inutilia passim de eo disputantur, qvæ potius futuræ experientiæ reservanda qvam curiose inqvirenda. Hac vice potiora hæcce saltem notamus.

Qv. I. *An Futurum est extremum aliqvod Judicium?*

### THESES.

I. PRophetæ prædixerunt Dei judicium, qvo advocabitur cœlum sursum & terra ut discernat populum suum & congreget sanctos suos, Ps. 50. v. 45. 4. 5. Hoc cum judicio connectit *Jesaias c. 66. 16. 12.* novum cœlum novamqve terram *Daniel c. 7. 26. 27.* Videt Judicium. *Malachias c. 4. 1.* vaticinatur de die qvi venturus & absumet ceu caminus ignis omnes impios, ut stipulam &c.

II. Idem & Christus ac Apostoli confirmant *Joh. 12. 48. Matth. 10. 15. c. 11. 22. 44. c. 12. 36. Marc. 6. 11 Matth. 7. 22. c. 24. 27. 37. 39. Luc. 17. 31. Act. 3. 21. c. 17. 31. seq. Rom. 2. 5. c. 14. 12. 2. Cor. 5. 10. 1. Cor. 11. 26. c. 15. 23. 1. Thess. 2. 19. c. 3. 13. c. 4. 15. c. 5. 23. 2. Thess. 2. 1. 8. 2. Petr 3. 12. Ep. Ju v. 6. Apoc. 16. 14. c. 20. 13. &c.* Ut adeo de extremo qvodam Judicio certissime futuro plane non dubitandum sit.

### ANTITHESES.

I. *Athei* uti immortalitatem animæ, ita & existentiam judicii extremi non credunt.

II. Qvamplurimi etiam impietate sua produnt se corde suo non credere

dere extremum Judicium 2. *Petr.* 3. v. 3. ut *Dositheani, Samaritani, Prodianita, Eloriani, Manichai, Symmachiani &c.*

Qv. II. *An omnes omnino homines judicandi?*

## THESES.

I. Christum qvi audire non renuunt, discunt ab ipso, coram suo throno congregandas esse omnes gentes *Matth.* 25. 32. *c.* 24, 31. *Joh.* 5, 19.

II. Prophetæ hûc referunt orbem terrarum *Ps.* 9, 9 *Ps* 98, 9. Omne genu qvod potest se curvare. *Jes.* 45, 23. omnem carnem *Jes.* 66, 16. omnem gentem *Joel.* 3, 12. ac totam gregem in qvo oves & hirci *Ezech.* 34, 17, 21.

III. Apostoli judicandis accensent generatim τὴν οἰκουμένην *Act.* 17. 31. omnes homines *Rom.* 14, 12. 2. *Cor.* 5, 10. vivos & mortuos *Act.* 10, 42. 1. *Petr.* 4, 5. pios & impios *Matth.* 3, 12. 2. *Thessal.* 1, 6. *seqq.* speciatim malos Angelos 1. *Cor.* 6, 3. 2. *Petr.* 2, 4. omnes pios homines 1. *Cor* 4, 4. omnes impios 2. *Petr.* 2, 3. 9. *Ep. Jud.* v. 15. omnes mortuos, pusillos, & magnos *Apoc.* 11, 18, c. 20, 12, 13. & deniq; Anti: Christum 2, *Thessal.* 2, 8,

## ANTITHESES.

Fuerunt, qvi dictitarunt, nec fideles nec infideles judicandos esse, sed medios, de qvibus vide *Philastr. Hær.* 47. 56. 57. 61. 63. 73.

## HYPOTHESES.

I. Qvando Christus dicit *Joh.* 3, 18. credentes non judicari & non credentes jam judicatos esse, id non accipiendum est de finalis sententiæ absolutoriæ ac damnatoriæ in die novissimo promulgatione ac publicatione, sed partim de æterno judicii divini decreto, partim de infallibili futuri judicii certitudine, partim de judicii damnatorii negatione, qvantum pios concernit.

II. Sanctos judicandos & dici posse mundum judicaturos 1. Cor. 6, 2. non sibi invicem repugnant. Qvippe initio coram tribunali Christi sistendi 2. Cor. 5, 10. deinde verò in occursum Christi rapti 1. Thess. 4, 17. una cum Christo & Apostolis, qvi velut primores & assessores regni Christo erunt proximi, mundum & Angelos malos judicare possunt.

III. Impii non resurgunt Ps. 1, 5. i. e. non possunt consistere in judicio, interea tamen utiqve judicabuntur.

# CAP. V.

## DE VITA & MORTE ÆTERNA SEU COELO & INFERNO.

ULtima deniq; hæc erunt introitus aut in æterna gaudia, aut in æternos cruciatus. Unde Caput de vita ac morte æternâ, seu de Cœlo &

lo & de inferno. Plurima nimis curiosè, ac inutiliter hic disputari solent. Nobis hâc vice sequentia sufficiant.

Qv. I. *An æqualis futura Beatitudo in vitâ æternâ?*

THESES.

I. CHristus de vita æternâ verba faciens æqualem Beatitudinem in omnibus glorificatis hominibus agnoscit quoad *objectum*, quod est ipse Deus & essentiale præmium; interim non negat inæqualitatem in *gradu beatitudinis & præmiis accessoriis*. Suos certe discipulos gradu superiores fore aliis expresse dicit *Matth.* 19. 28. & servo decem talenta exhibenti magis dabitur. *Matth.* 25. 28. *Luc.* 19. 24. *seqq.*

II. *Daniel.c.* XII. 3. gloriam Beatorum ut lucem firmamenti & lucem Stellarum distingvit. Eadem & Paulus docet 1. *Cor.* 15. 42. Gradus ergo hic habebunt locum.

ANTITHESES.

I. *Petr. Martyr Class.* 3. *Loc. c.* 17. in vitâ æternâ negat certos gloriæ gradus. Idem & alii Calviniani docent qvam plurimi.

II. *Et Sociniani* idem statuunt. vid. *Smalz. contr. Franz. disp. p.* 414. Qvemadmodum & ex antiqvioribus huc spectant *Jovinianistæ*. vide *August. de Har. c.* 82.

HYPOTHESES.

I. Dicuntur qvidem omnes Justi fulsuri ut sol *Matth.* 13. 43. sed *absolute* id dicitur, ubi autem *comparatio* instituitur, alii solis, alii lunæ, alii stellarum splendorem dicuntur referre 1. *Cor.* 15. 42. *Daniel.* 12. 3.

II. Deus erit omnia in omnibus 1. *Cor.* 15. 28. qvantum *essentiam* beatitudinis concernit. Qvo ipso tamen non negantur *gradus*. Idem & ad reliqva responderi potest.

Qv. II. *Qvid de inferno sentiendum?*

THESES.

I. Esse infernum probant 1. Expressa Scripturæ dicta *Deut.* 32, 22. *Psc.* 49. 15. *Proverb.* 15, 11. *c.* 27, 20. *Esa.* 5, 14. *c.* 14, 9. *seqq. c.* 34, 8. *c.* 66, 24. *Matth.* 3, 10. *c.* 5, 22, 25. *c.* 10, 28. *c.* 11, 22. *c.* 13, 40. *c.* 18, 8. *c.* 22, 13. *c.* 23, 15, 33. *c.* 24, 49. *c.* 25, 30, 41. *Luc.* 12, 47. *c.* 16, 23. *Rom.* 2, 8 *seqq.* 2. *Thessal.* 1, 9. *Hebr.* 10. 27. 2. *Petr.* 2, 4. *Jud. v.* 7. *Apoc.* 19, 20. *c.* 20, 10. *seqq.* 2. Exempla diabolorum 2. *Petr.* 2. 4. *Apoc.* 12, 8. *Matth.* 8, 29. Core Dathan &c. *Num.* 16, 33. 3. Rationes desumtæ â divinâ justitia, maledictione legis, testimonio propriæ conscientiæ & impiorum resurrectione.

II. Infernus vel est in prædic. qvalitatis & notat summam istam miseriã, qva affligendi damnati, vel in prædic. Ubi & notat certũ aliqvod ϖ̃ damnatorũ qvod colligitur ex *Num.* 16, 33. *Luc.* 16, 26. 1. *Petr.* 3, 19. *Matth.* 8, 12. *c.* 25, 32. qvale autem sit illud ϖ̃, Scriptura tacente nemo eloqvi poterit.

III. Deus

III. Deus causis inferni annumeratur 1. ratione præparationis *Matth.* 25, 41. *Jud. v.* 6. 2. ratione commination is 3. ratione irrogationis. 4. ratione conservationis. Causa promerens est creaturæ rationalis apostasia. Causa puniens ac vindicans Dei justitia & ira,

IV. Ignis infernalis an sit *materialis*, *visibilis & corporeus*, an verò *incorporeus & invisibilis*, non potest *apodictice* probari.

V. Qvod in suppliciis infernalibus futuri sint gradus prob. *Sap.* 6. 7. *c.* 11,17. *Matth.*10,15. *Luc.*10.12. *Matth.*11,21. *c.*23, 14 *Luc.* 12, 47.

VI. Ubi sit locus inferni non est curiosè inqvirendum qvi illum in terræ centro esse statuunt firmis argumentis destituuntur. Licet enim in qvibusdam Scripturæ dictis asseratur, qvosdam *descendisse ad inferiores partes terræ*; tamen exinde non minus colligitur hiatum terræ & infernum esse unum eundemq; locum, atq; ex ascensione Christi in nube colligit, nubem & cælum beatorum & dextram Dei esse unum eundemq; locum. Nota ergo regulam; Scriptura verbis hujus seculi describit res futuri seculi, ac vocabulis locum significantibus statum & conditionem rei declarat, qvia glorioſi & honorati loco supremo, contempti & abjecti loco infimo solent sedere. Non possumus autem manere in litera, qvia reclamant alia S.S. dicta, qvæ docent 1. terram transituram, infernum verò mansurum. 2. Spiritus esse in inferno qvi loco non ambiuntur.

ANTITHESES.

I. *Empactæ* aliiq; non erubescunt negare infernum *Jes.* 28, 15. vide *Gerhard. tom.* 9, *Loc. de infern. p.* 24.

II, *Armeni* fabulati sunt, infernum ita esse à Christo destructum, ut non amplius supersit. *Gvido in cap. de Armen.*

III. *Pontificii* infallibiliter certum putant infernum situm in centro terræ *Bellarm. lib.* 4. *de Christo c.* 10.

IV. *Jovinianistæ* inficiati sunt, fore pœnarum gradus in inferno. vide *Aug. de Hær. c.* 82.

HYPOTHESES.

Plane nihil solidi Adversarii hic habent, qvod pro suis absurdis asserant. Omnia vel mera saltem sunt somnia, vel præsuppositæ falsa, ac ita comparata, ut ea vel legisse jam sit refutasse. Nos hic subsistimus, animitus precantes, Summum illud Numen ut pœnas inferni à nobis avertat, æternaqve gaudia ex mera sua gratia nobis concedat, unice propter meritum unigeniti sui Filii AMEN.

FINIS LIBRI VI. SEU ULTIMI, TOTIUSq; THEOL. POLEMICÆ.

SOLI DEO LAUS, HONOR, & GLORIA!

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0260
DFG

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1011917726/phys_0264
DFG

III. Deus cauſis inferni annumeratur 1. ratione præparationis *Matth.* 41. *Jud. v.* 6. 2. ratione comminationis 3. ratione irrogationis. 4. ratione conſervationis. Cauſa promerens eſt creaturæ rationalis apoſtaſia. [illegible]puniens ac vindicans Dei juſtitia & ira,

[illegible]3. Ignis infernalis an ſit *materialis*, *viſibilis & corporeus*, an verò *& inviſibilis*, non poteſt *apodictice* probari.

[illegible]in ſuppliciis infernalibus futuri ſint gradus prob. *Sap.* 6. 7. 10, 15. *Luc.* 10. 12. *Matth.* 11, 21. *c.* 23, 14 *Luc.* 12, 47.

[illegible]locus inferni non eſt curioſè inqvirendum qvi illum in [illegible]ſtatuunt firmis argumentis deſtituuntur. Licet enim in [illegible]uræ dictis aſſeratur, qvosdam *deſcendiſſe ad inferiores pa*[illegible]xinde non minus colligitur hiatum terræ & infernum e[illegible]q; locum, atq; ex aſcenſione Chriſti in nube colligit, nub[illegible]torum & dextram Dei eſſe unum eundemq; locum. Nota[illegible] Scriptura verbis hujus ſeculi deſcribit res futuri ſeculi, a[illegible]n ſignificantibus ſtatum & conditionem rei declarat, qvia [illegible]rati loco ſupremo, contempti & abjecti loco infimo ſolent [illegible]ſumus autem manere in litera, qvia reclamant alia S.S. dicta, [illegible]rram tranſituram, infernum verò mã- ſurum. 2. Spiritus el[illegible]loco non ambiuntur.

[illegible]IESES.

I. *Empacta* aliiq; n[illegible]gare infernum *Jeſ.* 28, 15. vide *Gerhard. tom.* 9, *Loc. de in*[illegible]

II, *Armeni* fabulati ſun[illegible]de â Chriſto deſtructum, ut non amplius ſuperſit. *Gvido*[illegible]*en.*

III. *Pontificii* infallibiliter [illegible]fernum ſitum in centro terræ *Bellarm. lib.* 4. *de Chriſto c.* [illegible]

IV. *Jovinianiſtæ* inficiati ſunt, [illegible]adus in inferno. vide *Aug. de Hær. c.* 82.

HYPOTI[illegible]

Plane nihil ſolidi Adverſarii hic habe[illegible]abſurdis aſſerant. Omnia vel mera ſaltem ſunt ſomnia, vel [illegible], ac ita comparata, ut ea vel legiſſe jam ſit refutaſſe. N[illegible]animitus precantes, Summum illud Numen ut pœnas infe[illegible], æternaqve gaudia ex mera ſua gratia nobis conc[illegible]pter meritum unigeniti ſui Filii A[illegible]MICÆ.

FINIS LIBRI VI. SEU ULTIMI, TOTIUSq; [illegible]

SOLI DEO LAUS, HONOR, & G[illegible]

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 309
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
UB Rostock 051400
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1011917726/phys_0265
DFG